V. Sebastian MacDonald, O.F.M.

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

IANUARII BUCCERONI

E SOCIETATE IESU

COMMENTARII

DE ACTIBUS HUMANIS

DE VOLUNTARIO, DE LIBERO,
DE ACTIBUS ELICITIS ET IMPERATIS,
DE ALIIS VOLUNTARII PARTITIONIBUS,
DE IGNORANTIA, DE CONCUPISCENTIA,
DE METU, DE VI SEU VIOLENTIA,
DE MORALITATE, DE BONITATE ET MALITIA MORALI,
DE VARIIS MORALITATIS FONTIBUS,
DE MERITO

WITHDRAWN
The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

Editio tertia

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA IUVENUM OPIFICUM A S. IOSEPH
Via dicta: *S. Prisca*, 8., 9.; super Aventino Colle
1906.

APPROBATIO

Cum Opus, cui titulus: *Commentarii de actibus humanis,* a P. Ianuario Bucceroni Societatis Iesu conscriptum, aliqui eiusdem Societatis Theologi recognoverint, et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus, ut typis edatur, si ita iis ad quos spectat videbitur.

Romae die 3. Mart. 1890.

Rogerius Freddi
Praepositus Provinciae Romanae S. I.

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister

IMPRIMATUR

Josephus Ceppetelli Arch. Myren. Vicesgerens

COMMENTARII DE ACTIBUS HUMANIS

PRAENOTIONES

1. Actus humani sunt generatim actus hominis, quibus idem homo *sese ordinat* ad finem sibi consentaneum. Omne enim agens agit propter finem. Hoc autem est discrimen inter naturam rationalem et irrationalem, quod illa propriis actibus *se ordinet in finem*, ista in finem *ab alio ordinetur*. Apposite S. Th. 1. 2. q. 1. a. 2.: « Considerandum est, quod aliquid sua actione vel motu tendit ad finem dupliciter. Uno modo sicut *seipsum ad finem movens*, ut homo; alio modo sicut *ab alio motum ad finem*, sicut sagitta tendit ad determinatum finem ex hoc quod movetur a sagittante, qui suam actionem dirigit in finem. Illa ergo, quae *rationem habent seipsa movent ad finem; quia habent dominium suorum actuum* per liberum arbitrium, quod est facultas voluntatis et rationis. Illa vero, quae ratione carent, tendunt in finem *propter naturalem inclinationem, quasi ab alio mota, non autem a seipsis:* cum non cognoscant *rationem finis*. Et ideo nihil in finem ordinare possunt, sed solum *in finem ab alio ordinantur*. Nam tota irrationalis natura comparatur ad Deum, sicut instrumentum ad agens principale... Et ideo *proprium est naturae rationalis, ut tendat in finem, quasi se agens, vel ducens in finem; naturae vero irrationalis, quasi ab alio acta et ducta,* sive in finem apprehensum, sicut bruta animalia, sive in finem non apprehensum, sicut ea, quae omnino cognitione carent ».

2. Quare actus humani, de quibus agitur in hisce Commentariis, et de quibus agit S. Thomas in 1. 2., sunt actus hominis viatoris, quibus homo ad Beatitudinem tendit, ut eam sibi, divina adiuvante gratia, mereatur, et tandem obtineat. Unde Angelicus Doctor primo tractat in 1. 2. de ultimo hominis fine et de Beatitudine, deinde de actibus humanis. Hinc actus humani considerari possunt vel relate ad hominem, qui ipsis ordinatur ad finem, vel relate ad finem ad quem homo ipsorum ope ordinatur. De actibus humanis secundum utramque considerationem distinctis Commentariis ordinate dicemus.

COMMENTARIUS PRIMUS
DE VOLUNTARIO

1. Actus humani considerati relate ad hominem dupliciter inspici possunt: 1°. prout ab humanis facultatibus procedunt, quod est eos in *sua intrinseca natura* considerare; actus enim, generatim in creatis, nihil aliud est, quam facultatis alicuius a posse ad esse deter-

minatio: 2°. prout deficiunt ab hac sibi propria natura, ob accidentalia *impedimenta,* quae non sinunt humanas facultates rite agere. Primo igitur de intrinseca humani actus natura dicere aggredimur; deinde vero de accidentalibus illis impedimentis dicemus.

2. Porro usus obtinuit, neque sine ratione, ut distingueretur inter *actum hominis,* et *humanum.* Cum *homo* nomen sit substantivum, et suppositum seu personam in recto significet, *actus hominis* mere *materialiter* sumitur pro quolibet actu, ab homine seu ab humano supposito et persona procedente: actiones enim sunt suppositorum. Cum autem *humanum* nomen adjectivum sit, et formam in recto denotet, *actus humanus* actus est ab homine non utcumque procedens, sed secundum formam seu naturam sibi propriam, nimirum cum advertentia intellectus, et deliberata voluntate. « Actionum, ait S. Th. 1. 2. q. 1. a. 1., quae ab homine aguntur, illae solae proprie dicuntur *humanae,* quae sunt propriae hominis in quantum est homo (nempe adaequate, et quoad *substantiam* operis, et quoad *modum* operandi). Differt autem homo ab aliis irrationalibus creaturis in hoc, quod est suorum actuum dominus. Unde *illae solae actiones* vocantur *proprie humanae,* quarum homo est dominus. Est autem homo dominus suorum actuum per rationem et voluntatem: unde et liberum arbitrium esse dicitur facultas voluntatis et rationis. Illae ergo actiones *proprie humanae,* dicuntur, quae ex voluntate deliberata procedunt. Si quae autem aliae actiones homini conveniant, possunt dici quidem *hominis actiones,* sed non proprie *humanae,* cum non sint hominis, in quantum est homo ». Et ib. a. 3.: « Actus dicuntur *humani,* in quantum procedunt a voluntate deliberante ». Cum igitur *actus humanus* sit actus *ex voluntate deliberata procedens,* ut eius intrinsecam naturam penitius cognoscamus, opus est paucis explicare, 1°. naturam *voluntarii,* 2°. naturam *liberi,* 3°. tandem quotuplici *modo* actus quivis a deliberata voluntate *procedere* possit. Hinc primum *voluntarii* naturam explicandam in hoc primo de actibus humanis Commentario proposuimus.

3. Porro antequam ulterius progrediamur, notandum est, *actus humanos,* appellari *actus* potius quam *actiones,* quia nomen hoc *actionis* exteriorem operationem solet magis designare, licet etiam pro interiore actu usurpetur; dum e contrario nomen *actus* potius pro interiore actu, seu pro actu inspecto in suo intrinseco principio, quam pro exteriore operatione, scilicet pro actu inspecto, quoad eius exterius obiectum sive extrinsecum effectum, usurpetur; licet etiam pro exteriore actione sumatur, ut quando dicitur: actus professionis religiosae, actus matrimonii, actus contractus, etc. *Actus* autem *humanus,* ut constat ex ipsa determinatione adiectivi appositi, *actum* proprie designat prout a suis intrinsecis principiis procedit, et secundum illa consideratur; quod ex dictis iam satis eruitur. — Praeterea, cum

actus humanus a voluntate et *a libera voluntate* procedat, in eoque dumtaxat, tanquam in proprio subiecto, *moralitas* reperiatur, de qua deinceps disserendum erit, actus humani appellantur quoque actus *voluntarii,* actus *liberi,* actus *morales,* et unum nomen pro alio usurpatur indiscriminatim, ut videre est apud Angelicum Doctorem in 1. 2. Et sic q. 18. a. 5. « dicuntur autem aliqui actus *humani* vel *morales,* secundum quod sunt a ratione ». Et q. 1. a. 3. « idem sunt actus *morales* et actus *humani* ». Et q. 20. a. 6. ad 2. « dicendum quod actio et passio pertinent *ad genus moris,* in quantum habent rationem *voluntarii.* Et ideo secundum quod *diversa voluntate* dicuntur *voluntariae,* secundum hoc sunt *duo moraliter,* et potest ex una parte inesse bonum, et ex alia malum ».

4. Si *actus humanus* est actus a deliberata voluntate procedens, actus *voluntarius* essentialiter est. S. Th. 1. 2. q. 71. a. 6. Ad *voluntarium* praerequitur essentialiter cognitio: nihil volitum quin praecognitum. Ista praevia *cognitio* est, *in humano actu, conditio* praerequisita; *voluntarietas* vero *forma* proprie illius constitutiva. — Ex defectu praedictae conditionis actus infantium, amentium, dormientium, ebriorum actus *humani* non sunt, sed *hominis.* Hinc, si quis in statu amentiae, somni, ebrietatis, baptizet, consecret, contrahat, vel Missae intersit, canonicas horas recitet, hi actus *nullius moralis valoris* sunt, nullumque habent *moralem effectum;* quia actus *humani* non sunt. Idque valet, etiamsi quis adhuc sui compos antequam in illum statum incidat id praevideat, immo velit, et intendat. Etenim quando compos sui vult et intendit facere, illud tamen non facit: quando autem non amplius sui compos facit, facere non vult humano actu; et illa cum moralis ordinis et valoris sint, nonnisi humano actu fieri possunt. In somno phantasia praevalet, aut saltem « non praevalet intellectus; unde homo sequitur apprehensionem phantasticam quasi veram ». S. Th. De Somnis Sect. 6. Scilicet « usus rationis magis quidem vel minus impeditur in dormiendo; semper tamen quantum ad aliquid impeditur, ut non possit omnino liberum iudicium habere ». S. Th. 2. 2. q. 154. a. 2. ad 2. — Cf. Lugo de Sacram. D. 8. n. 106.; Suarez de Relig. Tr. 6. de Voto l. 1. C. 10.; Sanchez de Matr. l. 1. D. 8. n. 20.; Laymann l. 4. Tr. 4. de Voto C. 1. n. 4.

5. Si autem non desit quidem praevia intellectus cognitio, sed ea perfecta non est, actus eatenus ex hoc capite est *humanus,* quatenus ab illa praevia cognitione directus et ordinatus. Quapropter, qui ignorat id quod *materialiter* agit, seu quoad *factum,* vel ignorat id quod *formaliter* agit, i. e. quoad eius actionis moralitatem, quia nempe ignorat *legem,* nihil peccat, e. g., si quis die abstinentiae, ignoret se comedere carnes, vel eas comedens ignoret legem abstinentiae. — Verum non requiritur, ut cognitionem quis habeat perfectam rei, ut

nempe res *in se* et *in individuo* cognoscatur, vel cum omni *certitudine;* sufficit enim quod *in confuso* saltem apprehendatur, et cum *dubio.* Etenim, stante praevia cognitione licet *confusa* rei, iam voluntas in ipsam fertur quodcumque ipsa fuerit: stante dubio *rei* et *rei,* in utramque fertur voluntas. Et sic valide baptizatur adultus, licet nondum omnes christiani obligationes plane exploratas habeat, eisque postea tenetur. Subdiaconatum suscipiens, *in confuso* saltem, apprehendit et consequenter vult obligationes omnes, illi statui adnexas; quare, licet ignoret ei adnexam castitatem servandam, ad eam tamen tenetur. Venator feriens belluam, de qua *dubitat,* utrum sit homo, utrumque revera vult belluam et hominem occidere.

6. Ex defectu *voluntarietatis* seu deliberatae voluntatis actus humani non sunt primus evidentis veritatis intuitus, primus boni in communi seu felicitatis amor. Ipsa beatitudo cum actus non sit deliberatae voluntatis, sed necessarius, licet perfectus actus sit intellectus et voluntatis actus tamen *humanus* non est; et ab ipso Angelico Doctore in 1. 2. non consideratur tanquam actus *humanus,* sed ut *finis* actuum humanorum. Et sic in prologo q. 6. S. D. inquit: « Quia igitur *ad beatitudinem* per actus aliquos necesse est pervenire, oportet consequenter *de humanis actibus* considerare, ut sciamus quibus actibus perveniatur ad beatitudinem, vel impediatur beatitudinis via ». Ad quaestionem igitur, quae agitari solet, an beatitudo sit *actus humanus;* respondendum est non esse *actum humanum,* sed actuum omnium humanorum terminum et *finem.* Cf. Suarez in 1. 2. Tr. 1. D. 2. S. 2.

7. Ex defectu utriusque elementi, cognitionis intellectivae et deliberatae voluntatis *actus humani* non sunt, sed *hominis,* subitae illae passiones cupidinis, metus, irae, quae in sensili appetitu excitantur. Idem dicendum de illis actionibus, quas homo agit, ex naturali quodam instinctu, nihil de illis cogitans, sicut cum aliquis movet pedem vel manum aliis intentus, vel fricat barbam, etc. « Dicendum, ait S. D. 1. 2. q. 1. a. 1. ad 3., quod huiusmodi actiones non sunt *proprie humanae;* quia non procedunt *ex deliberatione rationis,* quae est proprium principium humanorum actuum; et ideo habent quasi finem *imaginatum,* non autem *per rationem praestitutum* ».

8. Hisce praestitutis, quaestio statim resolvitur de praerequisita illa cognitione *ad actum humanum,* an nempe sufficiat ad humanum actum mere sensilis cognitio, apprehensio rei per sensilem imaginationem. — Cum *actus humanus,* ut iam dictum est, actus essentialiter *voluntarius* sit, proposita quaestio in aliam reincidit generaliorem quaestionem.

Cum voluntas *in bonum apprehensum* feratur, quaeritur: an ferri possit in obiectum, sola cognitione sensili, seu per solam phantasiam et imaginationem, et non simul per intellectum, apprehensum. — Ne-

gandum omnino est: et ratio est, quia ut appetitus naturalis sequitur formam naturalem, et appetitus sensitivus cognitionem sensitivam; ita appetitus spiritualis spiritualem cognitionem. Ergo sola spiritualis cognitio illius fundamentum est, et illi est consentanea, ut in actum moveatur. Insuper potentia cognoscitiva movens voluntatem, quae facultas est intrinsece inorganica et spiritualis, eam illuminat et dirigit. Hoc autem convenire nequit potentiae sensili ordinis inferioris, quae facultas intrinsece organica est. Apposite Leo XIII. Litt. Enc. *Libertas* 20. Iun. 1888.: « Nequaquam voluntas movetur, nisi mentis cognitio velut fax quaedam praeluxerit: videlicet bonum, voluntati concupitum est necessario bonum, quatenus rationi cognitum ».

Et S. Th. 1. 2. q. 19. a. 3.: « Dicendum quod... bonitas voluntatis proprie ex obiecto dependet. Obiectum autem voluntatis proponitur ei per rationem. Nam bonum intellectum est obiectum voluntatis proportionatum ei. Bonum autem sensibile vel imaginarium non est proportionatum voluntati, sed appetitui sensitivo; quia voluntas potest tendere in bonum universale, quod ratio apprehendit. Appetitus autem sensitivus non tendit, nisi in bonum particulare, quod apprehendit vis sensitiva. Et ideo bonitas voluntatis dependet a ratione eo modo, quo dependet ab obiecto... Appetitus voluntatis non potest esse de bono, nisi prius a ratione apprehendatur ». Et Caietanus in q. 10. a. 3.: « Si sensus solus possit movere voluntatem, tunc homo posset velle absque rationis usu, et consequenter posset peccare et bene facere quod non est intelligibile: implicat enim esse actum liberi arbitrii absque rationis usu ». Libertas enim in ratione fundatur. Quare actus humanus, et quatenus actus *a voluntate* procedens, et quatenus *a deliberata* voluntate procedens praeviam *rationis* cognitionem omnino requirit. Cf. S. Th. 1. 2. q. 1. a. 2. ad 3.; Suarez in 1. 2. Tr. 2.; D. 6. S. 4. 5.; Lessium in q. 9. a. 1. D. 4. a. 2.

9. Atque haec de primo actus humani elemento. Cetera, quae de eo tractanda supersunt, commodius mox explicabuntur cum de altero elemento sermo erit, seu de *voluntarietate*. Elementum hoc duo includit *voluntarium* et *liberum*. Sistimus nunc in *voluntario* exponendo. *Voluntarium*, a voluntate dictum, est quod procedit seu causatur a voluntate. « *Voluntarium*, ait S. Th. 1. 2. q. 6. a. 2. ad 1., denominative dicitur a voluntate..... quae nominat appetitum rationalem ». Et ib. a. 3.: « *Voluntarium* dicitur *quod est a voluntate* », nempe, ut explicat idem S. D. e. a. quod *procedit* a voluntate. Quare *voluntarium* non est, nisi vel actus voluntatis, vel effectus illius actus. Et sic. q. 20. a. 2. ad 3. Angelicus Doctor « dicendum, inquit, quod *voluntarium* dicitur non solum actus voluntatis, sed etiam actus exteriores, prout a voluntate procedunt et ratione, et ideo circa utrosque potest esse differentia boni et mali ». Sicut aliquis motus est ex solo instinctu

et impetu naturae, ita actus aliquis est ex appetitu vitali elicitus et ortus ex praevia cognitione. Quemadmodum ille motus habet proprium nomen et dicitur *naturalis*, ita etiam iste actus nomen habet proprium, et dicitur *voluntarius*. Et ideo hoc nomen numquam tribuitur iis, quae sine cognitione fiunt, et non adhibetur nisi ad significanda ea quae sola propria voluntate fiunt, absque ullo exteriore impellente. Sic 1. Petri 5., 2.: *Neque turpis lucri gratia, sed voluntarie;* et interdum etiam ea quae fiunt sine obligatione dicuntur *voluntaria*, et quae prompto animo fiunt specialiter *voluntaria* dicuntur. Quare hoc nomine *voluntarii* significatur motus ille, qui oritur ex proprio intrinseco appetitu actum eliciente, praevia cognitione. Nam cum in omni motu sit *et agere* et *agere propter finem;* et finis prima omnium causa suam non exerceat causalitatem, nisi mediante eius cognitione, *voluntarium* consequenter erit illud, cuius principium est *simpliciter* intrinsecum cum cognitione finis. S. Th. 1. 2. q. 6. a. 1.; Suarez in 1. 2. Tr. 2. D. 1. S. 1. n. 10.

10. *Voluntarium* differt *a volito*. *Volitum* enim neque *procedit* a voluntate, neque consequenter *actus* voluntatis, vel *effectus* illius est: sed nonnisi *obiectum* actus voluntatis designat. Exemplum affert Suaresius, in 1. 2. Tr. 2. D. 1. S. 1. n. 2., « de morte ab alio effecta », me quidem desiderante, consentiente, gaudente, sed « non cooperante ». Desiderium, consensus, gaudium istud pravum voluntaria sunt, quia a voluntate procedunt; sed mors illa inimici, ab alio effecta, nullo modo me cooperante, *voluntaria* mihi non est; sed tantum *volita;* non enim a mea voluntate *procedit,* seu aliquo modo dependet, sed *obiectum* tantum est actus meae voluntatis. Si e contra vel ego ipse illam mortem inferrem, vel saltem cooperarer ut ab altero inferretur, tunc a voluntate mea procederet, et mihi *voluntaria* esset simul et *volita*. Attamen *a voluntario* non omnino excluditur *obiectum volitum*, quatenus nempe ad illud obiectum *voluntarium*, h. e. ipse *voluntatis actus*, terminetur, et illud obiectum voluntas suo actu complectatur, et *actus* ipse, prout *in concreto* est, circa tale obiectum, a voluntate procedat. Quamvis vero non omne *volitum* sit etiam *voluntarium;* semper tamen *voluntarium* aliquo modo *volitum* est. Non potest enim aliquid a voluntate procedere, nisi aliquo modo obiectum voluntatis sit. Suaresius l. c. S. 1.

11. Cum *voluntarium* a voluntate procedat, quae est principium agenti intrinsecum, *voluntarium* convenit cum motu quolibet *naturali*, differt vero a *violento*. Ille enim a principio intrinseco, iste a principio extrinseco procedit. « Hoc autem, inquit S. Th. 1. 2. q. 6. a. 1. c. et ad 3., importat nomen *voluntarii*, quod motus et actus sit a *propria inclinatione*..... Est tamen communiter de ratione *naturalis* et *voluntarii* motus quod sint a *principio intrinseco* ». Et ib. a. 4.: « *Actus volun-*

tatis nihil aliud est quam inclinatio quaedam procedens *ab interiori principio* cognoscente, sicut *appetitus naturalis* est quaedam inclinatio *ab interiori principio*, et sine cognitione. Quod autem est *coactum*, vel *violentum*, est ab exteriori principio ». Et sic in 1. Petri loc. cit. dicitur: « Pascite, qui in vobis est gregem: providentes *non coacte*, sed *spontanee* secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed *voluntarie* ».

12. *Voluntarium* tripliciter sumi potest; 1°. sensu improprio pro *spontaneo;* 2°. sensu *proprio* et *stricto* pro *libero;* 3°. sensu proprio et ampliato pro quolibet *voluntatis actu*. *Spontaneum*, prout distinguitur a *voluntario* proprie tali dicitur, quod procedit ab appetitu sensili ex praevia cognitione sensili obiecti, in quod appetitus tendit. Etenim sicut appetitus naturae sequitur ex naturali forma, ita appetitus vitalis, elicitus, sequitur ex forma apprehensa, *actu* repraesentante obiectum. Formam intellectualiter apprehensam sequitur appetitus rationalis seu voluntas; formam sensibiliter apprehensam sequitur appetitus animalis, seu sensilis, bruto et homini communis. Id quod ex sensili appetitu procedit necessario quidem, sed ultro profluit, et ideo *necessarium* et *spontaneum* dicitur. S. Th. 1. 2. q. 1. a. 2., q. 8. a. 1., q. 30. a. 1.; Suarez in 1. 2. Tr. 2. D. 6. S. 4. *Voluntarium*, sensu proprio et stricto sumptum, pro *libero*, illud est quod *a voluntate* sese determinante ad actum procedit, cum potestate activa eiusdem voluntatis eliciendi vel non eliciendi actum, hunc vel alium actum eliciendi. Quare *liberum* essentialiter rationem simpliciter *voluntarii* includit. Suarez in 1. 2. Tr. 2. D. 1. S. 3. 6.; Lessius in q. 6. S. Th. a. 1., in q. 9. a. 1. D. 4. *Voluntarium*, sensu proprio et ampliato sumptum, pro *quolibet voluntatis actu*, illud generatim est quod procedit ab *appetitu spirituali* seu *rationali*, nempe a voluntate, cum praevia cognitione intellectiva obiecti.

13. S. Thomas in 1. 2. non aliud *voluntarium* videtur agnoscere quam in 1°. et 2°. sensu, quod *voluntarium* appellat secundum imperfectam et perfectam rationem. Hinc Angelicus Doctor tria ad perfecte et proprie *voluntarium* requirit. Primum est quod sit ab intrinseco principio, ex intrinseca inclinatione; *voluntas* enim, unde *voluntarium*, ut omnis appetitus, non est nisi quaedam inclinatio agenti intrinseca. « Appetitus nihil aliud est, quam quaedam inclinatio appetentis in aliquid ». 1. 2. q. 8. a. 1. Alterum est, quod ab intrinseco sit non tantum ipse voluntatis *motus*, sed etiam voluntatis motus *in finem*, cum « omnia agentia necesse sit agere propter finem »; 1. 2. q. 1. a. 2.: adeoque praevia *finis* cognitio requiritur. Tertium tandem est, quod ab intrinseco sit ipsa *applicatio* facultatis ad actum, quod nempe ipsamet facultas *sese moveat* ad finem, et *non moveatur ab alio*. Quare tunc ex Angelico Doctore voluntarium perfecte seu proprie habetur, cum ab intrinseco voluntatis sit *motus*, *motus in finem*, *determinatio*

motus in finem. Et hoc ultimum est ex Angelico Doctore *movere seipsum*, quod nullo modo confundendum est, ex doctrina S. Thomae, cum motu simpliciter ab intrinseco principio.

14. Operae pretium est afferre ipsa verba S. Doctoris, ut constet, an genuina sit interpretatio exposita eius doctrinae. « Eorum, quae *a principio intrinseco* moventur, quaedam *movent seipsa,* quaedam autem *non.* Cum enim omne agens, seu motum agat, seu moveatur *propter finem*, illa *perfecte* moventur *a principio intrinseco*, in quibus est aliquod intrinsecum principium, non solum *ut moveantur,* sed *ut moveantur in finem.* Ad hoc autem quod fiat aliquid propter finem requiritur *cognitio finis aliqualis. Quodcumque* igitur sic agit, vel movetur a principio intrinseco, quod habet *aliquam notitiam finis*, habet in seipso principium sui actus, non solum ut agat, sed etiam ut agat *propter finem.* Quod autem nullam notitiam finis habet; etsi in eo sit principium actionis, vel motus; non tamen eius, quod est agere, vel *moveri propter finem*, est principium in ipso, sed in alio, *a quo ei imprimitur principium suae motionis in finem.* Unde huiusmodi non dicuntur *movere seipsa*, sed *ab aliis moveri.* Quae vero habent notitiam finis dicuntur *seipsa movere;* quia in eis est principium non solum ut agant, sed etiam ut agant *propter finem.* Et ideo cum *utrumque* sit ab intrinseco principio, scilicet *quod agunt,* et quod *propter finem agunt*, horum motus et actus dicuntur *voluntarii.* Hoc autem importat nomen *voluntarii,* quod motus et actus sit a propria inclinatione. Et inde est quod voluntarium dicitur esse secundum definitionem Aristotelis et Gregorii Nysseni et Damasceni non solum, *cuius principium est intra*, sed cum additione *scientiae.* Unde cum homo maxime *cognoscat finem* sui operis et *moveat seipsum,* in eius actibus maxime *voluntarium* invenitur ». 1. 2. q. 6. a. 1. Et deinde a. 2.: « Sicut dictum est ad rationem *voluntarii* requiritur, quod principium actus sit intra *cum aliqua cognitione finis.* Est autem duplex cognitio finis, *perfecta* scilicet et *imperfecta. Perfecta* quidem finis cognitio est, quando non solum apprehenditur res, quae est finis, sed etiam cognoscitur ratio finis, et proportio eius, quod ordinatur ad finem ipsum. Et talis cognitio finis competit soli rationali naturae. *Imperfecta* autem cognitio finis est, quae in sola finis apprehensione consistit, sine hoc quod cognoscatur ratio finis, et proportio actus ad finem. Et talis cognitio finis reperitur in brutis animalibus per sensum, et aestimationem naturalem. Perfectam igitur cognitionem finis sequitur *voluntarium secundum rationem perfectam,* prout sc. apprehenso fine aliquis *potest*, *deliberans* de fine, et de his quae sunt ad finem, *moveri in finem*, vel *non moveri.* Imperfectam autem cognitionem finis sequitur *voluntarium secundum rationem imperfectam;* prout scilicet apprehendens finem *non deliberat*, sed subito movetur in ipsum. Unde soli ra-

tionali naturae competit *voluntarium* secundum rationem perfectam, sed *secundum rationem imperfectam* competit etiam brutis... Voluntas nominat rationalem appetitum : et ideo non potest esse in his, quae ratione carent. *Voluntarium* autem denominative dicitur a voluntate, et potest trahi ad ea, in quibus est aliqua participatio voluntatis secundum aliquam convenientiam ad voluntatem. Et hoc modo *voluntarium* attribuitur animalibus brutis; in quantum scilicet per cognitionem aliquam moventur in finem... Dicendum quod ex hoc contingit, quod homo est *dominus sui actus*, quod habet *deliberationem* de suis actibus. Ex hoc enim quod ratio *deliberans* se habet ad opposita, *voluntas in utrumque potest.* Sed *secundum hoc voluntarium* non est in brutis animantibus, ut dictum est ». Et a. 3. §. *Sed contra:* « Illud cuius *domini sumus* dicitur esse *voluntarium* ». Itemque q. 21. a. 2. affirmat S. D. *in omnibus actibus voluntariis* adesse in voluntate *dominium sui actus.*

15. Quando autem dicitur ab Angelico Doctore quod *voluntarium* secundum rationem perfectam exigit, quod praecognoscatur *ratio finis,* sensus non est, quod necesse sit scire *quid sit finis;* sed sensus est quod res, quae est finis, tanquam *finis* cognoscatur; hoc est ut terminus obtinendus per alias; ita ut harum tamquam mediorum, ad illam proportio praecognoscatur. Sic, e. g., mulier convivium praeparatura, praecognoscit *convivium* tamquam *terminum* suae *praeparationis.* Haec praeparatio ad illud est dirigenda. Quare ex convivio ratiocinando movetur ad praeparationem harum carnium, huius vini, hac hora, hoc loco, tamquam illi convivio obtinendo respondentium, adeoque harum rerum proportionem praecognoscit, et ideo hos cibos prae aliis, has potiones prae aliis eligit et praeparat.

16. *Proprie* autem et *stricte* tale *voluntarium* est non tantum *materialiter*, quia voluntarium ad *liberum* coarctatur; sed etiam *formaliter*, siquidem actus tunc, ut etiam dictum est, ab intrinseco principio est *simpliciter*, non tantum, quatenus voluntas *simpliciter agat*, et *propter finem agat,* verum etiam quatenus *ex seipsa determinetur* ad agendum *propter finem*, *cum in utrumque possit*, ut ait S. Thomas; vel, ut ait idem Angelicus Doctor, ipsamet est, quae *sese moveat, in finem.* Cum e contra ad actum, cuius ipsa non est *domina,* voluntas aliunde est quasi applicata, determinata, mota in finem, nempe ab ipso naturae instinctu, ab ipso Deo naturam conferente; *a quo imprimitur principium suae motionis in finem,* ut inquit S. Doctor. Unde ille actus, stricte et proprie loquendo, est *voluntarius*, iste potius dicendus *voluntatis.* Ille ex *potestate* voluntatis est, ex voluntate nempe quae *in utrumque potest;* iste ex voluntatis tantum *naturali inclinatione* est. Cum prior liber ille actus revera non sit circa *finem,* circa finem nempe necessarium, quem necessario volumus,

ipso naturali instinctu, sed circa media ad finem eligenda; hinc S. Thomas *voluntarium*, constanter coarctat ad liberam mediorum electionem.

17. « Cum utrumque sit ab intrinseco principio, scilicet, *quod agunt*, et *quod propter finem agunt,* horum motus et actus dicuntur *voluntarii* ». S. Th. 1. 2. q. 6. a. 1. Agere *propter finem,* ut per se patet, non est actus ipse, quo *finem* appetimus, sed est actus, quo eligimus et assumimus *medium,* seu aliquid *ut medium* ad finem. Et deinde l. c.: « Unde cum maxime cognoscat finem, et *moveat seipsum* (nempe in finem), in eius actibus maxime *voluntarium* invenitur ». Tendentia et motus in finem mediorum electione continetur. Et l. c. a. 2.: « Perfectam cognitionem finis sequitur *voluntarium*, secundum rationem perfectam, *prout* scilicet, apprehenso fine, aliquis *potest,* deliberans de fine, et de his quae sunt ad finem, *moveri in finem vel non moveri* ». Et q. 10. a. 1. S. Doctor *voluntarium naturali* contraponit in ipsis actibus voluntatis; ita ut alii sint *voluntarii* seu liberi, alii *naturales* ex ipsa intrinseca naturae necessitate. Ac ut *voluntas* fundatur, tamquam in suo principio, in ipsa *natura*, h. e. in ipsa hominis substantiali natura; ita actus *voluntarius* in actu voluntatis *naturali* fundatur, tamquam in suo principio; in actu nempe quo homo vult bonum in communi seu ultimum finem. Actus enim liber voluntatis, seu *voluntarius,* est circa determinatum bonum, et id quod est finem: *naturalis* autem actus est circa bonum in communi et finem ultimum. In omni autem volitione volitio boni in communi et volitio finis ultimi includitur, ut principium includitur in conclusione. S. Th. 1. 2. q. 9. a. 6., Caietan. in h. l.; S. Th. 1. 2. q. 10. a. 1., Caietanus in h. l.

18. Hinc, si nomine *voluntarii* intelligatur id quod est a voluntate, a se agente, seu se movente et applicante ad actum, id quod est a rationali appetitu tanquam auctore et domino, quod nomine *voluntarii* stricte et proprie venit, procul dubio *liberum* omnino de ratione voluntarii est. Si vero, nomine *voluntarii* intelligatur mere *actus voluntatis,* nempe *actus elicitus a voluntate,* vel *actus a voluntate elicitus secundum suam propensionem et inclinationem,* de ratione *voluntarii* liberum non est. Etenim 1.° voluntarium *imperfectum* ex imperfectione cognitionis, non raro est necessarium, ut videre est in motibus subitaneis. 2°. Amor beatificus est voluntarium *perfectum,* ex perfecta enim est obiecti cognitione, et ex voluntate, tota propriae naturae inclinatione amante Deum perfecte cognitum, et est necessarium. 3°. « *Naturaliter* homo vult non solum obiectum voluntatis, sed etiam alia, quae conveniunt aliis potentiis, ut cognitionem veri, quae convenit intellectui; et esse et vivere, et huiusmodi alia, quae respiciunt consistentiam naturalem, quae omnia comprehenduntur sub obiecto vo.

luntatis, ut quaedam particularia bona ». S. Th. 1. 2. q. 10. a. 1. « Dicendum quod finis ultimus de necessitate movet voluntatem, quia est bonum perfectum, et similiter illa, quae ordinantur ad hunc finem, sine quibus finis haberi non potest; sicut esse, et vivere, et huiusmodi ». S. Th. 1. 2. q. 10. a. 2. ad 3. Atque haec, perfecto etiam voluntatis actu, homo vult, — Tria ergo homo *naturaliter* vult: 1.° bonum in communi; 2.° beatitudinem, seu felicitatem; 3° omne conveniens volenti secundum suam naturam. Suarez in 1. 2. Tr. 2. D. 1. S. 3.

19. Iam vero, ut in rebus exterioribus *naturale* invenitur dupliciter, scilicet semper vel frequenter, ita et in voluntatis motibus *naturalibus*, utroque modo naturale invenitur. Nam ad quaedam obiecta, nempe ad primum et alterum, sic naturaliter est voluntas determinata, ut non possit aliquo modo velle oppositum. Ad quaedam autem sic *naturaliter* est inclinata, ut possit per accidens velle oppositum, et tale est tertium illud obiectum. Enimvero illud quod naturaliter homini convenit, ut esse et vivere et alia huiusmodi, dupliciter potest considerari. Primo haec inspici possunt ut *particularia quaedam bona*, secundum seipsa, et sic possunt, licet raro, a voluntate respui eo quod defectum habent annexum alicuius boni, quod appetitur, ut videre est in illis qui se interficiunt. Secundo considerari possunt ut sunt *necessario connexa cum beatitudine seu felicitate*, et sic quantum est *ex parte ipsorum* respui a voluntate non possunt. Quare, *si sufficienter et debito modo* ab intellectu cognoscantur, et voluntati proponantur, voluntas illa necessario *vult* et nolle non potest. Caietan. in q. 10. a. 1. 2.; Suarez in 1. 2. Tr. 2. D. 1. § 3.

20. Patet ex dictis discrimen inter *voluntarium* et *permissum*. Voluntarium est quod est ab intrinseco principio, nempe a voluntate; quae suo affectu, sua propensione, sua inclinatione in illud fertur, adeoque illud vere *vult*, et sua volitione *confert*, quantum potest, ut sit. « Hoc importat nomen *voluntarii*, quod motus et actus sit a propria inclinatione ». S. Th. 1. 2. q. 6. a. 1. « Actus voluntatis nihil aliud est, quam inclinatio quaedam procedens ab interiori principio cognoscente, sicut appetitus naturalis est quaedam inclinatio ab interiori principio, et sine cognitione ». S. Th. 1. 2. q. 6. a. 4. Et sic bonum, quod in mundo est, *voluntarium* est Deo; nam Deus illud vere vult, et sua confert voluntate, ut sit. Inimicorum expugnatio in arcis obsidione *voluntaria* est duci exercitus: nam illam vere vult, et sua confert voluntate, ut victi victoribus cedant. *Permissum* est, quod quis licet *non velit*, cum sit contra eius propriam propensionem et inclinationem, neque consequenter *aliquid sua voluntate positive confert ut sit*, *non vult* tamen, licet absolute possit, impedire; cum aliunde non teneatur id facere. Quare peccatum *voluntarium* non est Deo, sed tantum a Deo *permissum*, cum certe sit contra naturalem Dei pro-

pensionem et propriam eius inclinationem; neque aliquid Deus positive confert sua voluntate ut sit, sed illud tantum non impedit quamvis id facere possit, propter sapientissimas causas. Itemque « dicendum quod lex humana dicitur aliqua permittere, *non quasi approbans,* sed quia ea dirigere non potens ». S. Th. 1. 2. q. 93. a. 3. ad 3. Mors innocentium, in oppugnatione urbis, *voluntaria* non est duci exercitus, cum sit *praeter eius intentionem,* et affectum, et consequenter nihil ipse sua voluntate conferre positive potest ad eam; est vero ab ipso *permissa,* cum eam, ob sufficientes et rationales causas, non impediat, quamvis absolute possit, posset enim ab illa urbis oppugnatione desistere. Peccatum vero *voluntarium* est homini, et non tantum ab ipso *permissum.* « Dicendum, quod id, in quod voluntas tendit peccando, etsi sit malum, et contra rationalem naturam secundum rei veritatem, apprehenditur tamen ut bonum et conveniens naturae, in quantum est conveniens homini secundum aliqualem delectationem sensus, vel secundum aliquem habitum corruptum ». S. Th. 1. 2. q. 6. a. 4. ad 3. Et hoc modo voluntas in illud suo affectu inclinatur et fertur, illudque *vult:* « quando voluntas movetur ab appetibili secundum propriam inclinationem est motus *voluntarius* ». S. Th. 1. 2. q. 6. a. 4. ad 2.

21. Patet praeterea ex dictis quid sit *involuntarium. Involuntarium* voluntario opponitur. *Involuntarium* ergo tripliciter sumi potest. Primo et proprie pro *involuntario,* prout a *non voluntario* distinguitur, seu pro involuntario *contrarie.* Tale involuntarium « dicitur per hoc, quod voluntas *contrariatur ei,* quod fit, unde ad involuntarium sequitur tristitia ». S. Th. de Malo q. 3. a. 8. Quare *involuntarium contrarie* est illud, quod *in actu voluntario* est contra positivum voluntatis affectum. Secundo *involuntarium* sumitur pro *non voluntario.* « *Non voluntarium* dicitur per solam remotionem actus voluntatis ». S. Th. l. c. Porro remotio actus voluntatis dupliciter intelligi potest: primo *negative* pro mera negatione voluntarii. Huiusmodi sunt actus omnes, qui a voluntate neque *eliciuntur* neque *imperantur.* Secundo *privative,* quatenus actus caeteroquin voluntarius caret sub aliquo respectu conditione aliqua, requisita ad actum voluntarium, et sic ille *voluntarius* actus, dicitur simul actus *involuntarius* seu non voluntarius. *Involuntarium* ergo *privative,* illud est, quod, *in actu voluntario,* ex voluntario consensu non est, quatenus desit aliqua conditio voluntarii, nempe debita cognitio ex parte intellectus, et deliberatio ex parte voluntatis; quin tamen habeatur in voluntate contrarius affectus. « Unde, ait S. Th. l. c. ad *involuntarium* sequitur tristitia, quae tamen non consequitur semper ad *non voluntarium.* Contingit enim quandoque quod aliquis accedens ad non suam, quam credit suam esse, quamvis non *velit actu* ad non suam accedere, quia *nescit* eam esse non suam; tamen *vult habitu* et *vellet actu,* si sciret; unde cum

postea percipit eam non fuisse suam, non tristatur sed gaudet, nisi mutaverit voluntatem ». Quod si neque *vult habitu, neque vellet actu,* si sciret, non mere *non voluntarium,* sed *involuntarium* haberetur. Et ex hoc exemplo apparet quomodo *involuntarium* et *non voluntarium privative* non nisi *in actu voluntario* verificetur, dum ad *non voluntarium* mere *negative* nullus praerequiratur voluntatis actus.

22. Si in *involuntario* contrarius ille voluntatis affectus est *de se efficax* ad impediendum contrarium motum, quantum est *ex parte operantis,* et res ita voluntati displiceat, ut *nullo modo* eam velit, habetur *simpliciter involuntarium.* Si vero ille affectus est simplex affectus *de se non efficax* ad impediendum contrarium actum, vel res ita sane voluntati non displiceat, et eam voluntas *aliquo saltem modo* velit, habetur tunc *involuntarium secundum quid.* Hinc desumi potest indicium de consensu vel dissensu voluntatis quoad tentationes repellendas; de resistentia iisdem voluntatis perfecta vel imperfecta; ita ut licet forte mortale peccatum excludatur, non excluditur tamen defectus, negligentia quaedam, et veniale peccatum. S. Th. 1. 2. q. 6. a. 6. ad 3., a. 7. ad 2.

23. Cum voluntarium voluntatis actu habeatur, variae hic moventur quaestiones de *obiecto* huius actus, de ipsa *voluntate* de potentia ad actum transeunte, de ipso voluntatis *actu* ad voluntarium requisito. Et primum quoad obiectum quaeritur: an voluntas versetur tantum circa bonum. — Affirmative respondendum. Ratio: voluntas est appetitus rationalis. Atqui omnis appetitus non est nisi *boni:* quia appetitus nihil aliud est, quam quaedam inclinatio appetentis in aliquid. « Nihil autem inclinatur, nisi in aliquid *simile* et *conveniens.* Cum igitur omnis res, in quantum est ens, et substantia sit quoddam *bonum,* necesse est, ut omnis inclinatio sit *in bonum* ». S. Th. 1. 2. q. 8. a. 1. Cum autem unaquaeque potentia se extendat ad ea, in quibus inveniri potest quocumque modo ratio sui obiecti; ratio autem *boni* invenitur non solum in *fine,* sed etiam *in his quae sunt ad finem;* ad haec omnia voluntas se extendit, S. Th. ib. a. 2. Verum cum voluntas tendat *in bonum apprehensum,* « ad hoc quod voluntas in aliquid tendat, non requiritur, quod sit bonum in rei veritate, sed quod apprehendatur in ratione boni ». S. Th. ib. a. 1. Voluntas ergo versari quidem potest circa *malum,* tanquam *obiectum materiale,* minime vero tanquam *obiectum formale.* Cum autem eadem potentia sit oppositorum, sed non eodem modo se habens ad utrumque, voluntas et *ad bonum* et *ad malum* se habet; ad bonum appetendo ipsum, ad malum vero fugiendo illud. Hinc, cum voluntas quidquid velit aut faciat, velit aut faciat, quia bonum vel propter bonum, bonum et finis convertuntur, et obiectum voluntatis *bonum* et *finis* dicitur esse. S. Th. ib. ad 1., q. 1. a. 2. ad 3. — Cf. Becanum de Beat. et actib. hum. C. 2. q. 7.; Lessium in l. c. S. Th.

24. Porro *bonum,* in quod tendit voluntas, non tantum *apprehensum* esse debet, sed et *determinatum*, et *possibile.* — Voluntarium primo esse non potest nisi de re *determinata.* Voluntas enim nonnisi in bonum movetur; bonum autem rationem finis habet. « Cum bonum sit quod omnia appetunt, hoc autem habet rationem finis; manifestum est, quod bonum rationem finis importat ». S. Th. 1. p. q. 5. a. 4. Atqui finis non nisi aliquid certum et determinatum est. Et ideo ille, qui vult sponsalia contrahere cum qualibet ex duabus, non contrahit, et sacerdos, qui vult ex pluribus hostiis unam quamcumque consecrare, non consecrat. Sanch. de Matrim. l. 1. D. 26. S. 1., Rubr. Miss. *De Defect.* § VII. n. 1. — Voluntarium praeterea esse non potest de re *impossibili.* Etenim « voluntas est appetitus quidam rationalis; omnis autem appetitus non est nisi boni. Cuius ratio est, quia appetitus nihil aliud est, nisi quaedam inclinatio in aliquid. Nihil autem inclinatur nisi in aliquid *simile* et conveniens ». S. Th. l. 2. q. 8. a. 1. — Quamvis, autem voluntatis obiectum esse debeat bonum possibile; non est tamen necessarium, ut hoc bonum sit etiam existens, quia cum solum moveat voluntatem metaphorice per cognitionem, satis est quod animo apprehendatur, et in imaginatione repraesentetur. Non enim movet voluntatem, nisi quatenus per intellectum iudicatur conveniens seu bonum.

25. Praestituto quod voluntarium esse debeat de possibili bono, potestne voluntarium saltem esse de re non facto, sed iure impossibili? — De re quoad *factum* ipsum impossibili voluntarium esse non potest, ut ex dictis constat, Cf. n. 24., si quis recte utatur ratione. Hinc nemo potest serio velle manu tangere spatium vacuum extra mundum. De re quoad *ius* tantum impossibili quaestio est, v. g, matrimonium contrahere cum habente impedimentum dirimens, consecrare aquam, baptizare cum vino, etc. Sed affirmandum videtur; siquidem voluntas in ipsum *factum* fertur, neque necessario ferenda simul est in *ius,* vel in *factum* nonnisi dependenter a *iure.* Et sic qui contrahit matrimonium cum impedimento dirimente ignorato, qui matrimonium etiam attentat coram magistratu civili, vere matrimonium vult, quantum in se est, contrahere. Unde est quod Ecclesia deinde aliquando dispensat in radice, non renovato nempe consensu, et matrimonium convalidat. Sanch. de Matrim. l. 2. D. 33. Et sane C. *Ex sponsalibus* un. *de Spons.* in 6. dicitur: « ex sponsalibus puris et certis, etiamsi consanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, religionis aut alia quavis ratione *sint nulla,* dummodo non sint nulla *ex defectu consensus,* oriri... impedimentum iustitiae publicae honestatis ». Ergo aperte supponitur verus consensus cum impedimento dirimente.

26. A voluntatis *obiecto* ad ipsam voluntatis facultatem progredimur, de potentia ad actum transeuntis.

Hinc quaestio prima exoritur: an voluntas *moveatur* ab intellectu? — Voluntas minime movetur ab intellectu quoad *exercitium actus*. Ratio est, quia voluntas est inclinatio in bonum totius suppositi, aliae vero facultates sunt inclinationes in aliquod bonum particulare suppositi. Atqui inclinatio in bonum totius debet movere et incitare inclinationes particulares; quia bona particularia debent referri ad bonum totius, et non viceversa; sicut causa quae respicit finem universalem movet causas, quae respiciunt fines particulares. Ergo « ad voluntatem pertinet movere alias potentias *ex ratione finis*, qui est voluntatis obiectum ». S. Th. 1. 2. q. 9. a. 3. Cum ad voluntatem spectet *primum principium finale*, ipsa primum movens in homine est. S. Th. 1. 2. q. 9. a. 1., q. 11. a. 1. ad 2. Cf. Caietan. in 1. 2. q. 9. a. 1.; Suarez in 1. 2. Tr. 2. D. 6. S. 7. Verum intellectus movet voluntatem *quoad specificationem actus*. Etenim intellectus est, qui voluntati proponit obiectum. « Sed *obiectum* movet determinando actum ad modum principii formalis, a quo in rebus naturalibus actio specificatur ». S. Th. 1. 2. q. 9. a. 1. *Ad modum principii formalis*, quia non est principium formale intrinsecum sed extrinsecum, non tamen separatum, ut idea seu exemplar, sed coniunctum.

27. Altera sequitur quaestio: an voluntas moveatur ab appetitu sensitivo? — Negative respondendum *quoad exercitium actus* ob eandem rationem superiore numero adductam. S. Th. 1. 2. q. 9. a. 1. Verum sensus movet voluntatem non directe et immediate, sed *indirecte* et *mediate*, dispositionem inducens in subiectum volens, quoad specificationem actus. Etenim « id quod apprehenditur sub ratione boni et convenientis movet voluntatem per modum obiecti. Quod autem aliquid videatur bonum et conveniens ex duobus contingit; scilicet ex conditione eius, quod proponitur; et eius, cui proponitur. Conveniens enim secundum relationem dicitur, unde ex utroque extremorum dependet. Et inde est, quod gustus diversimode dispositus non eodem modo accipit aliquid ut conveniens, et ut non conveniens. Unde Philos. dicit, in 3. Etic. cap. 5. a med. to. 5., *Qualis unusquisque est talis finis videtur ei*. Manifestum est autem quod secundum passionem appetitus sensitivi immutatur homo ad aliquam dispositionem, unde secundum quod homo est in passione aliqua videtur sibi aliquid conveniens, quod non videtur ei extra passionem existenti: sicut irato videtur bonum quod non videtur quieto; et per hunc modum *ex parte obiecti* appetitus sensitivus movet voluntatem ». S. Th. 1. 2. q. 9. a. 2. Neque vero obstat, quod movens non movetur ab eo quod movet, ita ut sit motio reciproca. Voluntas autem appetitum movet sensitivum, in quantum rationi obedit. Etenim respondet S. Th. l. c. ad 3.: « Dicendum, quod ratio, in qua est voluntas movet suo imperio irascibilem et concupiscibilem, non quidem despotico princi-

patu, sicut movetur servus a domino, sed principatu regali seu politico; sicut liberi homines reguntur a gubernante, qui tamen possunt contra movere. Unde et irascibilis, et concupiscibilis possunt in contrarium movere voluntatem. Et sic nihil prohibet voluntatem aliquando ab eis moveri ». Cf. S. Th. l. c. a. 5.; Suarez Tr. 2. D. 6. S. 6. 7.: Caietan. in q. 9. a. 2.

28. Apposite S. Thomas 1. 2. q. 9. a. 1.: « Dicendum quod in tantum aliquid indiget moveri ab aliquo in quantum est in potentia ad plura. Oportet enim, ut id quod est in potentia *reducatur in actum* per aliquid quod est in actu, *et hoc est movere.* Dupliciter autem *aliqua vis animae* invenitur esse in potentia ad diversa; uno modo quantum ad agere, vel non agere, alio modo quantum ad agere hoc vel illud; sicut visus quandoque videt actu, et quandoque non videt; et quandoque videt album, et quandoque videt nigrum. Indiget igitur movente *quantum ad duo*; scilicet quantum *ad exercitium vel usum actus*, et quantum ad determinationem actus; quorum *primum est ex parte subiecti,* quod quandoque invenitur *agens, quandoque non agens; aliud* autem est *ex parte obiecti,* secundum quod specificatur actus. Motio autem *ipsius subiecti est ex agente aliquo.* Et cum omne agens agat *propter finem,* ut supra ostensum est q. 1. a. 2., *principium huius motionis est ex fine.* Et inde est, quod ars, ad quam pertinet *finis*, *movet suo imperio* artem, ad quam pertinet id quod est ad finem, sicut gubernatoria ars imperat navifactivae .... *Bonum autem in communi, quod habet rationem finis, est obiectum voluntatis.* Et ideo *ex hac parte voluntas movet alias potentias animae ad suos actus. Utimur enim aliis potentiis, cum volumus.* Nam fines et perfectiones omnium aliarum potentiarum *comprehenduntur sub obiecto voluntatis*, sicut quaedam *particularia bona.* Semper autem ars vel potentia, ad quam pertinet finis universalis, movet ad agendum artem vel potentiam, ad quam pertinet finis particularis, sub illo universali comprehensus: sicut dux exercitus, qui intendit bonum commune, scilicet ordinem totius exercitus, *movet suo imperio* aliquem ex tribunis, qui intendit ordinem unius aciei ». Voluntas ergo ex Angelico Doctore non movetur *quoad exercitium* actus neque ab intellectu neque a sensu. Sed e contrario ipsa est, quae movet quoad exercitium actus alias facultates. Hinc idem S. Doctor l. c. ad 3. adhuc clarius ait: « Dicendum quod *voluntas movet intellectum, quantum ad exercitium actus;* quia et ipsum verum, quod est perfectio intellectus continetur *sub universali bono,* ut quoddam bonum particulare ».

29. Cum voluntas, ut dictum est, ab inferiori appetitu, aliquo modo moveatur, quaestio alia inde exsurgit: utrum voluntas moveatur de necessitate ab inferiori appetitu. — Dicendum, quod aut ratio totaliter ligatur per passionem sensilis appetitus, aut ratio non totaliter

absorbetur a passione, sed remanet, quantum ad aliquid, iudicium rationis liberum. Si primum verificatur, non est tunc aliquis rationis motus, et per consequens nec voluntatis. Si alterum locum habet, secundum quod remanet liberum iudicium rationis, quantum ad aliquid, remanet consequenter aliquid de motu voluntatis. « In quantum ergo ratio manet libera, et passioni non subiecta, in tantum voluntatis motus, qui manet, non ex necessitate tendit ad hoc, ad quod passio inclinat. Et sic, aut motus voluntatis non est in homine, sed sola passio dominatur; aut si motus voluntatis sit, non ex necessitate sequitur passionem ». S. Th. 1. 2. q. 10. a. 3. Quare etsi voluntas non possit facere, quin motus concupiscentiae insurgant; potest tamen non velle concupiscere, aut concupiscentiae non consentire. Etenim, quamvis ratio obnubiletur a passione, remanet tamen aliquid rationis liberum. Et secundum hoc potest aliquis vel totaliter passionem repellere, vel saltem se continere ne passionem sequatur. Quandoque quidem pars sensitiva totaliter subiicitur rationi, sicut contingit in virtuosis et sanctis. Quandoque e converso ratio totaliter absorbetur a passione, sicut contingit in his, qui propter vehementem iram vel concupiscentiam furiosi vel amentes fiunt, de talibus eadem est ratio ac de animalibus brutis, quae ex necessitate impetum passionis sequuntur. Multa vero volumus et operamur absque passione sensitivi appetitus, per solam electionem rationalis appetitus, ut patet in illis in quibus ratio renititur passioni. S. Th. l. c. ad 1. 2. 3.

30. Cum voluntas neque ab intellectu neque a sensu ad exercitium vel usum actus moveatur, quaeritur nunc: an voluntas moveat seipsam ad actum. — Quoad *specificationem actus,* voluntas ab obiecto movetur, ut iam ex dictis n. 26. constat. *Quoad exercitium actus*, voluntas se movet in volitione mediorum. Nam se movere est se reducere, se applicare, se determinare ex potentia ad actum, ad finem se ordinando. Atqui voluntas quoad volitionem mediorum in finem, quia libera est et dominium habet actus, ipsamet est, quae se determinat ad actum, et se ordinat ad finem. Ergo. E contra ab exteriori principio, quod ipsa voluntatis causa est, movetur, *quoad exercitium actus*, in prima volitione finis. Nam in hac volitione voluntas non ipsamet est, quae se determinat ad actum, seque ordinat ad finem; sed determinata est ab ipso naturali instinctu voluntatis, accepto ab exteriori principio, nempe a Deo. Hinc principium motuum *voluntariorum* aliquid est *naturaliter volitum*, quod est bonum in communi, ipse finis ultimus, et universaliter omnia illa, quae conveniunt volenti, secundum suam naturam. Haec autem varia obiecta voluntas non semper vult actu, licet semper praedictum habeat naturalem instinctum, « sed solum quando est in aliqua dispositione determinata », qua praedicta naturalis virtus ad actum tunc excitatur. S. Th. 1. 2. q. 10. a. 1. c. ad 1. 2.

31. Quod secundum S. Thomam voluntas *moveat seipsam quoad exercitium actus in volitione mediorum* id clarissime affirmatur in 1. 2. q. 9. a. 3., ubi Angelicus Doctor ex professo hanc pertractat quaestionem: utrum voluntas moveat seipsam. In par. *Sed contra*, ait: « quia voluntas *domina* est sui actus, et *in ipsa est velle et non velle:* quod non esset, si non haberet *in potestate movere seipsam ad volendum:* Ergo ipsa movet seipsam ». Et deinde respondet: « Dicendum quod.... ad voluntatem pertinet *movere* alias potentias *ex ratione finis,* qui est voluntatis obiectum. Sed... hoc modo se habet finis in appetibilibus, sicut principium in intelligibilibus. Manifestum est autem, quod intellectus per hoc quod cognoscit principium *reducit seipsum de potentia in actum,* quantum ad cognitionem conclusionum. Et hoc modo *movet seipsum.* Et similiter voluntas, per hoc quod vult finem, *movet seipsam ad volendum ea, quae sunt ad finem* », ab actu ad actum transiens. Et ad 1.: « Dicendum, quod voluntas non secundum idem movet et movetur. Unde nec secundum idem est in actu, et in potentia; sed *in quantum actu vult finem, reducit se de potentia in actum respectu eorum, quae sunt ad finem,* ut scilicet actu ea velit ». Idem patet ex 1. 2. q. 1. a. 2.: « Dicendum, quod *omnia agentia necesse est agere propter finem.* Causarum enim ad invicem ordinatarum, si prima subtrahatur, necesse est alias subtrahi. *Prima* autem inter omnes causas est *causa finalis.* Cuius ratio est, quia *materia* non consequitur *formam,* nisi secundum quod *movetur ab agente.* Nihil enim *reducit se de potentia in actum. Agens* autem *non movet, nisi ex intentione finis.* Si enim *agens* non esset *determinatum ad aliquem effectum,* non magis ageret hoc, quam illud. Ad hoc ergo quod determinatum effectum producat, necesse est, quod *determinetur ad aliquid certum,* quod habet *rationem finis.* Haec autem *determinatio* sicut *in rationali natura per rationalem fit appetitum,* qui dicitur *voluntas;* ita in aliis fit *per inclinationem naturalem,* quae dicitur appetitus naturalis ». Subdit deinde S. Th. ea quae iam relata sunt n. 1., et in c. ad 1. 2. ait, quod homo est *seipsum ad finem movens;* quod *illa quae rationem habent seipsa movent ad finem, quia habent dominium suorum actuum;* quod *proprium est naturae rationalis,* ut *tendat in finem, quasi se agens, vel ducens ad finem;* quod *homo per seipsum agit propter finem;* quod *homo ordinat in finem* et *seipsum agit in finem.* Sermo quidem hic est de volitione mediorum. Tractat S. Th. quaestionem: utrum *agere propter finem* sit proprium rationalis naturae. Iam vero *agere propter finem,* est velle et assumere aliquid ut medium proportionatum ad finem assequendum. Et idem est *movere se ad finem, tendere in finem, se agere vel ducere ad finem, ordinare in finem;* et, ut habet idem S. D. 1. 2. q. 9. a. 3. ad 3., *moveri a seipsa secundum rationem finis;* ait enim, voluntas, movetur *a seipsa quantum ad exercitium actus,*

secundum rationem finis. Ac ibid., proposita difficultate secunda: « Mobile movetur ad praesentiam moventis. Sed voluntas semper sibi est praesens. Si ergo *seipsam moveret*, semper moveretur, quod patet esse falsum », respondet: « Ad secundum dicendum, quod *potentia voluntatis semper actu est sibi praesens: sed actus voluntatis, quo vult finem, aliquando non semper est in ipsa voluntate. Per hunc autem modum movet seipsam.* Unde non sequitur, quod semper seipsam moveat; » siquidem volens actu finem movet se ad media volenda.

32. *Ad volitionem finis* quod spectat, 1. 2. q. 9. a. 4. S. Doctor quaerit: utrum voluntas moveatur ab aliquo exteriori principio; et respondet, motionem distinguendo *quoad specificationem* et *quoad exercitium,* inquiens: « Dicendum, quod *secundum quod voluntas movetur ab obiecto,* manifestum est, quod *moveri potest ab aliquo exteriori.* Sed *eo modo quo movetur, quantum ad exercitium actus, necesse est ponere voluntatem ab aliquo principio exteriori moveri.* Omne enim, quod quandoque est *agens* in actu, et quandoque in potentia indiget moveri ab aliquo movente. Manifestum est autem, quod voluntas incipit velle aliquid, cum hoc prius non vellet. Necesse est ergo, quod *ab aliquo moveatur ad volendum.* Et quidem sicut dictum est art. praec. *ipsa movet seipsam in quantum per hoc quod vult finem reducit seipsam ad volendum ea, quae sunt ad finem.* Hoc autem non potest facere, *nisi consilio mediante.* Cum enim aliquis vult sanari, incipit cogitare, quomodo hoc consequi possit; et per talem cogitationem pervenit ad hoc, quod potest sanari per medicum, et hoc vult; sed quia non semper sanitatem actu voluit, necesse est, quod *inceperit velle sanari ab aliquo movente;* (hoc est, aliquod principium fuerit ei causa cur inceperit velle). Et si quidem *ipsa moveret seipsam ad volendum,* oportuisset, quod *mediante consilio* hoc ageret ex aliqua voluntate praesupposita, non autem est procedendum in infinitum. *Unde necesse est ponere, quod in primum motum voluntatis voluntas prodeat ex instinctu alicuius exterioris moventis* ». Hoc autem exterius movens, ut habetur ex art. 6. Deus est.

33. Ut haec declarentur notandum est, quod *voluntatem se movere* dupliciter sumi potest, 1.° prout *mere* significat, quod de potentia *volitionis* ad actum *volendi* transeat; potestate activa voluntatis ad id sufficiente in proprio ordine, nempe in ordine causae secundae, quin requiratur aliud movens quasi supplens *defectum facultatis activae* voluntatis, in illo ordine causae secundae. Et hoc sensu, sive agatur de volitione mediorum, sive agatur de volitione finis, « certum est, ait Cajetanus in l. c., quod *ad volendum* sufficit voluntas cum obiecto ». Sive voluntas *velit finem* sive *velit media,* semper *vult,* et eadem semper est *vis* voluntatis *activa;* neque maior *vis activa* requiritur ad volendum unum, quam ad volendum aliud. Unde etiam patet, quod si *hoc sensu,*

ex Angelico Doctore, voluntas *movet seipsam* in volitione mediorum voluntas etiam *movet seipsam* in volitione finis. Praeter igitur hunc sensum, ordinarium et patentem, est alius peculiaris et magis intimus sensus. Voluntatem *sese movere* significare potest non tantum *voluntatem velle,* sed *voluntatem agere,* et sese reducere et applicare *ad agendum,* et idem non est *velle* ac *agere, movere;* neque illud quod sufficit ad *volendum* sufficit ad *agendum,* ad *movendum.* Ad *volendum* sufficit, ut dictum est *voluntas* et *obiectum;* sed ad *agendum* aliud requiritur; nam requiritur etiam *finis; agere* enim est *propter finem.* « Omnia *agentia* necesse est *agere propter finem* ». Immo *praerequiritur* tempore vel natura *appetitus finis.* « Prima inter omnes causas est *causa finalis... Agens non movet* nisi *ex intentione finis* » S. Th. 1. 2. q. 1. a. 2. Ad *sese movendum* h. e. ad sese determinandum ad actum praerequiritur item finis, appetitus nempe finis. Et ratio est clara, quia *agens, movendo se,* i. e. sese reducendo de potentia *agendi* ad actum *agendi,* sese reducit ab illa potentia *ad certum actum,* ad *actum determinatum,* et id nonnisi *ex intentione finis* esse potest. S. Th. ib. Unde est etiam quod hoc sensu voluntas tunc tantum se movet, quando ab uno actu procedit in alium, ex intentione finis ad electionem mediorum. Atque hoc sensu S. Th. sumit illud *voluntatem se movere,* et supra hoc, *quod agens agit propter finem,* et super *motu,* qui est *actus mobilis a movente,* aedificat totam suam doctrinam. Cajet. in q. 9. a. 4.

34. Et hoc revera significat *voluntatem sese movere,* nam, ut patet, non significat *voluntatem* simpliciter *velle;* sed significat voluntatem *a se agentem,* nempe voluntatis vim causativam seu causalitatem, sese applicantem *ad agendum;* et ad hoc non sufficit voluntas cum obiecto, sed exigitur voluntas, naturâ vel tempore *praevolens* finem, ut iam dictum est. Quare illud *sese movere* vel *a se agere* non importat in hoc sensu, ut in priori, exclusionem alterius moventis, quasi suppeditantis vires ad agendum, sed excludit tantum applicationem ad agendum ex intentione finis, a movente exteriore factam: ipsamet voluntas, *domina sui actus,* ex praevia finis intentione sese applicat ad agendum, seu ad volenda media. *Voluntas* **per hoc quod vult finem movet seipsam ad volendum ea quae sunt ad finem...** *In quantum actu vult finem reducit se de potentia in actum respectu eorum, quae sunt ad finem, ut scilicet. acta ea velit... Voluntas a seipsa movetur secundum rationem finis.* S. Th. l. c. Unde satis superque patet S. Thomam a praevia *finis* volitione repetere quod voluntas *a se agat,* seu *sese moveat.* Quod quidem non verificatur in prima volitione finis; et ratio a S. Doctore adducta bene nunc intelligitur, cur licet voluntas sese moveat in volitione mediorum, non sese movet etiam in ipsa volitione finis, in prima nempe volitione finis, quia *si quidem ipsa moveret seipsam ad volendum* finem, *oportuisset quod mediante consilio hoc ageret,* nempe ex praevolitione

seu intentione *finis*, hoc enim est *ex consilio* agere, sicut cognoscere mediante *syllogismo et ex principiis* idem est; et consequenter *ex aliqua voluntate* finis *praesupposita;* quod esset procedere in infinitum. Quare necesse est, quod *in primum motum voluntatis* circa finem *voluntas prodeat ex instinctu alicujus exterioris moventis,* nempe Dei, hoc est ex instinctu ipso propriae naturae voluntatis, tendentis ad bonum, dato quidem ab exteriori principio, non accepto ab obiecto, sed a Deo, causa efficiente et creante voluntatem cum propria sua natura: Quare in prima volitione finis non ipsamet sese movet, a se agit, quasi domina actus *sese ordinans, agens, ducens, dirigens in finem,* sed voluntas in hac volitione movetur et agitur, ab exteriori movente ordinata et directa, nempe a Deo. Apposite Cajetanus in l. c. « Et hic actus (volitionis finis) dicitur esse ab exteriori agente... quia *ad hunc actum voluntas non concurrit, ut propter finem agens,* sed ut ad finem tendens *ex directione superioris agentis,* ordinantis ipsam *in hoc.* Et propterea hic actus licet sit velle, et voluntatis, et a voluntate, ut eliciente actum: non tamen est *voluntarius:* quia non est a voluntate, ut applicante se ad volendum, sed *naturalis;* quia dator naturae applicat ipsam mediante inclinatione, data ad volendum. Oportet enim, ut in littera dicitur, dari processum in infinitum *in voluntariis,* nisi deveniatur ad unum non voluntarium, sed *naturalem* actum voluntatis, in quo sit status ». Cf. C. Gentes l. 2. C. 48., l. 3. C. 88. 89.; Cajetan. in 1. 2. q. 9. a. 4.

35. Caeterum nullum revera dubium esse cuiquam potest de mente S. Doctoris, si recordetur quis textuum, qui iam relati sunt superioribus numeris, quibus explicat S. Doctor quid ipse intelligat per *se movere et moveri;* cum explicat discrimen agentis rationalis et irrationalis; ubi ait *sese movere* esse *se ordinare in finem,* quod facit natura rationalis, *moveri* vero *ordinari ab alio in finem,* nempe a Deo, quod in natura irrationali verificatur: quare ex S. Doctore *sese movere,* est sese movere in finem; *moveri,* est item *moveri* in finem, quod aliquando S. Doctor explicite dicit, aliquando brevius, implicite tantum; terminus illius motus, non praecise *actus,* sed *actus ad finem est;* aliud enim est sese movere, praecisive loquendo, *ad actum,* aliud *ad certum actum,* et consequenter ad finem, S. Th. 1. 2. q. 1. a. 2.: nam reapse non est actus et motus ut sic, sed actus et motus ad finem. Et sic S. Th. 1. 2. q. 1. a. 2. explicite ait: « Illa quae rationem habent *seipsa movent* **ad finem....,** illa quae ratione carent tendunt **in finem, propter naturalem inclinationem, quasi** *ab alio mota* ». Et 1. 2. q. 6. a. 1.: « Quod nullam notitiam *finis* habet, etsi in ipso sit principium *actionis vel motus,* non tamen eius, quod est agere vel moveri *propter finem,* est principium in ipso, sed in alio, a quo ei imprimitur principium suae *motionis in finem.* Unde huiusmodi non dicuntur *movere seipsa,* sed ab

aliis moveri. Quae vero habent notitiam *finis,* dicuntur *seipsa movere,* quia in eis est principium non solum *ut agant,* sed etiam *ut agant propter finem* ».

36. Iamvero potentiae sunt duplicis ordinis. Quaedam sunt, quae *solo proprio actu* exercentur, ut sunt omnes potentiae naturales et animales, quae *superiori voluntatis nostrae imperio* non subsunt. Quaedam vero sunt, in quibus usus proprii actus ab actu ipso distinguitur: tales sunt omnes potentiae naturales et animales, quatenus subsunt *superiori imperio,* et *usui,* quibus nempe *utimur cum volumus. Imperium* enim est actus voluntatis, ut moventis ad actum, *usus* actus item voluntatis ut applicantis vires exsecutivas, et earumdem virium, ut exsequentium. Potentiae primi ordinis ab eodem motore habent simpliciter *operari,* et *operari hoc;* exercitium, et speciem actus. Usus seu ordinatio in finem non habetur nisi a primo et universali motore seu a Deo, naturam dante seu causante. Potentiae vero secundi ordinis, ut patet, ab alio motore habent exercitium et usum actus, eiusque ordinationem ad finem, et ab alio habent actum specificum, seu specificatum: quia usus et exercitium actus aliud est ab actu specificato. Porro Angelicus Doctor per *exercitium actus* intelligit *usum* proprie dictum, qui est actus voluntatis, ut principii moventis et applicantis potentias executivas, *et* harum earumdem potentiarum, ut exequentium. Quare per esse in potentia ad agere et non agere, non intelligit potentiam ad ipsum *suum* agere et non agere, *secundum seipsa;* sed potentiam ad agere et non agere, *secundum quod subsunt usui,* ed *activae ordinationi ad finem.* Potentia enim visiva e. g. si referatur ad videre et non videre ut sic, et videre hoc, puta album vel nigrum, ab eodem motore, puta albo, reducitur et in actum videndi et in actum videndi album. Et hoc est comparare potentiam ad solum *suum* actum et obiectum, *secundum se.* Si autem referatur ad videre et videre album, *ut subest usui;* sic cum usus sit actus potentiae visivae non secundum se, sed ut exsequentis voluntatem praecipientem usum, sic alio eget motore ad hoc, quod reducatur in actum usus, et ordinationis in finem, et alio ad hoc ut reducatur in actum suae propriae speciei. Non ergo visus *secundum se* eget duplici motore, altero ad hoc ut videat, et altero ad hoc ut videat album. Et simile est in aliis naturalibus rebus. Ab eodem motore utrumque habetur, et quod operentur et quod hoc operentur. Ac rationem suffragari ex eo patet quod *in concreto* non est quidem duplex realis potentia ad duplicem realem actum, potentia una ad *agendum* et potentia altera *ad agendum hoc;* sed est unica potentia ad unicum adaequatum actum, exigentem unicum adaequatum motorem; nempe ut ille *actus* in re esse non potest *actus,* quin simul sit *hic actus,* ita *motor* movere non

potest *aa actum*, quin simul moveat *ad hunc actum;* et viceversa movere non potest *ad hunc actum*, quin simul moveat *ad actum*. Non ergo eget una potentia duobus motoribus e regione diversis quales sunt *ex parte obiecti, et ex parte subiecti*. Et confirmatur: nam posita potentia *activa*, de se sufficiente ad actum, et *obiecto*, si non desint alia omnia praerequisita ad agendum, potentia illa, quia activa et sufficiens est, exserit suas vires et agit, neque extrinseco vel intrinseco alio eget motore. Sic in praesenti quaestione, voluntatem velle e. g., est voluntatem elicere actum volitionis. Posita voluntate, facultate ex se activa, et ipsi ex parte intellectus sufficienter obiecto proposito; voluntas in actum reducitur, sua propria vi, quin ulla alia vel extrinseca vel intrinseca vis motrix ad actum eam impellat. Ceterum difficultas rediret de ista alia vi motrice, quae et ipsa alia vi motrice indigeret, et sic in infinitum. Hinc, ut patet, non ideo escluditur Dei ad agendum necessarius concursus, qui ex alia requiritur ratione, quia nempe ut creatura a Deo pendet in suo esse, ita a Deo etiam pendet in suo operari.

37. Quare, praeter motorem ex parte obiecti, extrinseco motore ex parte subiecti opus non est, ut potentia simpliciter operetur, seu ut determinetur ad operandum. Secus voluntas, in actibus naturalibus necessariis, non esset sufficiens vis activa ad volendum, et in actibus liberis non amplius *in utrumque posset*, neque *domina esset actus*, *neque ipsamet se determinaret ad actum*, ut quam pluribus in locis tradit ipse S. Thomas. Motore ergo ex parte subiecti opus est tantum, ut potentia *agat,* id est agat *propter finem,* et *ad finem ordinetur*. Stat ergo quod unica potentia, *secundum se,* egeat uno motore; et, *ut subest alteri,* eget alio, ut patet. Ac S. Thomas 1. 2. q. 9. a. 1., Cf. n. 28., quando necessitatem adstruit motoris ex parte subiecti non loquitur generatim de qualibet potentia, quae simpliciter transeat de potentia ad actum, ut alioquin esset eius doctrina intelligenda in generalissimo sensu, sed loquitur de *vi animae*. Loquitur autem de *viribus animae* non absolute *secundum se,* sed loquitur de hisce potentiis, *quibus utimur cum volumus;* adeoque *prout substant* superiori potentiae; nec loquitur simpliciter *de exercitio actus,* sed *de exercitio seu usu* actus, eiusque ordinatione in finem, ut patet ex ratione adducta *ex fine,* et ex *generaliore fine,* qui movet ad media et ad particulares fines; siquidem ista motio, alterius superioris facultatis omnino est, quatenus nempe ars vel facultas, ad quam pertinet finis vel finis universalior movet aliam sibi subordinatam, ad quam pertinet medium, vel finis particularis; unde huius motio non est simpliciter *secundum se,* sed secundum quod *substat priori facultati* et ordinationi in finem. Hinc cit. q. 9. a. 1. S. Thomas hanc *motionem* nonnisi *imperio* explicat: *movet*, ait, superior facultas in-

feriorem *suo imperio*. Quare ib. ad 3.um S. Th. « dicendum, ait, quod voluntas movet intellectum *quantum ad exercitium actus; quia et ipsum verum,* quod est perfectio intellectus, continetur *sub universali bono* (obiecto voluntatis), *ut quoddam bonum particulare* ». Non agitur ergo de simplici *exercitio actus* intellectus, seu secundum se; sed de illo exercitio actus prout substat imperio et usui voluntatis. Et, re quidem vera, si secus esset, sequeretur tunc quod intellectus non posset moveri ad actum sine praevia voluntatis motione, quod patet esse falsum.

38. Ac cum voluntas, sua innata libertate, sibimetipsi etiam imperet, ac suo etiam utatur libero actu in ordine ad finem assequendum, patet quod in huiusmodi etiam elicitis et liberis voluntatis actibus, duplici opus est motione, altera ex parte obiecti, quoad specificationem actus, altera ex parte subiecti quoad exercitium vel usum actus, eiusque ordinationis in finem. Cum enim, proposito voluntati per intellectum obiecto, voluntas adhuc remaneat in potentia ad volendum vel non volendum, alia indiget motione, distincta a motione obiecti, qua reapse ad actum moveatur, et ad finem ordinetur, et haec ex parte subiecti est, id est ipsius voluntatis volentis finem, seu *actus voluntatis quo vult finem*. Etenim *per hunc modum* voluntas *movet seipsam,* S. Th. 1. 2. q. 9. a. 3. ad 2. Voluntas ergo *movet seipsam in quantum per hoc quod vult finem, reducit seipsam ad volendum ea, quae sunt ad finem*. S. Th. l. c. a. 4. c. Unde praedicta motio non est requisita ad hoc uti voluntas simpliciter velit, sed uti se agat in finem. *In primum autem motum voluntatis voluntas prodit ex instinctu exterioris moventis*, ib. a. 4. c. Ex quo patet, quod voluntas non in omni actu suo seipsam moveat, sed solum in aliquibus, in illis nimirum qui sunt appetitiones mediorum. Et sic expresse ait S. Th. l. c. a. 4. in c. et ad 3. quod voluntas *non potest seipsam movere quantum ad omnia*. Quare voluntas quantum ad idem exercitium actus, in actibus suis liberis, ipsamet *se movet ad actum*, media eligendo ad finem; et *ad finem se ordinando;* quod tamen non excludit quod a Deo etiam, prima causa, moveatur.

39. In actibus vero necessariis ipsamet est, quae sua innata vi vult, cum voluntas, virtus vitalis et activa sit, sed se non movet ad actum, se ordinando ad finem: in praedictum actum prodit et in praedictum finem ordinatur, vi naturalis instinctus, a Deo ei inditi. Naturalis enim ille instinctus a Deo voluntatis causa, voluntati inditus est; ita ut bene dici possit voluntatem a Deo moveri. « Voluntas, ait S. Th. 1. 2. q. 9. a. 4. ad 3., quantum ad aliquid sufficienter se movet, (in actibus liberis) et in suo ordine (quia voluntas est *principium proximum*, quod non excludit *principium primum* quod est ad extra, ibid. ad 1.); sed non potest seipsam se movere quantum ad omnia (nempe

etiam in actibus necessariis et naturalibus); unde indiget moveri ab alio, sicut a primo movente », quatenus ab eo naturalis instinctus inditus est. Cfr. etiam 1. 2. q. 6. a. 1. ad 1. ad 3. « Unde ait S. D. in c. a., necesse est ponere quod in primum motum voluntatis (necessarium et naturalem) voluntas prodeat *ex instinctu* alicuius exterioris moventis », qui Deus est. Deus enim est, qui instinctum hunc indit voluntati in bonum in communi, quo deinde voluntas in particulare bonum inclinatur, vel item naturaliter, vi ipsius naturalis instinctus, vel libere se determinando ad illud. « Deus, ait S. Th. 1. 2. q. 9. a. 6. ad 3., *movet voluntatem hominis, sicut universalis motor ad universale obiectum voluntatis, quod est bonum,* et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle ».

40. Ex eo autem quod voluntas non *se moveat,* nisi volendo ea quae sunt ad finem, et non finem ipsum volendo, non sequitur quod revera voluntas quemlibet volendo finem non se moveat. Ratio adducta a S. Doctore quod secus daretur processus in infinitum, id omnino excludit. Ea enim ratio intentum non probat, nisi tantum quoad primam volitionem finis. Idque facto ipso comprobatur; nam evidens est, quod non omnem finem voluntas naturaliter et necessario vult, sed bene potest etiam fines libere velle, et fines hos volendo peccare. Insuper ex eo quod voluntas non *se moveat*, nisi volendo ea quae sunt ad finem non sequitur, quod voluntas omnia semper *explicite ordinare debeat ad aliquem extrinsecum finem*, et omnia *explicite* velle debeat *sub ratione medii* vel *sub ratione finis*. Etenim actus *imperati* a libera voluntate, *propter finem* sunt; quia huiusmodi actiones ex intentione finis media electione procedunt et potissima media esse solent ad finem assequendum. Actus *eliciti* a voluntate, qui circa media versantur, ut est electio, *propter finem* maxime sunt; quia item procedunt ex intentione finis et ad finem consequendum ordinantur. Verum actus etiam *intentionis finis, propter finem* est. Intentio enim procedit ex amore finis. Ergo *propter finem* est; cum idem sit agere *propter finem* seu *gratia finis;* et quod fit amore finis, gratia finis fit. Huiusmodi autem actus ad definitum scopum tendit, non temere, sed ex directione ipsius agentis; adeoque homo in eo actu vere operatur *propter finem*, tanquam se movens eo actu in finem formalem, praevia eius cognitione. *Simplex amor* seu *simplex voluntas*, *propter finem* etiam est. Bonum enim amando, *propter intrinsecam ipsius bonitatem* amatur. Et sic recte dicitur amari Deum, ut ultimum finem, propter seipsum, propter intrinsecam illius infinitam bonitatem. Ac S. Th. 1. 2. q. 1. a. 1. c. universaliter docet omnem actum humanum esse *propter finem*, et simplex Dei amor, ut ultimi finis, libere elicitus, actus humanus est. *Simplex* ergo *amor, propter finem* est non quod sit propter *extrinsecam aliquam rationem volendi talem finem*, sed quia est *propter in-*

trinsecam bonitatem eius. Neque vero particula illa *propter* extrinsecam rationem volendi significat, sed simpliciter rationem denotat volendi, causalitatem et motionem volendi. Suarez in 1. 2. Tr. 1. D. 2. S. 1.

41. Insuper voluntas, ut *voluntas,* potius versatur circa finem, quem proprie vult, ut *libera*, circa media potius versatur, ad quae proprie spectat electio. Voluntatis actus aliquando est efficax, aliquando inefficax per modum simplicis complacentiae. Res illa, quae *finis* est, rationem continet in se boni honesti et delectabilis, rationem appetibilis propter se, rationem finis; quae ultima ratio non consistit in hoc, quod bonum propter se appetibile moveat voluntatem ad sui amorem vel desiderium, hoc enim habetur ex ratione boni propter se appetibilis; sed in eo potius est, quod amore et desiderio sui moveat voluntatem ad electionem mediorum, quibus bonum illud obtineri possit si absens, conservari possit si praesens. Idem dicendum de *medio ;* in eo enim est ratio boni utilis, est ratio appetibilis propter aliud, est ratio seu causalitas medii. Porro dari non potest voluntatis actus sive efficax sive inefficax, qui non versetur vel circa finem vel circa media, saltem *materialiter*. Nam omne bonum vel propter se appetitur vel propter aliud. Potest tamen dari actus voluntatis inefficax seu per modum simplicis complacentiae, qui explicite non versetur circa media, quatenus habent rationem mediorum, nec circa finem, quatenus habet rationem finis. Potest enim quis per modum simplicis complacentiae amare bonum honestum aut delectabile sub ratione boni propter se appetibilis, abstrahendo a ratione finis. Et similiter potest amare bonum utile sub ratione boni propter aliud appetibilis, abstrahendo a ratione medii. Potest quidem coniugatus amare bonum castitatis propter se, sub ratione honesti, sistendo in ipso, ita nempe ut ex amore ipsius non moveatur ad eligenda media; potest enim velle illud non assequi; adeoque illud sub ratione finis non amat. Similiter potest illud amare propter aliud, sub ratione boni utilis, sistendo in eo, ita nempe ut neque eligat neque assumat illud tanquam medium ad aliquem finem consequendum. Becanus Tr. 1. de Beatitud. C. 2. q. 8.

42. Ad quaestionem ergo: An Deus moveat voluntatem; « Dicendum est, cum S. D. 1. 2. q. 9. a. 6. ad 3., quod Deus movet voluntatem hominis, sicut *universalis motor,* ad *universale obiectum voluntatis,* quod est *bonum*. Et sine hac *universali motione* homo non potest aliquid velle ». Nam quidquid homo velit, *bonum* semper vult, et ad volendum *bonum* a Deo, hanc voluntati naturalem dante inclinationem, movetur, *universali motione*, ut ait Angelicus Doctor. Deus ergo movet voluntatem, quatenus ei dat naturalem instinctum ad bonum, et sic eam movet sicut *universalis motor* et *universali motione*. Enimvero « In omnibus moventibus ordinatis oportet quod virtus secundi mo-

ventis derivetur a virtute moventis primi; quia movens secundum non movet nisi in quantum movetur a primo ». S. Th. 1. 2. q. 33. a. 3. Movetur ergo a primo movente movens secundum, in quantum virtutem habet derivatam a primo movente, secus enim ex eo quod non moveat secundum movens nisi motum a primo movente non sequeretur quod virtutem accipit derivatam ab isto. A Deo ergo humana voluntas movetur, indita ei virtute naturalis instinctus ad bonum. Et 1. 2. q. 13. a. 2. 3. « dicendum, ait S. Th., quod sicut dicitur Physic. l. 3. text. 16. et seq., motus est « actus mobilis a movente »; et ideo virtus moventis apparet in motu mobilis; et propter hoc in omnibus quae moventur a ratione apparet ordo rationis moventis, licet ipsa quae a ratione moventur rationem non habeant. Sic enim sagitta directe tendit ad signum ex motione sagittantis, ac si ipsa rationem haberet dirigentem; et idem apparet in motibus horologiorum et omnium ingeniorum humanorum, quae arte fiunt. Sicut autem comparantur artificialia ad artem humanam ita comparantur omnia naturalia ad artem divinam. Et ideo ordo apparet in his quae moventur secundum naturam, sicut et his quae moventur secundum artem, ut dicitur Physic. l. 2. text. 49. Et ex hoc contingit quod in operibus brutorum animalium apparent quaedam sagacitates *in quantum habent inclinationem naturalem* ad quosdam ordinatissimos processus, *utpote a summa arte ordinatos.* Et *propter* hoc etiam quaedam animalia dicuntur prudentia vel sagacia, non quod in eis sit aliqua ratio vel electio; quod ex hoc apparet quod omnia quae sunt unius naturae similiter operantur. » Humana ergo voluntas *in quantum habet a Deo naturalem instinctum ad bonum* a Deo movetur, et ad finem movetur, sicut ab *universali motore* et *universali motione*, quemadmodum ab artifice et arte movetur horologium, ad horas indicandas, artificio in eo fabrefacto. *Universali motione:* nam « homo per rationem *determinat* se ad volendum *hoc vel illud*, quod est vere bonum vel apparens bonum ». Deus ergo ita movet humanam voluntatem, ut eam in actibus liberis *non determinet* ad actum; siquidem ipsamet est quae *determinat se ad actum,* ubi agatur de volitione boni in particulari. Quare in tali particularis boni volitione voluntatem Deus ita movet, ut haec *in utrumque possit:* « Sed tamen interdum *specialiter* Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his, quos movet per gratiam, ut infra dicetur, q. 109. et 112. » q. 9. a. 6. ad 3. Deus enim voluntatem in ordine supernaturali movet tum *quoad exercitium*, tum quoad *specificationem,* infundendo varios *habitus* et *actus* supernaturales, de quibus in Tr. de Gratia agitur. — Praeter hanc rationem, cur Deus voluntatem moveat, quod nempe *Deus dederit voluntati naturalem inclinationem* ad bonum rationis; alia est ratio, quam assignat S. D. in corp. art. cit., quod nempe Deus sit *auctor ipsius voluntatis,* et haec conse-

quenter in suo esse et operari a Deo tanquam *a prima causa* dependeat. Et ratio haec radix et fundamentum est prioris; et communis est voluntati et aliis omnibus rebus creatis. S. Th. 1. 2. q. 6. a. 1. ad 3. Unde consequitur quod *a solo Deo,* sicut ab exteriori principio, moveatur humana voluntas: siquidem *a solo Deo* humana voluntas dependet in suo esse et operari; a solo Deo, causa suae naturae, universalem habet ad bonum inclinationem; adeoque a solo Deo sicut ab exteriori principio movetur, quatenus est ei causa volendi. Sic igitur humana voluntas in suis actibus a Deo movetur, ut non excludatur quod simpliciter moveat seipsam: aliquid enim potest esse ab alio motum, quod tamen seipsum movet, « et ita est de mente humana ». S. Th. de Verit. q. 24. a. 1. ad 5.

43. Quaestio tandem movetur de ipso voluntatis *actu* ad voluntarium requisito: utrum voluntarium esse possit absque omni actu? — Angelicus Doctor 1. 2. q. 6. a. 3. quaestionem ex professo pertractat: utrum voluntarium possit esse absque omni actu; et ait, § *Sed contra:* « Illud, cuius domini sumus dicitur voluntarium. Sed nos *domini sumus* eius, quod est agere et non agere, velle et non velle. Ergo sicut agere et velle est voluntarium, ita et non agere et non velle ». Respondet deinde: « Dicendum, quod voluntarium dicitur quod est a voluntate. Ab aliquo autem dicitur esse aliquid dupliciter. Uno modo *directe,* quod scilicet procedit ab aliquo, in quantum est agens, sicut calefactio a calore. Alio modo, *indirecte,* ex hoc ipso quod non agit, sicut submersio navis dicitur esse a gubernatore, in quantum desistit a gubernando. Sed sciendum, quod non semper id, quod sequitur ad defectum actionis, reducitur sicut in causam in agens, ex eo quod non agit, sed solum tunc cum *potest* et *debet* agere. Si enim gubernator non posset navem dirigere, vel non esset ei commissa gubernatio navis, non imputaretur ei navis submersio, quae per absentiam gubernatoris contingeret. Quia igitur voluntas volendo et agendo potest impedire hoc quod est *non velle* et *non agere,* imputatur ei, quasi ab ipsa exsistens. Et sic voluntarium potest esse absque *actu exteriori cum actu interiori;* sicut cum *vult* non agere; aliquando autem etiam absque *actu interiori,* sicut cum *non vult* ». Neque vero obiicere valet quod de ratione voluntarii est cognitio. Sed cognitio est per aliquem actum. Ergo voluntarium non potest esse absque aliquo actu. Etenim ipse Angelicus Doctor l. c. ad 3. respondet: « Dicendum, quod eo modo requiritur ad voluntarium actus cognitionis, sicut et actus voluntatis; ut scilicet, sit in potestate alicuius considerare, et velle, et agere. Et tunc sicut *non velle* et *non agere,* cum tempus fuerit, est voluntarium, ita etiam *non considerare* ».

44. Idem Angelicus Doctor 1. 2. q. 71. a. 5. quaestionem pertractat, utrum *in quolibet peccato* sit aliquis actus, et respondet: « Dicen-

dum quod quaestio ista principaliter movetur propter peccatum *omissionis*... si intelligatur in peccato omissionis illud solum, quod *per se* pertinet ad rationem peccati, sic *quandoque* omissionis peccatum est *cum actu interiori*, ut cum aliquis *vult* non ire ad ecclesiam: *quandoque* vero absque *omni actu* vel interiori vel exteriori; sicut cum aliquis, hora qua tenetur ire ad ecclesiam, nihil cogitat de eundo, vel non eundo ad ecclesiam. Si vero in peccato omissionis intelligantur etiam *causae* vel *occasiones* omittendi, sic *necesse est* in peccato omissionis *aliquem actum* esse. Non enim est peccatum omissionis, nisi cum aliquis praetermittit quod potest facere et non facere. Quod autem aliquis declinet ad non faciendum illud, quod potest facere et non facere *non est nisi ex aliqua causa vel occasione*, coniuncta, vel praecedente. Et si quidem causa illa non sit in potestate hominis, omissio non habet rationem peccati: sicut cum aliquis propter infirmitatem praetermittit ad ecclesiam ire. Si vero causa vel occasio omittendi subiacet voluntati, omissio habet rationem peccati: et tunc semper oportet, quod *ista causa*, in quantum est *voluntaria*, habeat *aliquem actum*, ad minus interiorem, *voluntatis*. Qui quidem *actus quandoque directe fertur in ipsam omissionem;* puta cum aliquis *vult* non ire ad ecclesiam, vitans laborem. Et tunc talis actus *per se* pertinet ad omissionem. Voluntas enim cuiuscumque peccati *per se* pertinet ad peccatum illud; eo quod voluntarium est de ratione peccati. *Quandoque* autem *actus voluntatis directe fertur in aliud*, per quod homo impeditur ab actu debito; sive illud in quod fertur voluntas sit coniunctum omissioni; puta cum aliquis vult ludere, quando ad ecclesiam deberet ire; sive cum sit praecedens, puta cum aliquis vult diu vigilare de sero, ex quo sequitur, quod non vadat hora matutinali ad ecclesiam. Et tunc actus iste interior vel exterior *per accidens* se habet ad omissionem; quia omissio sequitur praeter intentionem: hoc autem dicimus per accidens esse quod est praeter intentionem. Unde manifestum est, quod tunc peccatum omissionis habet quidem aliquem actum coniunctum vel praecedentem, qui tamen per accidens se habet ad peccatum omissionis. Iudicium autem de rebus dandum est secundum illud, quod est *per se*, et non secundum illud, quod est *per accidens*. Unde *verius* dici potest, quod aliquod peccatum possit esse *absque omni actu:* alioquin etiam *ad essentiam* aliorum peccatorum actualium pertineret *actus* et *occasiones* circumstantes ». In responsione ad 2^{am} obiectionem subiungit: « Aliquid dicitur voluntarium, non solum quia cadit super ipsum *actus voluntatis*, sed quia in *potestate nostra est*, ut fiat vel non fiat... Unde etiam ipsum *non velle* potest dici *voluntarium*, in quantum *in potestate* hominis est velle et non velle ».

45. Nullum quidem dubium videtur circa doctrinam S. Th., quod

nempe absolute loquendo dari possit *voluntarium* sine omni actu; quando *voluntarium* non est a voluntate *agente,* sed a voluntate *non agente,* actum nempe sive *volitionis* sive *nolitionis* suspendente. « Et probatur, quia libertas voluntatis includit potestatem agendi et non agendi. Ergo cognito obiecto, quod necessitatem illi non inferat, potest non operari ex vi suae libertatis. Ergo illa carentia actus est in voluntate ex libertate eius. Erit ergo voluntaria, tum quia est libera, et liberum supponit voluntarium, tum quia eo modo, quo est, oritur ab intrinseca potentia voluntatis ex cognitione. Ad huiusmodi autem suspensionem actus non requiritur actus, sed satis est carentia influxus. Non ergo ad omne voluntarium est necessarius actus »: ita Suarez Tr. 2. D. 1. S. 5. n. 2. Affirmat etiam Lessius in q. 6. a. 3. D. 1., inquiens id colligi ex cit. loc. S. Th.: « Potest tamen omissio actus exterioris vel interioris esse voluntaria sine omni actu interno vel externo, qui sit causa illius omissionis. Probatur, quia potes omittere Sacrum, absque hoc quad nolis audire Sacrum; aut velis aliquid unde necessario sequatur omissio Sacri tanquam effectus; seu quod sit tibi causa cur Sacrum omittas: pari modo potes omittere internos actus, ut actum amoris Dei, odii peccati absque alio actu interno, qui tibi sit causa omittendi ».

46. Negat vero cum aliis Billuart. Ratio est, quia nullum dari potest *voluntarium*, ubi non habetur *exercitium* seu *actus voluntatis*: nam voluntarium dicitur quod a voluntate *procedit.* Ergo si illa omissio est voluntaria datur voluntatis actus, qui sit causa vel occasio illius omissionis, quae ideo dicitur et est voluntaria. « Confirmatur: proposito obiecto per intellectum vel voluntas *se determinat* ad velle vel nolle, et tunc est aliquis actus volitionis aut nolitionis, vel *se determinat* ad suspendendum omnem actum volitionis et nolitionis, et sic est etiam aliquis actus, quia ista *determinatio* ad suspensionem fit per aliquem actum; est enim voluntas ex se potentia *indifferens* ad suspendendum vel non suspendendum, sicut ad agendum vel non agendum. Vel tandem nullo modo se determinat sed manet, ut ante in pura indifferentia ad velle vel nolle, ad suspendere vel non suspendere, et sic non est exercitium libertatis, sed manet potentia velut mortua, nec ex ea potest esse voluntarium, nisi in actu primo ». D. 1. a. 3.

47. Iam vero sive nullus actus requiratur ad voluntarium indirectum, sive aliquis actus necessario exigatur; illud quoad praxim potissimum notandum est, quod ad rationem voluntarii *indirecte* non sufficit *potestas in voluntate* et *negatio praevisionis,* sed oportet tria concurrere, scilicet, *posse, debere* et *non velle.* Quare ut voluntarium directum, est agentis; ita voluntarium indirectum, est non prohibentis, in eo qui prohibere potuit et debuit.

48. Sequitur ex hac doctrina, *directe* voluntaria esse Episcopis, parochis, Principibus, publicis magistratibus, parentibus, dominis, etc. mala, quae subditi, filii, famuli, etc. ipsis mandantibus, consulentibus, aliove quovis modo impellentibus, committunt; *indirecte* vero voluntaria esse ea mala, quae isti committunt, ipsis negligentibus et omittentibus obsistere respectivorum subditorum malitiae, si tamen *possint* et *debeant* resistentiam hanc opponere, in particularibus casibus, eamque omittant, non monendo, non corrigendo, non puniendo, aliaque media, quibus uti possunt et debent, non adhibendo.

COMMENTARIUS SECUNDUS

DE LIBERO

1. Diximus de *voluntario* humanorum actuum, in primo Commentario, dicendum nunc est, in altero hoc Commentario, de *libero*. Quod in humanis actibus *liberum* reperiatur, veritas fidei est, quae omni evidentia et certitudine constat ex Sacris Litteris et Traditione. Cf. Suarez in 1. 2. Tr. 2. D. 1. S. 2. Ratio est, quia « si proponitur voluntati aliquod bonum, quod completam boni rationem habet, et ultimus finis, propter quem omnia appetuntur non potest non velle esse felix, aut velle esse miser. In his autem, quae ad finem ultimum ordinantur, nihil invenitur adeo malum, quin aliquod bonum admixtum habeat, nec aliquod adeo bonum, quod in omnibus sufficiat: unde quantumcumque ostendatur bonum vel malum, semper potest adhaerere et fugere in contrarium ratione alterius, quod in ipso est, ex quo accipitur, si malum est simpliciter, ut apparens bonum, et, si bonum est simpliciter, ut apparens malum: et inde est, quod in omnibus, quae sub electione cadunt, voluntas libera manet, *in hoc solo determinationem* habens, quod felicitatem naturalem appetit, *et non determinate in hoc vel illo* ». S. Th. 2. Dist. 25. q. 1. a. 2., 1. 2. q. 10. a. 2.; Suarez in 1. 2. Tr. 2. D. 6. S. 3., D. 8. S. 4.; Lessius in q. 10. S. Th.; Theol. Wirceburg. n. 144. seqq.

2. *Liberum* supra *voluntatis actum* habitudinem solum addit ad potentiam, elicientem actum, voluntatis, et habentem potestatem ad illum suspendendum, vel alium actum eliciendum *specie* tantum diversum vel etiam oppositum. In primo casu dicitur *libertas exercitii* seu *contradictionis*, in altero casu *libertas specificationis*, in tertio casu libertas *contrarietatis*. Cf. Becanum Tr. 1. C. 2. q. 1., C. 3. q. 3. *Exercitium actus* est ex applicatione *voluntatis* ad volendum, *specificatio* ex varia *obiecti* natura. *Liberum* ergo requirit utique in voluntate activam potestatem actus et non actus, huius vel illius actus, minime vero requirit immunitatem etiam ab infirmitate, nempe

a concupiscentia, aliisque passionibus ac miseriis humanae vitae; quae utpote extrinsecae, intrinsecam agendi rationem humanae voluntatis immutare nequeunt. Hinc S. Th.: « dicendum, ait, quod illa infirmitas, quae est in malis voluntariis subiacet potestati hominis; et ideo nec tollit nec diminuit rationem culpae ». 1. 2. q. 21. a. 2. ad 3. Libertas haec, de qua agimus, libertas *physica* est. Libertas vero *moralis* carentiam in suo conceptu involvit tantum obbligationis in conscientia, seu sub culpa, vi legis praecipientis vel prohibentis; quae obligatio physicam libertatem praesupponit: quare libertas *moralis*, physicam libertatem connotat. S. Th. 1. 2. q. 10. a. 2. 3., q. 15. a. 2., q. 24. a. 3.

3. Praedicta voluntatis *activa potestas* essentialiter immunitatem exigit ab intrinseca necessitate. Ratio est, quia secus iam nulla amplius esset distinctio inter actus naturales seu necessarios, et voluntarios seu liberos: iam omnes voluntatis actus essent necessarii, utpote ex intrinseca necessitate, vel omnes liberi si intrinseca necessitas libertatem actus non adimit. Et sic ipsi voluntatis actus circa ultimum finem seu felicitatem, vel circa bonum in communi essent liberi. « *Voluntas*, ait S. Th., dividitur contra *naturam*, sicut una causa contra aliam, quaedam enim fiunt *naturaliter*, et quaedam fiunt *voluntarie* ». 1. 2. q. 10. a. 1. ad 1. Actus nempe dividuntur in actus *necessarios* et in actus *liberos*. Priores fiunt *naturaliter*, posteriores vero *voluntarie*. Actum enim *naturaliter* fieri, est fieri ex naturae instinctu, ex intrinseca necessitate. Actum vero *voluntarie* fieri est non ex naturae instictu, nec ex intrinseca necessitate fieri. S. Th. 1. 2. q. 10. a. 2. 4.; Theol. Wirceb. n. 94. seqq.

4. Praeter immunitatem ab *intrinseca necessitate*, activa illa voluntatis potestas, quae eiusdem voluntatis libertate continetur, intrinsecam praeterea exigit activam indifferentiam ad agendum, virtutem nempe intrinsece indifferentem ad agendum, vel non agendum, ad agendum hoc vel illud, positis omnibus conditionibus ad agendum praerequisitis. — Prob. 1.ª pars: *liberum* excludit intrinsecam necessitatem agendi. Ergo infert necessario intrinsecam potestatem agendi vel non agendi, agendi hoc vel illud. Atqui potestas haec est potestas intrinsece et active indifferens. Ergo. Prob. 2.ª pars: si illa indifferentia activa esset intelligenda tantum antecedenter ad praerequisita necessaria ad agendum, causa libera nihil differret a causa necessaria. Theol. Wirceb. n. 100 seqq. — Voluntarium ex Angelico Doctore 1. 2. q. 6. a. 1. importat motum seu actum eorum quae, ex propria inclinatione, et non ab alio inclinata, perfecte ipsamet se movent. Quomodo ergo, deficiente praedicta activa indifferentia intrinseca voluntatis *voluntarium* amplius haberetur *ex propria inclinatione* et *ex perfecto a seipsa motione ad actum?*

5. Doctrina *de libero,* praecedenti numero proposita, et quoad rem et quoad ipsa etiam verba, doctrina revera est S. Thomae. Etenim Angelicus Doctor *liberum* explicat per *dominium actus.* « Illae solae actiones vocantur propriae *humanae,* quarum homo est *dominus.* Est autem *dominus* suorum actuum per rationem et voluntatem, unde et *liberum arbitrium* esse dicitur facultas voluntatis et rationis ». 1. 2. q. 1. a. 1. — Explicat per *sese movere ad finem.* « Illa ergo quae rationem habent *seipsa movent ad finem, quia habent dominium suorum actuum per liberum arbitrium* ». 1. 2. q. 1. a. 2. « Perfectam cognitionem finis sequitur *voluntarium* secundum rationem perfectam, prout sc. apprehenso fine, aliquis *potest, deliberans de fine, et de his quae sunt ad finem, moveri in finem vel non moveri* ». 1. 2. q. 6. a. 2. — Explicat per *potestatem ad oppositos actus.* « Ex hoc quod ratio deliberans se habet ad opposita *voluntas in utrumque potest* ». Ib. ad 2. — Explicat per *determinationem ipsius facultatis ad actum.* « Homo per rationem *determinat se ad volendum hoc vel illud,* quod est vere bonum vel apparens bonum », 1. 2. q. 9. a. 6. ad 3.; et excludit Dei determinationem ad unum ab extrinseco; nam hanc determinationem ad particulare bonum ex ipsa voluntate provenientem opponit motioni Dei *ad bonum in communi.* Itemque excludit intrinsecam determinationem ad unum inquiens: « Est autem *alius modus causandi proprius voluntati,* quae est domina sui actus, praeter modum, qui convenit naturae, quae *est determinata ad unum* ». 1. 2. q. 10. a. 1. ad 1. ad 3. « Voluntas autem est quidem secundum naturae ordinem *determinata ad unum commune,* quod est bonum, sed *indeterminate* se habet respectu particularium bonorum ». 1. 2. q. 13. a. 2. Atque hic notandum est S. Thomam tam vere excludere a causa *libere agente* determinationem ad unum, ut causam *necessariam in agendo* explicet per hanc determinationem ad unum, pro uno eodemque sumens necessitatem in agendo et determinationem ad unum in agendo. Et sic 1. 2 q. 13. a. 2. ait: « *Est autem differentia* inter appetitum sensitivum et voluntatem, quia, ut ex praedictis patet q. 1. a. 2. ad 3., appetitus sensitivus est *determinatus ad unum particulare* secundum ordinem naturae; voluntas autem est quidem secundum naturae ordinem *determinata ad unum commune,* quod est bonum, sed *indeterminate* se habet respectu particularium bonorum ». Et ad 2.^{um}: « Brutum animal, accipit unum prae alio, quia appetitus eius est *naturaliter determinatus ad ipsum;* unde statim quando per sensum vel per immaginationem repraesentatur ei aliquid, ad quod naturaliter inclinatur eius appetitus, absque electione movetur ad ipsum, sicut etiam absque electione ignis movetur sursum et non deorsum ». Haec speciatim de discrimine inter *voluntatem* et *appetitum sensilem.* Sed generatim omnino loquens S. Thomas de causis,

eas in *naturales* et *voluntarias* dividit, seu in *necessarias* et *liberas*, q. 10. a. 1. ad 1., q. 21. a. 1. 2., etc. et modum causandi causae *naturalis*, seu necessariae, *per determinationem ad unum*, sine potestate ad utrumque explicat. Quare ex Angelico Doctore causa necessaria, causa est *ad unum determinata:* causa libera, causa est ad utrumque active indifferens. — Explicat praeterea Angelicus Doctor *liberum* expresse per *activam voluntatis indifferentiam.* « Quia igitur voluntas est *activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus eius contingens et non necessarius,* nisi in his, ad quae naturaliter movetur ». 1. 2. q. 10. a. 4.

6. Atque hoc ultimo in loco A. D. explicite, ipsis verbis, excludit *determinationem* a Deo *ad unum,* quare excludit etiam *praedeterminationem ad unum.* Si autem nomine *praemotionis* intelligatur, illa Dei motio, de qua Angelicus Doctor ait, *Deus movet voluntatem,* optime admitti potest imo debet divina *praemotio,* siquidem Dei motio natura prior est ipsa voluntatis motione. « Dicendum, ait S. Th. l. c. nempe q. 9. a. 6. ad 3., quod *Deus movet* voluntatem hominis, sicut *universalis motor ad universale obiectum* voluntatis, quod est *bonum;* et sine *hac universali motione* homo non potest aliquid velle. Sed *homo* per rationem *determinat se ad volendum hoc vel illud... bonum* ». Porro evidens est quod illa *universalis motio* natura prior sit *hac determinatione,* unde sine illa *praevia* universali *motione* Dei, humanae voluntatis particularis *determinatio* haberi non potest.

7. Si vero nomine *praemotionis* intelligatur praemotio ad unum certum actum, ad unum *determinatum* actum, ut S. Th. excludit determinationem, seu praedeterminationem a Deo ad unum, ita etiam excludit *motionem* seu *praemotionem* a Deo ad unum. Unde Angelicus Doctor mox subdit, quod *sic Deus* voluntatem *movet,* ut *remaneat motus eius contingens et non necessarius:* remanet profecto contingens et non necessarius, prout fluens ab humana voluntate, *in sensu composito* ipsius divinae motionis, **Sic movet ut remaneat contingens.** Quare Angelici Doctoris explicatio nihil differt ab explicatione superiori num. data libertatis.

8. Libertatem insuper explicat Angelicus Doctor per electionem, 1. 2. q. 13. a. 2. 6., quae determinationem ad unum omnino excludit, et indeterminate se habet ad plura, seu active indifferens est ad ea eligenda. Neque vero sine hac intrinseca activa indifferentia electio intelligi potest. « Dicendum, ait S. Th. l. c., quod cum electio sit praeacceptio unius respectu alterius, necesse est quod *electio sit respectu plurium quae eligi possunt;* ideo in his, quae sunt *determinata ad unum,* electio locum non habet. Est autem differentia inter appe-

titum sensitivum et voluntatem, quia, ut ex praedictis patet q. 1. a. 2. ad 3., appetitus sensitivus est *determinatus ad unum particulare*, secundum ordinem naturae; voluntas autem est quidem, secundum naturae ordinem, *determinata ad unum commune;* sed *indeterminate se habet respectu particularium bonorum*. Et ideo proprie voluntatis est eligere, non autem appetitus sensitivi, qui solus est in brutis animalibus; et propter hoc brutis animalibus non convenit ». Cf. C. G. l. 2. c. 48., l. 3. c. 88. 89.

9. Tandem *liberum* explicat Angelicus Doctor per *applicationem* activam appetitivi motus ad aliquid quod etiam quamlibet intrinsecam et extrinsecam determinationem ad unum excludit. « *Consensus*, ait, proprie loquendo non est in brutis animalibus. Cuius ratio est, quia consensus importat *applicationem appetitivi motus ad aliquid agendum*. Eius autem est *applicare appetitivum motum ad aliquid agendum, in cuius potestate est appetitivus motus:* sicut tangere lapidem convenit quidem baculo: sed *applicare baculum* ad tactum lapidis est eius, *qui habet in potestate movere baculum*. Bruta autem animalia *non habent in sua potestate appetitivum motum;* sed talis motus in eis est ex instinctu naturae, unde brutum animal appetit quidem, sed *non applicat appetitivum motum ad aliquid*. Et propter hoc non proprie dicitur consentire, sed solum rationalis natura, *quae habet in potestate sua appetitivum motum, et potest ipsum applicare vel non applicare ad hoc, vel ad illud* ». 1. 2. q. 15. a. 2.

10. Quare concludendum est, quod ut *liberum* excludit quamlibet intrinsecam necessitatem, et consequenter quamlibet extrinsecam coactionem; ita etiam excludit quamlibet intrinsecam et extrinsecam determinationem ad agendum. Neque vero obiicere valet ea, quae habet A. D. eodem cit. loc. q. 10. a. 4. ad 3., ubi ait: « dicendum quod, si Deus movet voluntatem ad aliquid, *incompossibile est huic positioni*, quod voluntas ad illud non moveatur: non tamen est *impossibile simpliciter*. Unde non sequitur, quod voluntas a Deo ex necessitate moveatur ». Ex his quidem videri potest S. D. docere voluntatem non determinatam ad unum ante divinam motionem; verum ex divina motione posita iam esse ad unum determinatam. Et hoc esset docere totidem fere verbis notam distinctionem sensus compositi et divisi. Scilicet in sensu composito divinae motionis impossibile seu incompossibile esse, ut non ponatur actus; sed id esse simpliciter possibile, possibile nempe in sensu diviso divinae motionis. — Verum S. D. in illa responsione ad 3. hoc profecto dicit, quod bene diversum est: posita divina motione, impossibile est ut non ponatur actus. Sed quandoquidem divina motio talis est efficaciae, ut per eam non solum aliquid fiat, « sed ut etiam eo modo fiat, quo congruit naturae ipsius; et ideo magis repugnaret divinae motioni, si voluntas *ex ne-*

cessitate moveretur, quod suae naturae non competit, quam si *moveretur libere,* prout competit suae naturae », ibid. ad 1.; nequit consequenter dici *impossibile simpliciter,* quod non sequatur actus; nam *impossibile simpliciter* esse non potest quod est, sed contingenter ad utrumque est, nam voluntas agens potest agere vel non agere. *Impossibile simpliciter, contingens* non est, sed est omnino *determinatum*. Et est notandum, quod actus manet contingens et liber in sensu composito ipsius divinae motionis, et in eodem sensu composito ille actus consequenter procedit a voluntate active indifferenti, et potenti *in utrumque*. Ait enim, S. D. tum in dicta responsione ad 1.^{um} tum in corp. quod illa motio se accommodat naturae rerum et voluntatis, et hanc consequenter non ex necessitate et cum determinatione ad unum movet. *Si voluntatis naturae illa motio congruit,* si non movet *ex necessitate ad unum determinando,* movet profecto ita, ut, stante ipsa motione divina, voluntas maneat id quod est, ac, ut inquit S. D. in c. art., hoc est voluntas, nempe *activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa*. Manet ergo voluntas in sensu composito motionis totum id quod est, adeoque active indifferens et *in utrumque* potens, non ad unum determinata; itemque, ea stante motione, *remanet motus voluntatis contingens* et liber, adeoque a voluntate processit, sub illa motione, non ad unum determinata. **Sic** *Deus* **ipsam movet,** *quod non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus eius contingens,* in sensu evidenter composito ipsius motionis divinae. Posita tamen hac divina motione *ad aliquid, incompossibile est huic positioni, quod voluntas ad illud non moveatur,* siquidem illa divina motio secum implicat iam motum concomitantem ipsius voluntatis, licet *contingentem* et liberum, quia certissime *contingens* et liber voluntatis motus manet. Cf. 1. p. q. 19. a. 8.

11. Ex Angelico Doctore *liberum* fundatur in indifferentia obiectiva praevii iudicii rationis, rem proponentis non ut absolute *eligendam*, sed tantum *ut eligibilem* ob varias convenientiae et disconvenientiae rationes, quae in ea adesse possunt. Etenim *liberum* inquit haberi « prout, apprehenso fine, aliquis potest *deliberans de fine, et de his quae sunt ad finem,* moveri in finem vel non moveri ». 1. 2. q. 6. a. 3. « *Ex hoc* contingit, quod homo est dominus sui actus, quod *habet deliberationem de suis actibus. Ex hoc enim, quod ratio deliberans se habet ad opposita,* voluntas in utrumque potest ». Iamvero deliberatio haberi non potest nisi ratio varias proponat voluntati convenientias et disconvenientias, quae in obiecto sunt. Insuper 1. 2. q. 10. a. 2. haec habet A. D.: « In motu cuiuslibet potentiae a suo obiecto consideranda est ratio, per quam obiectum movet potentiam.... Unde, si proponatur aliquod obiectum voluntati, quod sit universaliter bonum, et secundum omnem considerationem, ex necessitate voluntas in illud

tendit, si aliquid velit: non enim poterit velle oppositum. Si autem proponatur sibi aliquod obiectum, quod non secundum quamlibet considerationem sit bonum, non ex necessitate voluntas fertur in illud ». *Liberum* ergo fundatur in hac propositione obiecti ex parte rationis sub *diversis considerationibus*, secundum quas potest *a voluntate idem obiectum repudiari vel approbari*. Et 1. 2. q. 13. a. 6.: « In omnibus particularibus bonis potest (ratio) considerare rationem *boni* alicuius et defectum alicuius boni, quod habet rationem *mali*. Et secundum hoc potest unumquodque huiusmodi bonorum apprehendere *ut eligibile* vel *fugibile*. Solum autem *perfectum bonum*, quod est beatitudo, non potest ratio apprehendere sub ratione *mali*, aut alicuius defectus. *Et ideo* ex necessitate beatitudinem homo vult, nec potest velle non esse beatus, aut esse miser. Electio autem, cum non sit de fine, sed de his quae sunt ad finem, non est perfecti boni, quod est beatitudo, sed aliorum particularium bonorum. *Et ideo* homo non ex necessitate, sed libere eligit ». Et 1. 2. q. 17. a. 1. ad 2.: « Dicendum, quod *radix libertatis* est voluntas, sicut *subiectum*; sed sicut *causa* est ratio. *Ex hoc enim* voluntas libere potest ad diversa ferri, *quia ratio potest habere diversas conceptiones boni*. Et ideo Philosophi definiunt liberum arbitrium, quod est *liberum de ratione iudicium*, quasi ratio sit causa libertatis ».

12. « Infertur, quod orta gravi tentatione, et postquam a phantasia, aut aliunde, vehementer excitatur appetitus sensitivus concupiscibilis, venereus, aut irascibilis, quod, inquam, tunc in voluntate triplicis generis possint dari actus. *Primo* illi qui praeveniunt usum rationis et eliciuntur a tentato in eo instanti aut tempore, in quo intellectus voluntati nondum proponit motiva absterrentia, sed solum allicientia illius obiecti, in quod fertur appetitus. Et hi actus voluntatis dicuntur *motus primo primi*. *Secundo* illi qui sequuntur ad aliqualem usum rationis, et eliciuntur a tentato in eo instanti, in quo intellectus motiva absterrentia proponit solum obscure, motiva allicientia vero ad amorem illicitum aut ad odium ita vivaciter, ut voluntas a motivis absterrentibus solum remisse et imperfecte moveatur. Et hi actus voluntatis dicuntur *motus secundo primi*. *Tertio* tandem illi qui sequuntur ad perfectum usum rationis et eliciuntur a voluntate in eo instanti, in quo intellectus voluntati satis clare et intense proposuit motiva absterrentia seu disconvenientiam et malitiam moralem, a quibus voluntas posset libere absterreri, si serio vellet. Et hi actus voluntatis dicuntur *actus deliberati*. Actus 1.^{i} generis non sunt liberi, et consequenter neque sunt formaliter peccaminosi. Actus 2.^{i} generis sunt imperfecte liberi, et solum venialiter peccaminosi. Actus 3.^{ii} generis vero sunt perfecte liberi, et consequenter, si adsit gravitas

materiae, sunt mortaliter peccaminosi ». Struggl. Theol. Moral. Tr. 1. q. 1. a. 1. n. 10. Cf. S. Th. 1. 2. q. 10. a. 3.

13. Quaestio exoritur ex constituta doctrina praecedentis num. 11.: an ad exercitium libertatis praerequiratur *iudicium practicum*, seu imperium rationis, quo definitur obiectum hic et nunc omnibus consideratis esse *eligendum* vel *respuendum*? — R. Bellarminus (de Grat. et lib. arb. l. 3. C. 8. 9.) concedit quidem requiri hujusmodi iudicium, concedit praeterea voluntatem ex hoc iudicio determinari ad unum, sed negat hinc libertatem debilitari. Nam ait illud ipsum iudicium practicum a quo determinatur voluntas esse in potestate voluntatis, quatenus, propositis voluntati variis obiectis vel rationibus convenientiae vel utilitatis, voluntas sinit se moveri potius ab uno quam ab alio obiecto potius ab una quam ab alia ratione convenientiae vel utilitatis, ex qua voluntatis permissione unum potius, quam aliud iudicium practicum dimanat. Quare quamvis voluntas determinteur a iudicio practico, hoc tamen iudicium practicum libertatis exercitium subsequitur. Et sic libertas integra manet. Verum quamvis magna sit auctoritas Card. Bellarmini, ejus tamen in hac re opinionem sequi non possumus. Etenim *iudicium* illud practicum, quo voluntas determinatur ad unum, estne absolute necessarium, an est absolute liberum. Si 1.um, ergo finita est omnis libertas. Si 2.um, aut est liberum intrinsece, aut extrinsece ex imperio voluntatis. Primum dici nequit, quia facultas formaliter libera non est intellectus sed voluntas. Si vero dicitur secundum, aut tunc illud imperium voluntatis determinatur ex alio iudicio intellectus, et sic in infinitum procedendum, aut non determinatur ex praevio iudicio practico, et tunc falsum est, voluntatem in omnibus suis actibus liberis ab ultimo iudicio practico intellectus determinari. Quare cum Suaresio in 1. 2. Tr. 2. D. 1. S. 2., D. 6. S. 5. 6., D. 8. S. 4., Lessio in q. 6. S. Th., aliisque potius dicendum est ad liberam determinationem voluntatis habendam necessarium non esse tale iudicium practicum omnino determinans ipsam. Ad voluntatis enim exercitium habendum satis est, ut intellectus ipsi obiectum proponat ut *eligibile*, sic enim proponendo obiectum, illud proponit sub aliqua ratione boni. Cfr. Becanum Tr. 1. C. 2. q. 5. 6. 7.

14. Ut iam dictum est, « voluntas movetur dupliciter. Uno modo quantum *ad exercitium actus*; alio modo quantum *ad specificationem actus*, quae est ex obiecto. — Primo ergo modo voluntas a nullo obiecto ex necessitate movetur. Potest enim aliquis de quocumque obiecto non cogitare, et per consequens neque actu velle illud ». S. Th. 1. 2. q. 10. a. 2. Et De Malo q. 6. a. un.: « Ipsa quoque beatitudinis appetitio ex necessitate est quantum ad determinationem actus, quia non potest velle oppositum; non autem quantum *ad exercitium actus*; quia potest aliquis non velle tunc cogitare de bea-

titudine, quia etiam ipsi actus intellectus et voluntatis particulares sunt ». — « Sed quantum ad secundum motionis modum voluntas ab aliquo obiecto ex necessitate movetur, ab aliquo autem non ». 1. 2. q. 10. a. 2. Ratio est, quia aliqua obiecta sunt, nempe bonum in communi, finis ultimus in communi, media ad ipsum necessaria, 1. 2. q. 10. a. 1. 2., quae voluntati non proponuntur a ratione, nisi sub consideratione boni. « Alia autem quaelibet particularia bona, in quantum deficiunt ab aliquo bono, possunt accipi ut non bona. Et secundum hanc considerationem possunt repudiari vel approbari a voluntate », 1. 2. q. 10. a. 2., repudiari *ut non bona*, approbari *ut bona*; sic enim habetur quidem *ratio motiva*, ex parte obiecti, facultatis ad actum; sed non habetur ratio *sufficiens* motiva. « Sufficiens motivum alicuius potentiae non est, nisi obiectum, quod totaliter habet rationem motivi. Si autem in aliquo deficiat non ex necessitate movebit ». 1. 2. q. 10. a. 2. ad 1.

COMMENTARIUS TERTIUS
DE ACTIBUS VOLUNTATIS ELICITIS ET IMPERATIS

1. Si *modus* consideretur, quo voluntarium a voluntate procedat, voluntarium multiplex est. Porro hic modus procedendi a voluntate considerari potest 1.° in ordine ad ipsam *potentiam* et facultatem voluntatis, a qua procedit: 2.° in ordine ad ipsum *actum*, qui procedit a voluntate: 3.° tandem in ordine ad *obiectum*, circa quod actus ille versatur. Hinc variae voluntarii partitiones exoriuntur, de quibus distinctis Commentariis ordinate dicemus. Praesenti Commentario partitiones exponemus, quae ex primo illo capite habentur.

2. Si humani actus considerantur in ordine ad *potentiam* et facultatem voluntatis a qua procedunt, humani actus alii sunt *interni* alii *externi*, prout *interiore* tantum voluntate, vel alia *interiore* facultate perficiuntur; aut *exterioris* facultatis exercitio suum obtinent complementum. Alii praeterea sunt *naturales* alii *supernaturales*, prout solis naturae viribus, vel viribus etiam gratiae efficiuntur. Alii tandem dicuntur *eliciti* et alii *imperati* relate ad facultatem a qua *immediate* exercentur, vel a cuius actu *determinantur*. Sic actus fidei est actus *elicitus* intellectus, *imperatus* a voluntate. Actus contritionis ex motivo caritatis est actus *elicitus* voluntatis, ab eadem voluntate *imperatus*. Similiter amor Dei et amor inimicorum actus *eliciti* voluntatis sunt, hic vero ab illo *imperatur*.

3. Si igitur attendatur, utrum voluntarium a voluntate *immediate*, an *mediate* procedat, voluntarium aliud tale est *elicitive*, aliud *imperate*. Primum habetur, quum totus actus perficitur *a sola voluntate et in voluntate*, absque adminiculo alterius facultatis, sive interioris et

spiritualis, sive exterioris et corporalis; uti sunt volitiones, nolitiones. Alterum habetur, cum actus ex ipso quidem voluntatis imperio dependet, ab alia tamen agentis facultate perficitur; sive interiore, uti sunt intellectus, phantasia, memoria; sive exteriore, uti sunt membra corporis, atque sensuum organa, sicut ambulare vel loqui. S. Th. 1. 2. q. 1. a. 1. ad 2., q. 6. a. 4.; Suarez Tr. 2. D. 1. S. 1., D. 10. Potest autem actus esse simul elicitus et imperatus, voluntas enim potest sibi ipsi in actibus suis imperare. Actus tunc non a voluntate sola, sed ab alio etiam actu ipsius voluntatis procedit: et hac ratione dicunt theologi, quod una virtus e. gr. charitas imperat actus aliarum virtutum, quando voluntas ex motivo unius virtutis elicit actum alterius virtutis, v. g. ex amore Dei pauperis miseretur. S. Th. 1. 2. q. 17. a. 5.; Suarez Tr. 2. D. 10. S. 1.

4. Elicitorum voluntatis actuum duplex est partitio, prout hi actus consistunt in prosecutione boni, vel in fuga mali; prout versantur circa finem, vel circa media. Ad primam partitionem quod spectat, voluntatis actus eliciti, alii revera consistunt *in prosecutione boni*, alii *in fuga mali*, ut videre est in amore, desiderio, gaudio; odio, timore, tristitia. Desiderium circa bonum absens versatur, gaudium circa bonum praesens, amor abstrahit ab utroque. Timor item versatur circa malum absens, tristitia circa praesens, odium circa utrumque. « Sicut ad delectationem duo requiruntur, scilicet coniunctio boni et perceptio huiusmodi coniunctionis, ita etiam ad dolorem duo requiruntur scilicet coniunctio alicuius mali, quod ea ratione est malum, quia privat aliquod bonum, et perceptio huiusmodi coniunctionis ». S. Th. 1. 2. q. 35. a. 1.

5. Amor primus omnium et simplicissimus actus est. Ex eo quippe desiderium nascitur, spesque bonum adipiscendi, et cum audacia aggrediendi quae ad id inserviunt, et tandem gaudium de bono adepto. Amare nihil aliud est quam velle bonum alicui. Hinc duplicem habet respectum unum ad bonum quod volumus; alterum ad personam cui volumus bonum. Ex priori respectu, i. e. ex bono quod concupiscimus, habetur amor *concupiscentiae*, ex posteriori, i. e. ex persona, cui bene volumus, amor *benevolentiae*. Bonum autem quod concupiscimus potest esse non solum bonum a persona distinctum, sed etiam ipsa persona. Et sic possumus Deum amare amore benevolentiae, per modum personae cui volumus bonum, et amore concupiscentiae per modum boni quod nobis volumus. S. Th. 1. 2. q. 26. a. 4.

6. Odium amori oppositum est. Ex amore tamen dicitur odium oriri, quatenus ideo quis aliud odit, quod rei dilectae contrarium sit. Est autem duplex odium abominationis et inimicitiae. Odium abominationis est, quo detestamur malum, seu quo nolumus alicui

personae malum. Odium inimicitiae, quo e contra volumus alicui personae malum. Caietanus in 1. 2. q. 29. a. 1.

7. Inter amorem et odium duplex adest differentia. « *Primo*, quia idem actus potest simul esse amor concupiscentiae et benevolentiae. Nam, respectu boni quod volumus, dicitur concupiscentiae; respectu personae, cui volumus, dicitur benevolentiae. At idem numero actus non potest simul esse odium abominationis et inimicitiae. Nam alius actus est quo abominor seu detestor malum alicuius personae; alius vero quo volo et opto alicui personae malum. Prior oritur ex amore personae. Posterior ex displicentia personae. *Secundo*, tametsi in odio sit duplex etiam respectus, sicut in amore, non tamen eodem modo. Nam in actu amoris uterque respectus est per modum prosecutionis seu complacentiae : alter ad bonum quod volumus, alter ad personam, cui volumus. At in odio alter per modum displicentiae, alter per modum complacentiae. Et quidem in odio abominationis respectus ad personam est per modum complacentiae, respectus ad malum per modum displicentiae. Contra fit in odio inimicitiae, ubi respectus ad personam est per modum displicentiae, respectus ad malum per modum complacentiae ». Becanus Tr. 1. C. 3. q. 1. n. 4.

8. Insuper amor et odium dupliciter spectari possunt. « *Primo* per modum simplicis complacentiae et displicentiae; et sic sunt actus realiter distincti a desiderio, gaudio; timore et tristitia. Nam alter versatur circa bonum absolute, alter circa malum absolute, abstrahendo a praesentia et absentia. *Secundo* per modum efficacis complacentiae et displicentiae. Et sic amor essentialiter includitur in desiderio et gaudio; odium in timore et tristitia. Nam desiderium est actus, quo efficaciter volumus bonum, quod absens est. Gaudium est actus, quo efficaciter volumus bonum, quod praesens est. Similiter timor est actus, quo efficaciter abominamur malum absens, tristitia quo praesens. Hinc sequitur, sicut amor et odium abominationis includunt duplicem respectum, alterum ad bonum vel malum quod volumus vel nolumus, alterum ad personam cui volumus vel nolumus, sic etiam de desiderio et gaudio, itemque de dolore et tristitia dicendum esse. Nam sicut per amorem absolute volo alicui bonum, sic per desiderium efficaciter volo illi bonum absens, et per gaudium efficaciter amo bonum ipsius praesens. Idem est de oppositis actibus ». Becanus l. c. n. 5.

9. Iam age si boni prosecutio et fuga mali attendatur, ac bonum et malum consideretur tum simpliciter acceptum, tum secundum quod habet rationem ardui vel difficilis, seu prout est aliquid adipiscibile vel fugibile cum aliqua difficultate, tunc haec actuum series habetur: *amor*, cui opponitur *odium; desiderium* seu *concupiscentia,* cui opponitur *fuga* seu *abominatio; delectatio,* cui opponitur *tristitia; spes* cui

opponitur *desperatio*, *audacia* cui opponitur *timor*, et *ira* quae non habet oppositum. S. Th. 1. 2. q. 23. a. 1. Amor, desiderium et gaudium in bonum simpliciter tendunt; odium, fuga seu abominatio et tristitia a malo simpliciter recedunt. *Spes* tendit in bonum arduum sive difficile, sed in quantum est bonum; *desperatio* a bono recedit, sed in quantum est arduum et difficile. Similiter malum arduum habet quidem rationem ut vitetur, in quantum est malum, et ad hoc pertinet *timor*. Habet etiam rationem, ut in ipsum tendatur, sicut in quoddam arduum, per quod scilicet aliquis evadit subiectionem mali, et sic tendit in ipsum *audacia*. Quare audacia et timor ad idem se referunt scilicet ad malum; sed audacia malum istud aggreditur ad illud, periculo neglecto, superandum, dum e contra timor illud fugit. *Ira* tandem causatur ex malo difficili iam iniacente, ad cuius praesentiam necesse est quod aut appetitus succumbat, et sic non exit terminos tristitiae, aut habeat motum ad invadendum malum laesivum, seu vindicandum, quod pertinet ad iram. Ira enim appetitus vindictae est, seu appetitus nocendi alteri, sub ratione iusti vindicativi. Motum ad fugiendum, id est ad malum illud evadendum vel declinandum, habere non potest, quia iam malum ponitur praesens vel praeteritum. Si praesens, impediri non potest, quin afficiat, si praeteritum vitari non potest, quin factum sit. Et sic irae nullus est contrarius motus ratione accessus et recessus ab eodem obiecto, bono et malo. Similiter nec ei contrarius motus est secundum contrarietatem boni et mali: quia malo iam iniacenti opponitur bonum iam adeptum, quod iam non potest habere rationem ardui vel difficilis, nec post adeptionem boni remanet alius motus, nisi quietatio appetitus in bono adepto, quae pertinet ad gaudium. Unde remanet, quod solummodo opponatur ei cessatio a motu, et sic mitescere opponitur huic quod est irasci, quod non est oppositum contrarie, sed negative vel privative. S. Th. 1. 2. q. 23. a. 2. 3. 4. « *Odiens* appetit malum inimici in quantum est malum. *Iratus* autem appetit malum eius, contra quem irascitur, non in quantum est malum, sed in quantum habet quandam rationem boni; scilicet prout aestimat illud esse iustum, in quantum est vindicativum ». S. Th. 1. 2. q. 46. a. 7. « Vindicta fit per illationem poenae. Est autem de ratione poenae, quod sit contraria voluntati, quod sit afflictiva, et quod pro aliqua culpa inferatur. Et ideo *iratus* hoc appetit, ut ille, cui nocumentum infert, percipiat et doleat, et quod cognoscat propter iniuriam illatam sibi hoc provenire. Sed *odiens* de hoc nihil curat; quia appetit malum alterius in quantum huiusmodi ». S. Th. l. c. ad 2. Sub huiusmodi actibus omnes alii actus continentur; e. gr. invidia est tristitia de bono alterius; verecundia est timor turpis, etc. S. Th. 1. 2. q. 23. a. 4., q. 24. a. 4. Sic autem praecedentes actus secundum viam generatio-

nis ordinantur. Primo occurrunt amor et odium; secundo desiderium et fuga; tertio spes et desperatio; quarto timor et audacia; quinto ira; sexto et ultimo gaudium et tristitia. S. Th. 1. 2. q. 25. a. 3.

10. Ad alteram partitionem quod attinet, « omnis voluntatis actio aut circa *finem*, aut circa *medium* versatur, quod *dupliciter* contingit fieri, aut *appetendo* aut *exsequendo;* ex quo duplex oritur ordo actuum voluntatis, et intellectus practici, qui voluntatem gubernat in moribus. *Prior* omnes illos actus continet, qui *necessarii* sunt, usque ad postremam medii electionem, qui sunt *voluntas, intentio, consilium, consensus, electio.* Duo priores circa *finem;* posteriores circa *medium*, eo quo numerati sunt ordine, versantur. Stabilita autem electione, progreditur voluntas ad liberam *exsecutionem*, et sic est *secundus ordo*, in quo duo tantum actus numerantur: *imperium* et *usus;* quibus actibus *fruitio* additur, quae non est operatio ad finem vel appetendum vel assequendum ordinata; sed, *fine* potius comparato, ipsa subsequitur ». Suarez Tr. 2. D. 6. initio. Cf. Cajetanum. in 1. 2. Introd. q. 8. — Duplex iste actuum voluntatis ordo fundatur in *duplice habitudine* voluntatis ad volitum, tam nempe ad finem, quam ad id quod est ad finem seu medium. Prima habitudo est secundum quod volitum est *in voluntate;* secunda habitudo est secundum quod voluntas ad ipsum volitum *in se realiter* tendit. Comparatione instituta inter primam et secundam habitudinem, apparet quod prima comparatur ad secundam, ut imperfectum ad perfectum; et consequenter voluntas ex prima ad alteram progreditur. Perfectio voluntatis secundum primam habitudinem est tantum secundum *velle;* perfecta nempe erit voluntas cum complete vult finem, et id quod est ad finem. Perfectio vero voluntatis secundum alteram habitudinem est secundum ipsam boni habiti possessionem, cum voluntas illud complete est assecuta; quando nempe realiter habet illud, quod est ad finem, et realiter obtinet ipsum finem. Duplicem hanc voluntatis habitudinem ita explicat S. Th. 1. 2. q. 16. a. 4.: « Dicendum, quod voluntas duplicem habitudinem habet ad volitum. Unam quidem, secundum quod est quodammodo in volente per quamdam proportionem vel ordinem ad volitum. Unde et res, quae naturaliter sunt proportionatae ad aliquem finem, dicuntur appetere illum naturaliter: sed sic habere finem est imperfecte habere ipsum. Omne autem imperfectum tendit in perfectionem: et ideo tam appetitus naturalis, quam voluntarius, tendit ut habeat ipsum finem realiter, quod est perfecte habere ipsum, et haec est secunda habitudo voluntatis ad volitum. Volitum autem non solum est *finis*, sed *id quod est ad finem* ».

11. *Voluntas*, seu *simplex volitio*, primus voluntatis actus est, sic dictus ab ipsa potentia; sicut primus actus intellectus circa *principia* dicitur etiam ab ipsa potentia *intellectus* seu *intelligentia. Voluntas*

enim, secundum quod non pro *potentia*, sed pro *actu* usurpatur, significat *simplicem* quendam *actum* voluntatis, qui est quasi prima inclinatio voluntatis in obiectum, propositum tamquam *per se amabile*, sine ullo ordine ad aliud. Ex quo patet hunc actum proprie versari circa *finem*, solus enim finis est bonum per se amabile. Etenim *simplex potentiae actus* in id est, quod est *secundum se* obiectum potentiae. Cum autem principium omnis motus voluntatis sit *finis*, hic actus est primus voluntatis motus. S. Th. 1. 2. q. 8. a. 1. 2.; Suarez Tr. 2. D. 6. S. 1.; Lessius in l. c. S. Th.; Cajetan. in c. l.

12. Id autem non ita intelligendum est, ut *voluntas*, pro *actu* sumpta, ita sit solius exclusive *finis*, ut actus qui est circa *media* nullo modo dici possit *voluntas*. Id falsum apparet ex ipsa communi loquendi ratione: dicitur enim *voluntas finis*, et dicitur etiam *voluntas mediorum*. Ita ergo quod dictum est accipi debet, ut *voluntas*, pro *actu* usurpata, sit solius *finis* et non mediorum principaliter et proprie, ut habet idem Angelicus Doctor de Verit. q. 22. a. 13. ad 9., a. 15. c. Verum quamvis voluntas *finis* et voluntas *mediorum* dicatur, et illa principaliter et proprie, haec secundario et minus proprie; discrimen tamen non est in mera locutione, sed in re ipsa. Etenim *finis* et *medium* seu bonum *honestum* et *utile* non ex aequo se habent, sed sicut quod est secundum se, seu absolutum, et sicut quod est secundum alterum, seu ad aliquid, vel relativum. Illud ad categoriam qualitatis, istud ad categoriam relationis reducitur. Quare licet eadem, re et natura, voluntas, potentia, circa utrumque *bonum* versetur; non eadem tamen, re et natura, voluntas, actus. S. Th. 1. 2. q. 8. a. 2. ad 2. Atque hic notandum est, quod *voluntas* sive sit finis, sive sit *mediorum*, prout aliquid facere constituit, *propositum* solet appellari, v. g. voluntas non peccandi de caetero, audiendi Missam, abstinendi ab operibus servilibus, etc. Sed *voluntas* tunc iam *intentioni* accedit, et vera *intentio* est.

13. *Intentio* vi nominis significat *in aliud tendere*. « In aliquid autem tendit et actio moventis et motus mobilis. Sed hoc quod motus mobilis in aliquid tendit ab actione moventis procedit. Unde *intentio* primo et principaliter pertinet ad id quod movet ad finem. Unde dicimus architectorem, et omnem praecipientem movere suo imperio alios ad id, ad quod ipse tendit. Voluntas autem movet omnes alias vires animae ad finem. Unde manifestum est, quod intentio proprie est *actus voluntatis* », S. Th. 1. 2. q. 12. a. 1., et non intellectus; et actus voluntatis est respectu *finis*. « Voluntas quidem non ordinat; sed tamen in aliquid tendit secundum ordinem rationis. Unde hoc nomen, *intentio*, nominat actum voluntatis, praesupposita ordinatione rationis, ordinantis aliquid in finem ». S. Th. ib. ad 3., q. 12. a. 5.

14. *In fine* igitur duae rationes considerari possunt. Prima, quod

sit *bonum* quoddam *per se amabile*, sine ullo ordine ad aliud, et sic est obiectum *voluntatis*. Altera, quod huiusmodi bonum sit *per debita media obtinendum*. S. Th. 1. 2. q. 8. a. 3., q. 12. a 4. « Unde colligitur *intentionem* finis solum reperiri in absentia ipsius finis: quare Deus non intendit proprie suam felicitatem; tamen vult et amat eam, unde *voluntas* manere potest, etiam consecuto fine, quod etiam distinctionem horum actuum manifestat ». Suarez l. c. Quin imo, ut observat idem A. D. 1. 2. q. 12. a. 1. ad 4., « voluntas respicit finem *tripliciter*. Uno modo *absolute*, et sic dicitur *voluntas*, prout absolute volumus vel sanitatem, vel siquid aliud est huiusmodi. Alio modo consideratur finis secundum quod in eo *quiescitur*, et hoc modo *fruitio* respicit finem. Tertio modo consideratur finis secundum quod *est terminus* alicuius quod in ipsum ordinatur et sic *intentio* respicit finem. Non enim solum ex hoc intendere dicimur sanitatem, quia volumus eam, sed quia volumus ad eam per aliquid aliud pervenire ». « Ratio autem huius est, quia ad finis rationem integrandam tria exiguntur: bonitas ipsa propter se amabilis; et negatio ulterioris ordinis; et terminatio aliorum ad ipsum. Oportet enim finem, ut sic, *propter se*, et *non propter alium finem*, et *alia propter ipsum* amari. Et finis quidem quatenus *propter se* amabilis est ad *actum volitionis* spectat, quatenus vero *non ultra ducit*, ad *fruitionem* spectat, quae quietem in termino significat; quatenus autem *ad ipsum alia ordinanda sunt*, *intentionem* terminat. Habes et hinc, quod cum *id quod est ad finem* absolute amatur, *finis rationem* induit, et similiter cum in eo sistitur, et eodem modo cum appetitur, ut per praecedentia assequendum ». Cajetan. in l. c.

15. Porro *finis*, quem *intentio* respicit, non est necessario *finis ultimus*, ut in *fruitione*, quemadmodum suo loco dicetur. « Intentio, ait S. Th. l. c. a 2., respicit finem secundum quod est terminus motus voluntatis. In motu autem potest accipi terminus dupliciter. Uno modo ipse terminus ultimus, in quo quiescitur, qui est terminus totius motus. Alio modo aliquod medium, quod est principium unius partis motus, et finis vel terminus alterius. Sicut in motu, quo itur de A in C per B, C est terminus ultimus, B autem terminus, sed non ultimus. Et utriusque potest esse *intentio*. Unde etsi semper sit *finis*, non tamen oportet quod semper sit ultimi finis... *Fruitio* importat quidem *quietem*, quae est in fine, quod pertinet solum ad ultimum finem: sed *intentio* importat motum *in finem* non autem *in quietem* ».

16. Ex hisce, quae de *voluntate* et *intentione* dicta sunt « infertur primo *voluntatem* non esse distinctam ab *amore:* nam ratio amoris est tendere in bonum absolute, sive praesens sit sive absens... Solum videtur addendum, *amoris* nomen posse universalius usurpari et significare aliquando affectionem voluntatis sive circa medium sive circa finem... Secundo, colligunt multi actum *intentionis* non distingui ab

actu *desiderii*... desiderium enim generali significatione quamcunque appetitionem obtinendi boni, quo aliquis caret, significat: et non solum ad appetitionem efficacis voluntatis, sed etiam ad imperfectas volitiones, vel velleitates, verum etiam impossibilium sese extendit: intentio vero solum videtur significare absolutam et efficacem voluntatem obtinendi finem amatum per media consentanea. Quocirca si de *desiderio* non in illa generali significatione loquamur, sed prout est desiderium efficax finis, isto modo non videtur habere rationem formalem distinctam ab intentione, quia habet idem formale obiectum, scilicet obtinere bonum absens ». Suarez l. c. Tertio, « circa finem nondum acquisitum solum duos actus perfectos potest habere voluntas, qui ad illius consecutionem sint *necessarii*, scilicet *voluntatem* et *intentionem;* sive amorem et desiderium; imperfectos vero potest habere alios, qui tamen ad istos reducuntur... Difficultas esset de actu *spei*, qui etiam est circa finem non habitum... Sed dicendum est, *spei* actum *per se* non esse necessarium, in hac quasi linea actuum humanorum, sed *ex accidenti* circa aliquod obiectum, quod *arduum* est, et *excellens*, ut appetitus confirmetur, et communis est actibus circa finem et circa medium: et tandem, cum necessarius est, versatur circa finem, et ad *intentionem* reducitur: est enim quasi volitio quaedam obtinendi finem, quantumvis arduus et excellens videatur ». Suarez l. c. Quarto, *voluntas* solum versatur circa finem et non circa media. Ratio, quia nullum priorem actum supponit, quod repugnat volitioni mediorum ut sic. Verum actus *intentionis* vel virtute vel expresse est appetitio mediorum in communi. Ratio, quia intentio est efficax voluntas obtinendi finem. Atqui velle finem absolute ut sic consequendum est virtute velle exsequi omnia media necessaria ad finem. Insuper potest quis hunc actum explicite elicere: volo adhibere omnia media necessaria ad finem, qui actus est intentio, quia antecedit omnem *consultationem* de mediis et *electionem*, et principium est consilii et electionis. Ergo. Dicitur autem *in communi*, non *in particulari*, hac enim ratione ab *electione* distinguitur. Et sic *intentio* finis esse potest, etiam nondum determinatis his, quae sunt ad intentum finem, quorum est *electio*, ut ipsa quotidiana patet experientia. S. Th. 1. 2. q. 8. a. 1. 2. 3., q. 12. a. 4., de Verit. q. 23. a. 13. 15.; Suarez l. c. S. 2.; Lessius in q. 8. a 3. et in q. 12.

17. Ad praecedentes actus vero adhuc magis declarandos operae pretium est addere ea, quae habet Laymann l. 2. tr. 2. C. 1. n. 6., explicans quinam actus in spe ceu elementa contineantur. « Superest, ait, ut explicemus definitionem spei theologicae, iuxta strictiorem eius acceptionem, traditam a Scholasticis cum Magistro in 3. D. 26., *Expectatio certa beatitudinis ex Dei gratia et nostris meritis.* Cum dicitur *expectatio*, nota, hos voluntatis actus subordinatos esse, qui sunt amor,

desiderium, intentio, expectatio. Nam amor latius patet, quam desiderium: amamus enim cum absentia tum praesentia; desideramus tantum absentia. Desiderium latius patet intentione et expectatione; quia desiderium boni absentis aliud est simplex, qua desideramus etiam ea, quae valde difficilia, aut impossibilia acquisitu iudicamus, ideoque desperamus nec consequi intendimus: quo modo reus supplicio afficiendus vitam longiorem desiderat, quam tamen desperat, et interdum obtinere non intendit. Aliud vero est desiderium efficax boni absentis, seu nondum possessi, quod quatenus per media acquisitu possibile iudicatur dicitur intentio; quatenus vero arduum, tamen reipsa acquirendum iudicatur propter mediorum efficacitatem, seu propter facultatem propriam, aut alterius adiutoris, dicitur expectatio. Ex quo apparet, quod actus expectationis seu spei modum quendam firmitatis superaddat actui intentionis propter perspectam obtinendi facultatem »: Cf. S. Th. 3. D. 22. q. 1. a. 1. ad 3., a. 3. ad 1. ad 2.

18. Atque ex his, quae praecedunt, n. 16., patet quod motus voluntatis *in finem*, et *in id quod est ad finem*, potest considerari dupliciter. Primo modo, secundum quod voluntas in utrumque fertur *absolute* et *secundum se*. Et sic sunt simpliciter duo motus voluntatis in utrumque. *Primus motus*, quo fertur in finem *absolute*, et quandoque praecedit tempore, *voluntas* est. Sicut cum aliquis primo vult sanitatem, et *postea*, deliberans quo modo possit sanari, *vult* conducere medicum ut sanetur. Altero modo potest voluntatis motus considerari, secundum quod voluntas fertur in finem, secundum quod est ratio volendi ea, quae sunt ad finem, et, in ipsa, quae sunt ad finem, et unus idemque motus voluntatis est, et *intentio* est. Et viceversa secundum quod voluntas fertur in id quod est ad finem, propter finem, unus item idemque motus voluntatis est tendens ad finem et in id quod est ad finem. Cum enim dico, *volo medicinam propter sanitatem*, non designo nisi unum motum voluntatis. Cuius ratio est, quia finis ratio est volendi ea, quae sunt ad finem. Idem autem actus cadit super obiectum et super rationem obiecti. S. Th. 1. 2. q. 8. a. 3., q. 12. a 4., de Verit. q. 22. a. 14. Apposite Caietanus in q. 8. a. 3: « Finis et id quod est ad finem, ut volita, dupliciter se habent. Primo formaliter et seorsim secundum se; et sic diversis volitionibus amantur; et una est causa alterius. Secundo ut unum virtualiter clauditur in alio; et sic unica volitione, subiecto, amantur... Est enim *hoc* volitum propter *illud*, virtualiter participatum in *hoc*... Sic enim ad minus occurrunt..., ut (finis sit) ratio amandi, quod est ad finem. Dico autem *ad minus*, quia nihil prohibet etiam actualiter, unico actu, tendere in eleemosynam propter Deum, in illam *ut materiam*, in hoc *ut formam:* sicut unica visio corporalis tendit in colorem et lumen. Ea namque quae sunt ad finem comparantur ad finem, ut materia ad

formam, ut patet ex supradictis in q 5. Et scito, quod in huiusmodi, quae unico actu ad utrumque terminantur, ly *propter* non dicit causam volitionis, sed voliti: dicit enim causam, quare illud materiale terminat actum volendi, et non dicit aliam volitionem causantem istam, nisi virtualiter ».

19. An possit quis plura simul *intendere;* et, si plura incompossibilia intendantur, quaenam intentio praevaleat? — R. Ad 1.um affirmative. Etenim vel illa sunt ordinata ad invicem vel non. « Si quidem ad invicem fuerint ordinata, manifestum est, quod homo potest simul multa intendere. Est enim intentio non solum finis ultimi, sed etiam finis medii: simul autem intendit aliquis et finem proximum et ultimum, sicut confectionem medicinae et sanitatem. Si autem accipiantur duo ad invicem non ordinata, sic etiam simul homo potest plura intendere, quod patet ex hoc, quod homo unum alteri praeeligit, quia melius est altero. Inter alias autem conditiones, quibus aliquid est melius altero, una est quod ad plura valet. Unde potest aliquid praeeligi alteri ex hoc quod ad plura valet, et sic manifeste homo simul plura intendit ». S. Th. 1. 2. q. 12. a. 3. — R. Ad 2.um 1.° Si voluntates istae incompossibiles sint simul, praevalet praedominans, nempe quae eligeretur cognita impossibilitate. 2.° Si inter voluntates contrarias una alteri succedat, posterior praevalet priori; nam est praedominans ordine temporis. Excipe: nisi prior revocaverit saltem virtualiter, omnem voluntatem subsequentem: tunc enim prior voluntas, modo expresse non revocetur, est certe praedominans. Cf. Lugo de Sacr. D. 8. n. 121. 123.; S. Alph. l. 6. n. 24.

20. Quare si alter a te hodiernam Missam petiit pro gratiarum actione, alter pro graviter aegroto, et utriusque elicueris intentionem, tenendum est pro hoc fuisse applicatam, sive iste prior sive posterior illam petierit. Si tecum statueris: quodcumque posthac votum emisero sine licentia confessarii, illud valere nolo; et postea voveris aliquid, confessario inconsulto, non valet, modo ea voluntas non retractetur expresse vel virtualiter, scilicet si memor primi voti secundum emitteres. Si quis matrimonium contraheret, *intendens* illud esse solubile, tali animo, quod si sciret esse indissolubile non contraheret, matrimonium nullum est; nam indissolubilitas essentialis proprietas est matrimonii christiani. Valide vero contraheret, si mere per errorem tantum putaret matrimonium esse dissolubile; quia voluntas tunc certe praedominans est ipsius matrimonii contrahendi, et consequenter ille error non aufert intentionem contrahendi modo quo debet. Cf. S. Alph. l. 3. n. 210. 700., l. 6. n. 24.; Elbel n. 130.

21. *Fruitio* a fructu dicta est. « Fructus autem sensibilis est id, quod ultimum ex arbore expectatur, et cum quadam suavitate percipitur. Unde fruitio pertinere videtur ad amorem vel delectationem,

quam aliquis habet de ultimo expectato quod est finis ». S. Th. 1. 2. q. 11. a. 1. Quare *fruitio* est actus voluntatis tria includens, *amorem, possessionem, gaudium.* Includit *amorem,* sed non est amor, quia amor per se abstrahit a consecutione obiecti. Quod etiam patet ex vi ipsius nominis: nam *frui* est capere fructum ex re, amor autem solum dicit pondus in rem amatam. « Amare, ait Suaresius Tr. 2. D. 7. S. 3., est vitali quodam pondere ferri in bonum cognitum, illique uniri ex quo sequitur appetitus obtinendi bonum illud (desiderium), et posita praesentia sequitur gaudium, quod non unit amantem cum amato, sed potius est quaedam suavitas, quae ex illa unione et boni possessione oritur ». Hinc fruitio includit etiam *possessionem.* Unde Augustinus l. 1. de Doctr. Christ. cap. 4. ait: « Frui est amore inhaerere alicui rei propter seipsam ». Sed *possessio* non est, nisi forte quasi a gaudio et delectatione informata. Huiusmodi *gaudium* et *delectatio* voluntatis illud est, quod proprie nomine *fruitionis* venit.

22. Obiectum ergo *fruitionis* est bonum sub ratione *boni;* sed istud bonum debet esse *delectabile:* nam causa est delectationis. Delectatio autem est complacentia eius quod est conveniens, S. Th. 1. 2. q. 11. a. 1. ad 3., est quies appetitivae virtutis in aliquo bono amato et consequens aliquam operationem, S. Th. ib. q. 34. a. 1. Tum autem finis tum medium potest aliquo modo esse, obiectum gaudii, quamvis ratio gaudendi, seu formale obiectum, semper sit *finis.* Ratio 1.ⁱ est, quia gaudium oritur ex consecutione boni delectabilis. Atqui ipsum medium esse potest bonum delectabile. Et sic experimur nos delectari quando media convenientia obtinemus. Ergo. Ratio 2.ⁱ est, quia omne bonum amatum vel est finis, vel ratione finis. Ergo omne bonum, quod delectat est finis, vel ratione finis. Cf. Suarez Tr. 2. D. 7.; Cajetan. in q. 11. a. 1.

23. Quare *fruitio* proprie talis non mediorum, sed *finis* est; imo *ultimi finis proprie* est *fruitio.* Etenim *fruitio,* ut iam notatum est, a fructu dicta est; et duo ad rationem fructus pertinent, scilicet quod sit ultimum, et quod appetitum quietet quadam dulcedine vel delectatione. « Ultimum autem est *simpliciter* et *secundum quid. Simpliciter* quidem, quod ad aliud non refertur. Sed *secundum quid,* quod est aliquorum ultimum. Quod ergo est *simpliciter ultimum,* in quo aliquis delectatur, sicut in ultimo fine, hoc proprie dicitur *fructus,* et *eo proprie* dicitur aliquis *frui.* Quod autem *in seipso non est delectabile,* sed tantum appetitur in ordine ad aliud, sicut potio amara ad sanitatem, *nullo modo fructus* dici potest. Quod autem *in se habet quandam delectationem,* ad quam quaedam praecedentia referuntur, potest quidem *aliquo modo* dici *fructus,* sed *non proprie, et secundum completam rationem fructus* eo dicimur *frui.* Unde Aug. dicit..... *quod fruimur cognitis, in quibus voluntas delectata conquiescit.* Non autem quiescit simpliciter, nisi in ultimo, quia quamdiu aliquid expectatur,

motus voluntatis remanet in suspenso, licet iam ad aliquid pervenerit ». S. Th. 1. 2. q. 11. a. 3.

24. *Fruitio* dari quidem potest, pertinens ad amorem amicitiae. Certum est enim posse nos gaudere de bonis amici, quia illius, propter bonum eius. « Verum tamen est, nomen *fruitionis* magis proprie attribui gaudio, quod ad amorem concupiscentiae pertinet: quoniam *frui* est fructum capere; unde videtur importare respectum ad commodum ipsius fruentis ». Suarez Tr. 2. D. 7. S. 2.

25. Duplex autem distinguitur gaudium seu fruitio, *perfecta* et *imperfecta*. « Nam cum sit de fine consecuto, si finis perfecte assecutus sit, fruitio est *perfecta*, si sit assecutus in spe quadam, potest hinc oriri aliqua fruitio, sed *imperfecta*, quia illa iam est aliqualis consecutio; et haec videtur illa fruitio, de qua Paulus, *spe gaudentes* ». Suarez l. c. Ex spe boni adipiscendi delectatio etiam exoritur: fit enim quodammodo praesens menti. Hinc memoria quoque boni, quo quis iam gavisus est delicias praebet cogitanti. Sed res praesens longe maiori mentem perfundit gaudio. Ad rem A. D. 1. 2. q. 11. a. 4. « Frui importat comparationem quandam ad ultimum, secundum quod voluntas habet aliquid pro ultimo fine. Habetur autem ultimus finis dupliciter. Uno modo *perfecte*, et alio modo *imperfecte*. *Perfecte* quidem quando habetur non solum *in intentione*, sed etiam *in se*. *Imperfecte* autem quando habetur in intentione tantum. Est ergo *perfecta fruitio* iam habiti finis *realiter;* sed *imperfecta* est etiam finis non habiti realiter, sed *in intentione tantum* ». Quare idem A. D. 1. 2. q. 12. a. 5. ad 2. ait: « Fruitio non importat ordinationem alicuius in aliquid, sicut intentio, sed *absolutam* quietem in fine ».

26. Fruitio haec *perfecta* et *imperfecta* idem non est ac fruitio *propria* et *impropria*, de qua n. 22.–23., dictum est. « Dicendum, ait S. Th. 1. 2. q. 11. a. 4. ad 2., quod quies voluntatis dupliciter impeditur. Uno modo ex parte *obiecti*, quia scilicet non est *ultimus finis*, sed ad aliud ordinatur. Alio modo ex parte *appetentis finem*, qui *nondum adipiscitur finem*. Obiectum autem est, quod dat *speciem* actui: sed ab agente dependet *modus* agendi, ut sit perfectus vel imperfectus secundum conditionem agentis. Et ideo eius quod non est ultimus finis, fruitio est *impropria*, quasi deficiens a *specie* fruitionis. Finis autem ultimi *non habiti* est fruitio *propria* quidem, sed *imperfecta*, propter imperfectum modum habendi ultimum finem ». Est igitur delectatio per se innoxia, imo bona, quae rationi conveniat, et homini ad virtutum exercitium animum adiiciat: sed pessima est eorum, « qui laetantur cum malefecerint, et exultant in rebus pessimis ». Prov. 2., 14.; S. Th. 1. 2. q. 34.

27. Vehementior quidem delectatio quandoque ex sensibus hauritur; sed perfectior et maior per se intellectu. « Multo enim magis

delectatur homo de hoc, quod cognoscit aliquid intelligendo, quam de hoc quod cognoscit aliquid sentiendo: quia intellectualis cognitio et perfectior est, et etiam magis cognoscitur; quia intellectus magis reflectitur supra actum suum, quam sensus; et est etiam cognitio intellectiva magis dilecta. Nullus enim est qui non vellet magis carere visu corporali, quam visu intellectuali, eo modo quo bestiae vel stulti carent, sicut Augustinus dicit in libro XIV. de Civitate Dei. Sed si comparentur delectationes intelligibiles spirituales delectationibus sensibilibus corporalibus, sic secundum se et simpliciter loquendo delectationes spirituales sunt maiores. Et hoc apparet secundum tria, quae requiruntur ad delectationem, scilicet bonum coniunctum, et id quod coniungitur, et ipsa coniunctio. Nam ipsum bonum spirituale est maius quam corporale bonum, et est magis dilectum. Cuius signum est quod homines etiam a maximis corporalibus voluptatibus abstinent, ut non perdant honorem, qui est bonum intelligibile. Similiter etiam ipsa pars intellectiva est multo nobilior et magis cognoscitiva quam pars sensitiva. Coniunctio etiam utriusque est magis intima, et magis perfecta et magis firma ». S. Th. 1. 2. q. 31. a. 5. 6.

28. *Electio* est praeacceptio unius respectu alterius; quare importat collationem quandam praecedentem, et discretionem ab altero. Electio ergo consequitur sententiam vel iudicium, quod est sicut conclusio syllogismi operativi. Unde illud cadit sub electione, quod se habet, ut *conclusio* in syllogismo operabilium. *Finis autem* in operabilibus se habet *ut principium*, et non ut *conclusio*. Quare finis, *in quantum est huiusmodi*, non cadit sub electione. Dicitur, *in quantum est huiusmodi:* nam id, quod est in una operatione *ut finis*, potest ad aliquid aliud, *ut ad finem*, ordinari: et hoc modo sub electione cadit. Et sic ultimus finis nullo modo sub electione cadit; alii vero fines sub electione cadere possunt: sicut, in operatione medici, *sanitas* se habet *ut finis*, unde haec non cadit *sub electione* medici, sed eam supponit tanquam *principium*. Sed sanitas corporalis *ordinatur ad bonum animae:* unde apud eum, qui habet curam de animae salute potest *sub electione* cadere esse sanum, vel esse infirmum. *Electio* ergo est actus voluntatis, quo voluntas fertur in medium particulare, *ut medium*, seu *ut bonum utile*. Quamquam electio circa medium *formaliter* versetur, ea tamen *virtualiter* finis volitionem includit. Impossibile enim est unum propter aliud amare, quin hoc implicite saltem ametur; cum ipsum sit quod moveat ad amorem illius. Quin imo bene fieri potest, ut explicite voluntas uno eodemque actu possit velle *finem* et *medium* per modum unius obiecti. Quapropter *intentio* et *electio* possunt realiter et physice distingui, et possunt etiam realiter et physice non distingui. S. Th. 1. 2. q. 12. a. 4.

29. Licet ergo in nomine electionis importatur aliquid, pertinens ad rationem, sive ad intellectum, et aliquid pertinens ad voluntatem, electio tamen substantialiter seu essentialiter non est actus rationis sed voluntatis; perficitur enim electio in motu quodam animae ad bonum quod eligitur. « Quod enim sit directe actus voluntatis patet ex duobus. Primo ex ratione *obiecti:* quia proprium obiectum electionis est id quod est ad finem, quod pertinet ad rationem *boni*, quod est obiectum voluntatis: nam bonum dicitur et finis, ut honestum vel delectabile, et quod est ad finem, ut utile. Secundo ex ratione ipsius *actus*. Electio enim est ultima acceptio, qua aliquid accipitur ad prosequendum, quod quidem non est rationis, sed voluntatis. Nam quamtumcumque ratio unum alteri praefert, nondum est unum alteri praeacceptatum ad operandum, quousque voluntas inclinetur in unum magis quam in aliud, non enim voluntas de necessitate sequitur rationem. » S. Th. de Verit. q. 22. a. 15.

30. Electio consequenter procedit ex intentione efficaci finis, eiusque obiectum est *bonum utile* ut sic, et nobis *possibile*. Etenim ratio eligendi aliquid est, ut per illud finem consequi possimus. Per id autem, quod est impossibile, non potest quis finem consequi. Neque vero esse potest, quod finis sit possibilis, nisi id quod est ad finem fuerit possibile. Ad id autem, quod est impossibile nullus movetur. Quare nullus in finem tendere potest nisi per hoc quod appareat, id quod est ad finem esse possibile; adeoque nonnisi *eius quod est possibile electio* haberi potest. Electio autem intrinsecam suam naturam retinet, quamvis non contingat fieri inter plura, cum illud medium sit unum tantum. Nam actus specificatur a proprio obiecto, et idem obiectum manet electionis, nempe *medium ad finem*, sive sit unicum medium, sive conferatur cum aliis. Electio est ad modum *desiderii*, quia est de medio, ut exequendo, et executionem praecedit; et ideo de re absente est. Electio praeterea voluntatis *propositum* est; cum propositum sit voluntatis actus, quo quis aliquid se facturum constituit.

31. Electio tandem semper *humanorum actuum* est. Etenim sicut intentio est *finis*, ita electio est *eorum, quae sunt ad finem. Finis autem* vel est *actio*, nempe *humana actio*, vel *res aliqua*. Cum autem *res aliqua* fuerit *finis*, necesse est, quod aliqua *humana actio* interveniat: vel in quantum homo *facit* illam *rem,* quae est finis, sicut medicus facit sanitatem, quae est finis eius, unde et sanare seu facere sanitatem est finis medici; vel in quantum homo utitur vel fruitur illa *re*, quae est finis, sicut avaro est finis pecunia, vel possessio pecuniae. Idem dicendum est *de eo quod est ad finem:* vel enim est actio, nempe *humana actio*, vel *res aliqua*, interveniente aliqua humana actione, per quam facit id quod est ad finem, vel eo utitur. Et sic electio semper est *humanorum actuum.*

32. Si comparatio instituatur inter simplicem voluntatis actum, seu volitionem vel *voluntatem*, et *electionem*, differentia inter utrumque praeterea est; nam simplex voluntatis actus, scilicet volitio seu *voluntas*, non est universaliter liber quoad specificationem actus, quoniam ad aliquod obiectum necessario terminatur, ita quod non potest ad oppositum terminari. Electio autem et quoad exercitium actus et quoad specificationem semper est libera. *Voluntas* enim est de *fine*, adeoque circa perfectum bonum, quod est beatitudo, libera non est. *Electio* autem cum non sit *de fine*, sed de *his quae sunt ad finem*, non est perfecti boni, quod est beatitudo, sed aliorum particularium bonorum, et ideo libera est.

33. *De electione* diximus prius quam *de consilio* ageretur, secundum ordinem ipsius A.ci D.ris Licet enim consilium sit prius electione, tanquam huius causa, adeoque de consilio prius dicendum videretur; ordo tamen doctrinae exigit, ut prius de electione secundum se et intrinsecam eius naturam, deinde vere de extrinseca eius causa dicatur. S. Th. 1. 2. q. 13.; Suarez Tr. 2. D. 8. S. 1. 2; Caietan. l. c.; Lessius in h. l. — Iam vero *consilium* proprie est actus intellectus duo includens, *inquisitionem*, et inventionem mediorum, ac *iudicium* circa ea quae a nobis aguntur, et quae in dubium veniunt. *Actus intellectus* est; nam consilii est media ad finem inquirere et invenire, quod rationis et intellectus est.

34. *Inquisitionem* includit. Etenim electio consequitur iudicium rationis de rebus agendis. In rebus autem agendis multa incertitudo invenitur, quia actiones sunt circa singularia contigentia, quae propter suam variabilitatem incerta sunt. In rebus autem dubiis et incertis ratio non profert iudicium absque inquisitione praecedente. Et ideo necessaria est inquisitio rationis ante iudicium de eligendis. *Et haec inquisitio consilium* vocatur, quia nempe ab ea consilium exorditur. In hac inquisitione principium est *finis*. Consilium enim est de operationibus: ratio autem agendorum *ex fine* accipitur. Unde illud quod primum in hac inquisitione quaerimus scire est, de eo quod est agendum propter finem, an conveniat ad ducendum in finem. Et sic ista inquisitio consilii est resolutiva, incipiendo scilicet ab eo quod in futuro intenditur, quousque perveniatur ad id quod statim agendum est. Additur praeterea *inventio:* inquisitio enim ad inventionem ordinatur.

35. Inquisitio et inventio haec, est *mediorum*. Nam *finis* in operabilibus habet rationem *principii*, eo quod rationes eorum, quae sunt ad finem, ex fine sumuntur. *Principium* autem non cadit sub *quaestione:* sed principia oportet supponere in omni inquisitione. Unde cum consilium sit *quaestio*, *de fine* non est consilium, sed solum *de his quae sunt ad finem*, seu *de mediis eligendis*.

36. Praeter praedictam mediorum inquisitionem et inventionem mediorum, consilium includit *iudicium* discretivum de mediis aptioribus ad finem consequendum; *hoc est faciendum:* nam illa inquisitio et inventio ad iudicium de agendis ad finem terminatur. Terminus enim inquisitionis est id quod statim est in potestate nostra, ut faciamus. Sicut enim finis habet rationem principii: ita id quod agitur propter finem habet rationem conclusionis. Unde id quod primo agendum occurrit, habet rationem ultimae conclusionis, ad quam inquisitio terminatur. « Consilium, ait Caietanus in q. 14. a. 1., significat inquisitionem completam, i. e. usque ad iudicium inclusive. Non enim ipsa inquisitio, absque iudicio, consilium est, nisi inchoative ».

37. Insuper *consilium* est *circa ea quae a nobis aguntur*. Consilium proprie importat collationem inter plures habitam. Dicitur enim *consilium* quasi *consilium* eo quod multi consident ad simul conferendum. Est enim considerandum, quod *in particularibus contingentibus*, ad hoc quod aliquid *certum* cognoscatur, plures conditiones, seu circumstantias considerare oportet, quas *ab uno* non facile est considerari, sed *a pluribus* certius percipiuntur, dum quod unus considerat, alii non occurrit. *In necessariis* autem et *universalibus* est absolutior et simplicior consideratio, ita quod magis ad huiusmodi considerationem *unus per se* sufficere potest. Et ideo inquisitio consilii non pertinet *ad universalia* et *necessaria*, sed proprie pertinet *ad contingentia singularia*. Cognitio autem veritatis in talibus singularibus contingentibus, non habet aliquid magnum, ut per se sit appetibilis, sicut cognitio universalium et necessariorum: sed appetitur secundum quod est utilis ad operationem, quia actiones sunt circa contigentia singularia. Et ideo dicendum est, quod proprie consilium est circa ea quae aguntur a nobis, seu a nobis agenda sunt, facienda nempe vel vitanda.

38. Non est autem consilium circa omnia, quae a nobis aguntur, sed circa illa tantum a nobis agenda, *quae in dubium veniunt*. Illa enim, quae sunt iam determinata, qualiter fieri debeant, consilio non indigent, sicut contingit in artibus, quae habent certas vias operandi, et per determinatas vias ad determinatos fines procedunt. Et sic scriptor non consiliatur, quomodo debeat trahere litteras: hoc enim determinatum est per artem. Neque item consilio indigent ea, quae sunt per se nota, vel minima sunt, de quibus non multum refert, utrum sic vel aliter fiant, quia parum adiuvant, parum impediunt respectu finis consequendi. Quod autem *parum* est, quasi *nihil* accipit ratio.

39. Consilium ergo non unum, sed plures actus intellectus involvit. Illa enim inquisitio non fit sine discursu et consideratione plurium rerum. Verum consilium aliquando significat solam *inquisitionem*, aliquando solum *iudicium*, quamvis ex discursu non procedat, sed pro-

prie *utrumque* complectitur. Consilium hoc ultimo sensu frequenter quidem electionem praecedit; non tamen semper. Nam quando electio fit inter multa, quod saepius accidit, oportet omnia illa esse inventa, proposita, discussa, et iudicata per intellectum. Verum ubi agatur de rebus per se notis, vel arte determinatis, vel minimis, ut iam dictum est, non est tunc formale consilium.

40. In pueris non adhuc perfecto rationis usu utentibus, et in amentibus, aliquis est modus electionis, quia possunt media cum fine et inter se conferre. Unde interrogati rationem reddunt, propter quam hoc potius quam illud eligant. Verum ista electio non est proprie humana seu moralis, quia non fit ex perfecto consilio et potestate operantis: ratio tunc per se non iudicat, sed sequitur apprehensionem sensus, et voluntas intellectum comitatur. S. Th. 1. 2. q. 14; Caietan. in h. l.; Less. in e. l.; Suarez Tr. 2. D. 8. S. 5.

41. *Consensus.* Consentire est *simul sentire*, et sic importat quandam *coniunctionem* ad id, cui assentitur. *Consentire*, secundum vim vocis proprie importat *applicationem sensus* ad aliquid. Est autem proprium sensus, quod cognoscitivus est rerum praesentium. Et quia actus appetitivae virtutis est quaedam inclinatio ad rem ipsam, *secundum quandam similitudinem,* ipsa *applicatio* appetitivae virtutis ad rem, *secundum quod ei inhaeret,* accipit nomen *sensus*, quasi experientiam quandam sumens de re, cui inhaeret, in quantum complacet sibi in ea. Eius autem est *applicare* appetitivum motum ad aliquid agendum, in cuius potestate est appetitivus motus, sicut tangere lapidem convenit quidem baculo: sed applicare baculum ad tactum lapidis est eius, qui habet in potestate movere baculum. Propter hoc *proprie*, quoad rem ipsam, *consentire* dicitur solum rationalis voluntas, quae habet in potestate sua appetitivum motum, et potest ipsum applicare vel non applicare ad hoc vel ad illud.

42. *Consensus* tribui potest cuicunque actui libero voluntatis conformantis se seu consentientis intellectus iudicio, h. e., acceptantis bonum intellectui propositum, quo modo peccatum dicitur perfici *consensu;* et sic non est *specialis actus*, et non solum circa media verum etiam circa finem versatur. Verum prout specialis actus est, circa *medium* versatur, et actus specie distinctus non est ab electione, sed tantum ratione ex diversis respectibus. Nam quatenus voluntas vult et acceptat quod intellectus iudicat esse utile, et ita illi se *conformat*, dicitur *consensus;* quatenus vero illud praefert vel aliis mediis utilibus, vel certe aliis rebus inutilibus non conducentibus ad finem dicitur *electio.* Sed et re *consensus* ab *electione* distingui potest, quando nempe consensus sit inefficax.

43. Enimvero, ut iam dictum est., « consensus nominat applicationem appetitivi motus ad aliquid praeexistens in potestate appli-

cantis. In ordine autem agibilium primo quidem oportet sumere *apprehensionem finis*, deinde *appetitum finis*, deinde *consilium de his quae sunt ad finem*, deinde *appetitum eorum quae sunt ad finem*. Appetitus autem in *ultimum finem* tendit *naturaliter*. Unde et applicatio motus appetitivi *in finem* apprehensum non habet rationem *consensus*, sed *simplicis voluntatis*. Quae autem sunt post ultimum finem, *in quantum* sunt ad finem *sub consilio* cadunt. Et sic potest esse de eis *consensus*, in quantum motus appetitivus *applicatur ad id, quod ex consilio iudicatum est*. Motus vero appetitivus in finem non applicatur *consilio* sed magis consilium ipsi; quia consilium praesupponit appetitum finis: sed appetitus eorum, quae sunt ad finem praesupponit determinationem consilii. Et ideo applicatio appetitivi motus ad determinationem consilii proprie est *consensus*. Unde, cum *consilium* non sit nisi de his quae sunt ad finem, *consensus proprie loquendo, non est nisi de his quae sunt ad finem... Electio* addit supra *consensum* quandam relationem respectu eius, cui aliquid praeeligitur. Et ideo post *consensum* adhuc remanet *electio*. Potest enim contigere, quod per *consilium* inveniantur plura ducentia ad finem, quorum dum *quodlibet placet* in quodlibet eorum *consentitur; sed ex multis, quae placent praeaccipimus unum eligendo*. Sed si invenitur unum solum, quod placeat, non differunt re *consensus* et *electio*, sed *ratione* tantum; ut *consensus* dicatur *secundum quod placet ad agendum; electio* autem, *secundum quod praefertur his quae non* placent. » S. Th. 1. 2. q. 15. a. 3. Quoad multa illa relicta, *consensus* habetur, sed inefficax, consensus enim est voluntatis adhaesio iis, quae ab intellectu censentur utilia ad finem consequendum. Quoad unum reapse praeacceptatum *electio* habetur, quae est praeacceptio unius respectu alterius, seu efficax volitio alicuius rei particularis ad finem consequendum. — Suarez Tr. 2. D. 8. S. 2.; Lessius in l. c. S. Th.

44. Quaestionem a. 4. movet S. D. « Utrum consensus in actum pertineat solum ad superiorem animae partem? » et respondet: « Dicendum quod finalis sententia semper pertinet ad eum, qui superior est, ad quem pertinet de aliis iudicare. Quamdiu enim iudicandum restat, quod proponitur, nondum datur finalis sententia. Manifestum est autem, quod superior ratio est, quae habet de omnibus iudicare, quia de sensibilibus per rationes humanas iudicamus: de his vero, quae ad rationes humanas pertinent iudicamus secundum rationes divinas, quae pertinent ad rationem superiorem. Et ideo quamdiu incertum est, an secundum rationes divinas resistatur vel non, nullum iudicium rationis habet rationem finalis sententiae. Finalis autem sententia de agendis est consensus in actum: et ideo consensus in actum pertinet ad rationem superiorem, secundum quod in ratione voluntas includitur. » Distinguit S. D. rationem *superiorem* et *inferiorem:* secundum

varias rerum rationes ordinis superioris et inferioris respectu naturae animae rationalis; et sic ratio superior iudicat secundum rationes divinas, e. g. quod iuramentum, matrimonium, etc. licitum et honestum sit secundum divinam legem, quod haeretici negant; ratio inferior iudicat secundum rationes humanas, e. g. quod iuramentum, matrimonium, etc. licitum et honestum sit secundum humanas leges. Non est igitur alia et alia *ratio*, sed est eadem *ratio* diiudicans secundum superiores et altiores rationes, vel secundum inferioris ordinis rationes. Porro difficultas inde exoritur, quia si superior ratio intendit aeternis inspiciendis et consulendis, non ergo consentire in actum pertinet ad solam superiorem rationem: nam multoties homo consentit in actum e. g. peccati haud certe propter rationes aeternas, sed propter aliquas rationes temporales, vel etiam propter aliquas animae passiones. Ad hoc dicendum quod, si ratio inferior *secundum se* spectetur, non habet consentire in actum; quia consensus in actum est finalis sententia de agendis. Et finalis sententia semper pertinet ad eum, qui superior est, tanquam ad eum, cuius est de aliis iudicare, cuiusmodi est in proposito ratio superior. Verum si ratio inferior spectatur *secundum quod participat rationem superiorem*, cui et suppositaliter et identice coniuncta est; tunc ratio superior est quae semper habet finalem sententiam et consentire, siquidem licet in proposito peccati casu non moveat ad agendum secundum rationes aeternas, ab agendo tamen non retrahit secundum easdem rationes, quantumvis videat secundum eas rationes esse a sic agendo abstinendum. « Dicendum, ait S. Th. l. c. ad 3., quod ratio superior dicitur consentire, non solum, quia secundum rationes aeternas saepe moveat ad agendum; sed etiam, quia secundum rationes aeternas non dissentit ». Cf. de Verit. q. 15.

45. *Usus* alius est activus, alius passivus. Primus est actus elicitus a voluntate, quo voluntas movet ceteras potentias ad operandum. Quia uti re aliqua est eam applicare ad suam functionem; sicut equitare est usus equi, et percutere usus baculi. Atqui voluntatis est applicare vires animae, corporis membra, et res exteriores, quae sunt in nostra potestate, ad suas functiones, vel quasi functiones. Alter est actus potentiae exequentis, procedens ab usu activo, quae potentia comparatur ad voluntatem, a qua applicatur ad agendum, sicut instrumentum ad principale agens. Actio autem proprie non attribuitur instrumento, sed principali agenti, ut aedificatio aedificatori. non autem instrumentis. Unde sequitur quod *uti proprie* est *actus voluntatis*

46. « Ad operationem autem applicamus et principia interiora agendi, scilicet ipsas potentias animae, vel membra corporis, ut intellectum ad intelligendum et oculum ad videndum; et res exteriores, sicut baculum ad percutiendum. Sed manifestum est, quod res exteriores non

applicamus ad aliquam operationem, nisi per principia intrinseca, quae sunt potentiae animae, ut habitus potentiarum, aut organa quae sunt corporis membra... Unde manifestum est, quod *uti* primo et principaliter est voluntatis tanquam primi moventis, rationis autem tanquam dirigentis, sed aliarum potentiarum tanquam exsequentium ». S. Th. 1. 2. q. 16. a. 1. Iamvero ut *consentire* est applicare motum appetitivum ad aliquid appetendum, ita *uti* est applicare aliquod principium actionis ad actionem. Applicare autem aliquid ad alterum non est nisi eius quod habet super illud dominium et arbitrium, quod non est nisi eius qui scit referre aliquid in alterum, quod ad rationem pertinet. Et ideo *consentire* et *uti* solum pertinet ad rationem et non ad sensum. S. Th. l. c. a. 2.

47. Usus proprie est de *mediis*, nam usus significat quemdam motum voluntatis ad aliquid in ordine ad alterum, i. e., ad realiter consequendam rem volitam, seu *finem*. « *Uti*, ait S. Th. q. 10. a. 3., importat applicationem alicuius ad aliquid. Quod autem applicatur ad aliud, se habet in ratione eius quod est ad finem. Propter quod, et ea quae sunt ad finem accommodata, *utilia* dicuntur, et ipsa *utilitas* interdum *usus* nominatur. Sed considerandum est, quod ultimus finis dicitur dupliciter. Uno modo *simpliciter:* et alio modo *quoad aliquem*. Cum enim finis dicatur quandoque quidem *res*, quandoque autem *adeptio rei*, vel possessio eius; sicut avaro finis est vel pecunia vel possessio pecuniae; manifestum est quod, *simpliciter loquendo* ultimus finis est ipsa res: non enim possessio pecuniae est bona, nisi propter bonum pecuniae; sed *quoad hunc* adeptio pecuniae est finis ultimus: non enim quaereret pecuniam avarus, nisi ut haberet eam. Ergo *simpliciter loquendo et proprie,* pecunia homo aliquis *fruitur*, quia in ea ultimum finem constituit: sed in quantum refert eam ad possessionem dicitur *uti* ea ».

48. *Usus* sequitur *electionem:* si tamen accipiatur usus, secundum quod voluntas utitur *executiva potentia* movendo ipsam. Sed quia voluntas etiam quodammodo rationem movet, et utitur ea, potest intelligi usus eius quod est ad finem, secundum quod est in consideratione rationis referentis ipsum in finem. Et hoc modo *usus* praecedit *electionem*. Cum autem ipsam executionem operis *praecedat* motio, qua voluntas movet ad exequendum, et haec motio electionem *sequatur; usus*, qui ad praedictam pertinet motionem medius est inter *electionem* et *executionem*. S. Th. 1. 2. q. 16. a. 4.

49. Usus distinguitur *re* ab electione, cum prius fiat consilium, et electio de medio secundum se, quam tractetur de executione; minime vero ab electione *re* distinguitur, cum intellectus subito determinet medium et circumstantias omnes, et voluntas, in eodem instanti, in quo eligit medium, eligit etiam circumstantiam actualis exe-

cutionis, ex vi enim talis electionis sequitur actio potentiae exequentis. Quare usus voluntas est medium exequens electum ad finem assequendum. *Usus* et *electio* actus inter se specifice distincti non sunt, quia tendunt in obiectum sub eadem ratione boni, nempe ut est *utile* ad consequendum finem. Verum *electio* versatur circa medium in ordine intentionis, ut est futurum et effectus finis. *Usus* activus versatur circa idem medium in ordine exsecutionis, ut est praesens et causa efficiens finis habiti in re. Et sic isti duo actus versantur circa obiecta materialiter distincta. Quia tandem actus voluntatis reflectuntur supra seipsos, in quolibet actu voluntatis potest accipi *consensus* et *electio* et *usus:* ut si dicatur, quod voluntas *consentit* se eligere, et *consentit* se consentire, et *utitur* se ad eligendum, et ad consentiendum S. Th. 1. 2. q. 16.; Suarez Tr. 2. D. 9. S. 1. 2.; Lessius in l. c. S. Th.

50. *Imperium* de quo hic agitur, imperium est, quo quis sibi imperat, non quo imperat aliis. Dupliciter homo potest, sibi imperare 1.° quasi in actu exercito, dum se movet ad aliquid agendum. 2.° in actu signato expresse actum imperii eliciendo: fac hoc. Huiusmodi imperium est partim actus voluntatis partim est actus intellectus, quia imperare est *movere* ad agendum: « primum autem movens in viribus animae ad exercitium actus est voluntas ». S. Th. 1. 2. q. 17. a. 1. Verum imperare non est movere quomodocumque, sed movere quasi *imponendo legem:* intellectus autem est qui imponit legem voluntati, quoniam iudicat de agendis. Quare imperium est motio voluntatis, rationis ordinatione et intimatione, ad aliquid faciendum. Hinc si imperium ad alium dirigitur, externa indiget manifestatione.

51. Im age quaeritur hic, quinam sit hic actus intellectus et voluntatis, qui imperium adaequate constituit. Ad actum intellectus quod spectat nota: 1.° Ante voluntatem et intentionem praecedit iudicium practicum intellectus, quo quis iudicet non solum rem esse in se bonam, sed etiam sibi convenientem et expedire illam amare. Iudicium hoc aliqualem continent rationem imperii. « Imperans enim *ordinat* eum, cui imperat ad aliquid agendum, *intimando* vel *denuntiando* ». S. Th. 1. 2. q. 17. a. 1. 2.° ante electionem et consensum iudicium item practicum antecedit, sive sit per modum formalis consilii, sive non, medium aptum ad finem uti eligibile proponens, et huiusmodi iudicium rationem imperii magis continet, cum magis *moveat denuntiando et intimando.* 3.° Post electionem illam, quae tempore praecedit usum activum, iudicium aliud praecedit magis practicum, in hoc distinctum a iudicio quod praecedit electionem, quod magis immediate attingat opus et omnes determinatas circumstantias necessarias ad operis executionem Ratio est, quia ante omnem actum voluntatis debet antecedere iudicium intellectus illi consentaneum, a quo dirigatur et illumi-

netur; et usus activus est actus voluntatis, qui aliquid addit electioni iam factae. Iudicium hoc magis adhuc rationem imperii participat, vehementius enim *movet* voluntatem, *denuntiando* et *intimando*, non tam virtute sua, quam virtute electionis iam factae. Ordinatur enim prorsus ad executionem operis, et magis inclinat ad vincendam difficultatem operis, quae tempore executionis maior semper apparet, quam in consultatione et electione abstracta. 4° Praeter haec iudicia practica reperitur in nobis aliud iudicium, quod experimur cum nobiscum interne ita loquimur: *fac hoc;* et explicite exprimit voluntatis actum, efficacem, eliciendum operis exequendi. Hoc iudicium, proprie imperium constituit. « Imperare est quidem essentialiter actus rationis; imperans enim ordinat eum, cui imperat, ad aliquid agendum, intimando vel denuntiando: sic autem ordinare per modum cuiusdam intimationis est rationis. Sed ratio potest aliquid intimare vel denuntiare dupliciter: uno modo absolute; quae quidem intimatio exprimitur per verbum indicativi modi, sicut si aliquis dicat: *hoc est tibi faciendum.* Aliquando autem ratio intimat aliquid alicui, movendo ipsum ad hoc; et talis intimatio exprimitur per verbum imperativi modi: *fac hoc* ». S. Th. 1. 2. q. 17. a. 1. Iudicium hoc non est *per se* necessarium ad opus; est tamen utilis actus, ut voluntas ipsa, et totus homo magis moveatur, vel ut citius aggrediatur executionem, vel ut constantius in ea perseveret, quia dum homo sibi ita imperat, quasi supra seipsum reflectitur, et fit sibi superior, et quia uti locutio externa quoad alios, ita locutio interna quoad seipsum vim habet movendi et incitandi animum.

52. Ad actum voluntatis quod attinet notandum est, quod hoc imperium, si efficax est et verum, absolutam voluntatem supponit; nam si fiat sine ulla voluntate est fictum et tantum verba; si vero voluntas quae antecedit, sit inefficax, ipsum etiam inefficax erit. Et ratio est, quia tota efficacia movendi est a voluntate. Huiusmodi ergo *voluntas* rationem illius imperii complet. « Imperare est actus rationis, praesupposito tamen actu voluntatis, *in cuius virtute* ratio movet per imperium ad exercitium actus ». S. Th. 1. 2. q. 17. a. 1. Actus voluntatis, praecedens actum rationis, qui est *imperium*, est *electio, virtute cuius* ratio movet. Quare imperium est ipsum iudicium practicum, sive directum sive reflexum, quod *ex electione* iam facta, denuntiando et intimando, quod est faciendum, movet ad executionem. « Dicendum quod non omnis actus voluntatis praecedit hunc actum rationis, qui est *imperium;* sed aliquis praecedit, scilicet *electio;* et aliquis sequitur, scilicet *usus:* quia post determinationem *consilii*, quae est iudicium rationis, *voluntas eligit;* et *post electionem ratio imperat* ei per quod agendum est quod eligitur; et tunc demum *voluntas alicuius incipit uti exsequendo imperium rationis;* quandoque quidem voluntas alterius,

cum aliquis imperat alteri; quandoque autem voluntas ipsius imperantis, cum aliquis imperat sibi ipsi ». S. Th. 1. 2. q. 17. a. 3. ad 1.

53. Deducitur ex his quod *imperium* proprie in *usu* non est. Prius est enim naturaliter *imperium* quam *usus imperii*. « Dicendum, ait S. Th. 1. 2. q. 17. a. 3., quod *usus* eius quod est ad finem, secundum quod est in ratione referente ad finem (id est quatenus *usus* sumitur pro actu voluntatis moventis rationem ad consultandum et deliberandum de mediis, sic *usus* evidenter) praecedit *imperium* Sed *usus* eius quod est ad finem, secundum quod subditur potentiae executivae, sequitur *imperium;* eo quod usus utentis coniunctus est cum actu eius quo quis utitur. Non enim utitur aliquis baculo antequam aliquo modo per baculum operetur. *Imperium* autem non est simul cum actu eius cui imperatur; sed naturaliter prius est imperium quam imperio obediatur, et aliquando etiam est prius tempore. Unde manifestum est quod *imperium* est prius quam *usus* ». Attamen ipse etiam usus activus voluntatis rationem aliquam imperii habet, et saepe imperium dicitur. Voluntas enim imperat caeteris potentiis etiam intellectui. S. Th. 2. 2. q. 4. a. 2. ad 2. Quin imo imperat voluntas etiam sibimetipsi. Voluntas enim imperat omnes actus voluntarios, S. Th. 1. 2. q. 71. a. 6. ad 2., et unus actus voluntatis imperatur ab alio actu eiusdem voluntatis. Imperare enim est habentis dominium, et voluntas dominium habet omnium actionum humanarum.

54. Tria ergo sunt elementa, quae imperium constituunt. Primum est *ordinatio* alicuius ad aliquid. Cum enim praecipitur: *Dilige Deum*, ordinatur aliquis ad amandum Deum. Alterum elementum est *intimatio* seu denuntiatio, nisi enim praeceptum intimetur, seu denuntietur et manifestetur, a praecepto quis moveri non potest, et consequenter neque ad aliquid ordinari. Tertium elementum est *motio:* praecepto enim movetur quis ab imperante ad illud ad quod per idem praeceptum ordinatur, quod ideo ipsi intimatur et denuntiatur, ut illud nempe exequatur et opere compleat. Ordinatio et intimatio ad rationem spectat; motio autem ad voluntatem. Etenim ordinare includit conferre seu comparare unum cum alio; quod rationis est. Intimare seu denuntiare est manifestare et loqui, quod etiam pertinet ad intellectum. Quamvis autem movere per se primo conveniat voluntati, quia est primum movens in viribus animae ad exercitium, convenit tamen secundario et participative intellectui ex actu praecedente voluntatis, quia virtus prioris actus remanet in actu sequenti. Unde, sicut in electione remanet aliquid de virtute actus consilii praecedentis, scilicet ordo mediorum, ita in imperio remanet aliquid de virtute electionis nempe efficacia movendi. Ergo imperium est actus rationis, praesupposito actu voluntatis, in cuius virtute ratio movet per imperium ad exercitium actus. — Quare imperium simplex actus non est, sed com-

positus ex actibus intellectus et voluntatis. — Porro quandocumque duo concurrunt ad aliquid unum constituendum unum eorum est ut formale respectu alterius. Est autem considerandum in actibus animae, quod actus, qui est essentialiter et elicitive unius potentiae vel habitus, materialiter se habet, et recipit formam et speciem a superiori potentia vel habitu, secundum quod inferius ordinatur a superiori. Si enim aliquis actum fortitudinis exerceat propter Dei amorem, actus quidem ille, e. g. mori propter Christum, essentialiter et elicitive est actus fortitudinis; sed materialiter se habet respectu amoris Dei: et sic materialiter quidem est actus fortitudinis, formaliter vero caritatis. Similiter in imperio, cum voluntas concurrat ut suprema potentia, concurrit enim ut primum movens ad exercitium, et quod est a superiori potentia se habet ut formale in actu composito, quod vero est ab inferiori potentia se habet ut materiale; consequens est, ut ordinatio et intimatio in imperio se habeat ut materiale, et motio ut formale. Quare imperium est essentialiter et elicitive actus rationis, quoad materiale eius elementum, voluntatis quoad elementum formale; seu est actus rationis participantis voluntatem, ut primum movens. — S. Th. 1. 2. q. 17. a. 1. 2. 3. 5. Quodl. 9. a. 12.; Suarez Tr. 2. D. 9. S. 3.; Caietan. in l. c.; Lessius in e. l.

55. Utrum imperium et actus imperatus sint unus actus, an plures? — R. Imperium et actus imperatus licet in genere entis sint plures actus, in genere tamen moris sunt unus actus; quia ex illis conficitur una perfecta actio, « unde quasi per modum materiae et formae uniri censentur; ex quo colligitur non solum imperium et actum imperatum, sed etiam consilium, electionem, et usum quatenus ad executionem eiusdem actionis tendunt, si simul fiant, et sine interruptione morali, censeri omnes complere unum perfectum actum humanum ». Suarez l. c. S. 3. « Notandum omnes actus, qui sunt post intentionem trahere bonitatem vel malitiam ex intentione, quia ex vi intentionis sequuntur. Ideo enim consultatio est moraliter bona vel mala, quia procedit ex bona vel mala intentione. Idem dicendum de iudicio, electione, imperio, usu, adeptione. Itaque tota haec actuum series censetur unum numero peccatum in ordine ad confessionem. Unde qui homicidium commisit non tenetur dicere se intendisse, consultasse de mediis, iudicasse, elegisse, etc.; sed sufficit dicat se commisisse homicidium, nisi forte aliquod medium alias per se illicitum intervenisset, ut si arte magica vel opera alterius usus fuisset ». Lessius in q. 17. a 9. D. n. 31. Cf. etiam in q. 17. a. 4. Et S. Th. 1. 2. q. 17. a. 4.: « Sicut autem in genere rerum naturalium aliquod totum componitur ex materia et forma, ut homo ex anima et corpore, qui est unum ens naturale, licet habeat multitudinem partium, ita etiam in actibus humanis actus inferioris potentiae materialiter se habet ad

actum superioris; in quantum inferior potentia agit in virtute superioris moventis ipsam. Sic enim et actus moventis primi formaliter se habet ad actum instrumenti. Unde patet, quod imperium et actus imperatus sunt unus actus humanus, sicut quoddam totum est unum, sed est secundum partes multa ».

54. An actus voluntatis, rationis, appetitus sensitivi, animae vegetabilis, exteriorum membrorum imperentur? — R. 1.° « Dicendum, quod sicut dictum est, imperium nihil aliud est, quam actus rationis ordinantis, cum quadam motione ad aliquid agendum. Manifestum est autem, quod ratio potest ordinare de actu voluntatis. Sicut enim potest iudicare, quod bonum sit aliquid velle, ita potest ordinare imperando, quod homo velit. Ex quo patet quod *actus voluntatis* potest esse imperatus ». S. Th. 1. 2. q. 17 a. 5.

2.° « Dicendum, quod, quia ratio supra seipsam reflectitur, sicut ordinat de actibus aliarum potentiarum, ita etiam potest ordinare de suo actu. Unde etiam *actus suus* potest esse imperatus. » S. Th. 1. 2. q. 17. a. 6.

3.° Dicendum, quod secundum hoc aliquis actus imperio nostro subiacet, prout est in potestate nostra. Appetitus sensitivus virtus est corporali organo utens. Omnis autem actus virtutis utentis organo corporali dependet non solum ex potentia animae, sed etiam ex corporalis organi dispositione. « Illud autem, quod est ex parte potentiae animae, sequitur apprehensionem. Apprehensio autem imaginationis, cum sit particularis, regulatur ab apprehensione rationis, quae est universalis, sicut virtus activa particularis a virtute activa universali. Et ideo ex ista parte *actus appetitus sensitivi* subiacet imperio rationis. Qualitas autem et dispositio corporis non subiacet imperio rationis. Et ideo ex hac parte impeditur, quin motus sensitivi appetitus totaliter subdatur imperio rationis ». S. Th. 1. 2. q. 17. a. 7.

4.° « Ratio imperat per modum apprehensivae virtutis. Et ideo actus illi, qui procedunt ab appetitu intellectivo, vel animali possunt a ratione imperari; non autem actus illi qui procedunt ex appetitu naturali. Huiusmodi enim actus sunt vegetabilis animae... Et propter hoc *actus vegetabilis animae* non subduntur imperio rationis ». S. Th. 1. 2. q. 17. a. 8.

5.° « Dicendum, quod membra corporis sunt organa quaedam potentiarum animae. Unde eo modo, quo potentiae animae se habent ad hoc, quod obediant rationi, hoc modo se habent etiam corporis membra. Quia igitur vires sensitivae subduntur imperio rationis, non autem vires naturales, ideo *omnes motus membrorum, quae moventur a potentiis sensitivis subduntur imperio rationis.* Motus autem membrorum, qui consequuntur vires naturales non subduntur imperio rationis ». S. Th. 1. 2. q. 17. a. 9.

55. An omnes actus voluntatis, rationis, et sensus imperentur? — R. Negative. Nam. 1.° quoad *voluntatem*, primus amor seu prima voluntas finis, actus proprie imperatus non est, quia procedit a iudicio *minus practico*, et nullum alium actum voluntatis praesupponit. Dicitur a iudicio *minus practico*, quatenus, ut ait A. D., ille voluntatis actus *ex rationis ordinatione* seu ex ratione deliberante non est. Actus item imperati non sunt omnes illae affectiones indeliberatae, quae naturaliter excitantur. S. Th. 1. 2. q. 17. a. 5. ad 3., 1. p. q. 82. a. 3. Idem dicatur de omnibus illis actibus intellectus, qui, obiecto per imaginationem apprehenso, naturali instinctu ab intellectu eliciuntur.

2.° Quoad *intellectum*, primus item actus intellectus nullo modo imperatus est, cum nullum alium actum intellectus et voluntatis praesupponat. — Alios actus intellectus voluntas imperare quidem potest *quoad exercitium*. « Interdum tamen contingit, ut propter aliqua impedimenta non obediat intellectus voluntati, ut si motio sensus vel phantasiae sit ita vehemens, ut quasi rapiat intellectum; nam tunc vel voluntas non potest uti suo arbitrio, vel certe, dum ipsa vult, id obtinet quod vult, tamen statim intermittit actum intellectus. Ergo reverti potest ad eandem cogitationem, si aliunde moveatur. » Suarez Tr. 2. D. 10. S. 1. — *Quoad speciem* vero actus, intellectus a voluntate non pendet in simplici apprehensione et iudicio, ubi adsit evidentia. Ratio est, quia intellectus est potentia necessario agens, quando obiectum perfecte ei proponitur ut necessario verum. Ubi vero non adsit evidentia potest moveri a voluntate quoad speciem actus, i. e. ad assentiendum vel dissentiendum. Ratio est, quia tunc intellectus non necessitatur ad actum a suo obiecto. Ergo non nisi a voluntate ad actum determinatur. Et sic actus fidei supernaturalis liber est non tantum quoad exercitium, verum etiam quoad speciem actus. S. Th. 1. 2. q. 17. a. 6., 2. 2. a. 9.; Suarez l. c.

3.° *Quoad* appetitum sensilem, cum adest in phantasia sufficiens repraesentatio obiecti convenientis non potest voluntas imperare appetitui sensili, ut non appetat. Ratio est, quia voluntas et intellectus non possunt immediate movere appetitum sensitivum, nisi adsit repraesentatio phantasiae, sensilis autem appetitus de se potentia naturalis est necessario agens, si obiectum sit debite propositum. Insuper interdum voluntas non potest imperio suo tollere apprehensionem imaginationis, et tunc etiam non potest impedire omnem actum appetitus sensitivi. Hoc patet in iis actibus, qui omnino praeveniunt rationis usum et advertentiam, ac in iis qui necessario causantur ex reali praesentia obiecti, vel alteratione aliqua materiali ipsius corporis. S. Th. 1. 2. q. 17. a. 7. c. et ad 1., a. 9. ad 3. « Praeterea etiam quando actus phantasiae non procedit ex mutatione obiecti exterioris contingere potest, ut voluntas non possit illum removere, quia inte-

rior ipsa motio imaginationis, quae saepe fit per naturalem alterationem humorum et spirituum vitalium, vel propter operationem alicuius intrinseci agentis, angeli vel daemonis, ita potest esse vehemens et importuna, ut non possit voluntas suo arbitrio istam depellere, quia etiam tunc dependet ex actuali motione obiecti, quamvis interius facta, quam motionem non potest voluntas impedire. Sciendum autem est, voluntatem et rationem, quamvis imperando non possint cohibere istos motus, posse tamen illos moderari, si rebus aliis attendant. » Suarez l. c. S. 2. « Quando apprehensio imaginationis et motio appetitus non procedit ex actuali motione obiecti potest voluntas et revocare imaginationem ad aliud, et impedire motum appetitus... Ratio est, quia voluntas est generale principium actuum humanorum... Tamen oportet advertere efficaciam huius imperii ex necessitate solum habere vim, quamdiu voluntas ipsa actu movet et intellectus advertit; nam statim atque voluntas cessat, phantasia et appetitus possunt reverti ad suos actus. » Suarez l. c. Quandocunque voluntas efficaciter imperat appetitui sensitivo, et appetitione absoluta appetit vel fugit aliquod obiectum, ipse semper et necessario obedit, non quatenus voluntas tollat omnem repugnantiam, sed quatenus ab ea repugnantia voluntas non pertrahatur. Id ex eo patet, quod aggredimur saepe res ipsi appetitui repugnantes.

4.° Hinc intelligitur ratio, propter quam potentia motiva voluntati ad nutum et sine resistentia obedit, et appetitus sensilis, qui perfectior est et voluntati similior, ei saepe resistit. Causa enim est, quia membra exteriora non moventur, Cf. Less. in q. 17. a. 5. et seqq., ab obiecto proprio, uti facultas vitalis sensilis cognoscitiva et appetitiva, sed a superiori tantum potentia moventur, tanquam instrumentum quoddam et organum, quod omnino subiicitur principali moventi. Requirunt tamen intrinsece debitam dispositionem ad motum efficiendum, unde fieri potest, ut ex huius defectu impedire possit voluntatis imperium; ac quia naturale quoddam pondus habent, licet non habeant appetitum vitalem, resistere etiam aliquo modo possunt voluntatis imperio. S. Th. 1. 2. q. 17. a. 9.; Suarez l. c.; Caietan. in q. 17.

56. Duodecim ergo, intellectus et voluntatis motus numerari possunt, qui sic possunt coordinari. 1.° Apprehenditur finis, v. g. divina gloria. 2.° Est *voluntas* illius *finis*. 3.° *Intentio* eiusdem *finis*. 4.° *Imperfecta fruitio* praedicti *finis*. Et sic expletur *prima* voluntatis *habitudo ad finem*. Cum enim praedicti actus in voluntate insint, *perfecte voluntas habet in seipsa finem*, i. e. *perfecte vult finem*. Incipit hinc *prima* quoque voluntatis *habitudo ad id quod est ad finem*. Intentio enim perfecta et efficax *finis* ad id descensum praebet voluntati. *Consilium* inde sequitur de his quae sunt ad finem. Sed quia consilium hoc voluntarium est, et a voluntate movetur ratio ad consiliandum,

et haec motio vere usus est: hinc 5.° loco ponendus *usus rationis ad consilium*, 6.° loco autem *consilium de his quae* sunt ad finem, v. g. de studio Theologiae, de morum bonitate, etc. 7.° Est *consensus* adhaerens conclusioni, puta quod ista placent. 8.° Est *electio* praeferens alterum conclusorum, puta sanctitatem perfectam morum et statum religiosum aliis vitae statibus, Theologiam aliis scientiis, etc. Et haec *electio* est « ultimum quod pertinet *ad primam habitudinem* voluntatis *respectu eius, quod est ad finem...*; ibi enim completur proportio voluntatis, *ut complete velit id quod est* ad finem, » S. Th. 1. 2. q. 16. a. 4., et consequenter *perfecte in voluntate habeatur id quod est ad finem.* 9.° Est praeceptum seu *imperium*, quod praecipit electa executioni mandari. Et hinc incipit *secunda habitudo* voluntatis *ad id quod est ad finem*; quoniam iam incipit descendere ad hoc ut *habeat finem realiter.* 10.° Est *usus*, quo voluntas movet potentias exsecutivas, applicans eas ad exsecutionem, puta pedes ad eundum ad scholam, et intellectum ad studendum, etc. 11.° Est *exsecutio* ipsa, assecutiva, per id quod est ad finem, puta per iter, per studium, etc., ipsius finis, e. g. Dei glorificationem promovere et contemplari. Et sic 12.° consummatur totus processus *fruitione* perfecta superveniente, quae de fine habito et possesso realiter est. Caietan. in 1. 2. q. 16. a. 4. Cf. S. Th. 1. 2. q. 16. a. 4., Caietanum in q. 9. a. 4. par. *Ad evidentiam — Scito secundo.*

COMMENTARIUS QUARTUS

DE ALIIS VOLUNTARII PARTITIONIBUS

1. Si voluntarium consideretur in ordine ad ipsum *actum*, qui procedit a voluntate, et in ordine ad *obiectum*, circa quod actus ille versatur, aliae habentur voluntarii partitiones.

2. Duo in voluntario concurrunt, scilicet principium intrinsecum et cognitio finis. *Ratione huius cognitionis*, voluntarium aliud est *perfectum*, aliud *imperfectum.* Dupliciter autem haec partitio sumi potest. Etenim, si habetur cognitio tantum *imperfecta* finis, quoad *eius intrinsecam naturam*, ut est cognitio sensitiva, quae in sola apprehensione rei, quae finis est, consistit, absque eo quod ratio finis, et proportio mediorum ad finem cognoscatur, tunc habetur voluntarium *imperfectum*, quod etiam brutis animalibus convenit. Si vero *perfecta* finis cognitio habeatur, *quoad eius intrinsecam naturam*, ut est intellectiva cognitio rei quae est finis, rei quae est medium, et simul rationis finis et proportionis mediorum, tunc habetur voluntarium perfectum, quod solum convenit naturae rationali. Voluntarium ergo *imperfectum* est actus sensitivi appetitus, voluntarium *perfectum* ex actu est rationalis appetitus. S. Th. 1. 2. q. 6. a. 2.

3. Voluntarium *perfectum* et *imperfectum* potest praeterea haberi in ipso voluntatis actu, secundum accidentalem eius perfectionem. Voluntarium *perfectum* habetur in illis voluntatis actibus, qui cum plena cognitione et advertentia procedunt. Voluntarium imperfectum habetur in illis eiusdem voluntatis actibus, qui cum semiplena cognitione et advertentia procedunt, ut sunt nonnumquam actus puerorum, et actus semifatuorum, semidormientium, semiebriorum, actus subitaneae irae. Praedicta deliberatio sita est in consideratione variorum obiectorum, quae voluntatis libertati eligenda proponuntur, eaque brevissimo tempore et unico perfici potest momento. Unde fit, quod in hoc *imperfecto voluntario* possit esse magna latitudo, qualis esse potest in advertentia imperfecta. Attamen in hac divisione *voluntarium imperfectum* sumitur, prout excluditur *voluntarium perfectum*, et consequenter prout excluditur perfectus usus rationis, qui ad libertatis exercitium sufficiat, iuxta capacitatem obiecti. Suarez Tr. 2. D. 1. S. 3. 4.

4. *Ratione ipsius voluntarii*, seu *inclinationis voluntatis*, voluntarium aliud est *simpliciter tale* seu *perfectum*, aliud *tale secundum quid* seu *imperfectum*. Primum illud est, quod a voluntate, plena inclinatione eiusdem voluntatis, absque ulla repugnantia progreditur, uti e. g. ducem exercitus post partam victoriam pergere ad triumphum. Secundum est illud, quod procedit quidem a voluntate consentiente, sed non sine aliqua eiusdem rationalis voluntatis repugnantia, ita ut *volitio actu* quidem sit, sed admixta *nolitioni conditionatae* obiecti. Sic nauta, naufragii periculo urgente, *actu vult* et *deliberate vult* merces proiicere, qua tamen, *deliberata etiam voluntate* servare *vellet*, si naufragium non immineret, unde non sine voluntatis deliberata repugnantia, sed *inefficaci*, eas proiicere absolute consentit. Unde « ea, quae per timorem fiunt, non sunt simpliciter voluntaria, sed mixta ». S. Th. 1. 2. q. 142. a. 3. Cf. n. 6. et S. Th. 1. 2. q. 6. a. 6. ad 3., a. 7. ad 2., S. q. 47. a. 1. — Haec partitio voluntarii in voluntarium *sempliciter tale* et in voluntarium *secundum quid*, in voluntarium *perfectum* et *imperfectum* vario sensu accipi potest, ut ex dictis iam constat et ex mox dicendis ulterius constabit. Illa enim denominatio ex variis voluntarii respectibus potest desumi.

5. *Ratione liberi* seu *ratione deliberationis*, voluntarium aliud est *absolutum* et *simpliciter*, aliud *secundum quid*, quod *velleitas* etiam nuncupatur. Et sic, stante tentatione peccati in voluntate, qua tamen quis *deliberate peccato resistit*, voluntas, *ut natura*, seu secundum quid, vult peccatum: sed tamen eadem voluntas, *ut rationis voluntas*, absolute et simpliciter peccatum detestatur. Apposite S. Thomas 3. p. q. 21. a. 4., ubi rationem simul reddit huius partitionis: « Voluntas simpliciter hominis est rationis voluntas. Hoc enim *absolute* volumus,

quod secundum *deliberatam rationem* volumus. Illud autem, quod volumus secundum motum sensualitatis, vel etiam secundum motum voluntatis simplicis, quae consideratur ut natura, *non simpliciter* volumus, sed *secundum quid,* scilicet si aliud non obsistat, quod per deliberationem rationis invenitur. Unde talis voluntas magis est dicenda *velleitas,* quam *absoluta voluntas;* quia scilicet homo hoc vellet, si aliud non obsisteret ».

6. *Ratione obiecti,* ad quod voluntas tendit, voluntarium aliud est *absolutum* et *simpliciter,* aliud quod est *velleitas,* et *secundum quid,* prout nempe absolute consideratur, ut reapse est, secundum omnes sui circumstantias, vel tantum prout in se est, praecisione facta a circumstantiis. Ad rem A. D. 1. p. q. 19. a. 6. ad 1. « Unumquodque secundum quod bonum est, sic est volitum a Deo. Aliquid autem potest esse in *prima* sui consideratione, secundum quod absolute consideratur, bonum vel malum, quod tamen prout cum aliquo adiuncto consideratur, quae est *consequens* consideratio eius e contrario se habet. Sicut hominem vivere est bonum et hominem occidi est malum, secundum absolutam considerationem: sed si addatur circa aliquem hominem, quod sit homicida, vel vivens in periculum multitudinis, sic bonum est eum occidi et malum est eum vivere: unde potest dici, quod iudex iustus antecedenter vult hominem vivere, sed consequenter vult homicidam suspendi. Similiter Deus antecedenter vult omnem hominem salvari, sed consequenter vult quosdam damnari secundum exigentiam suae iustitiae. Neque tamen id quod antecedenter volumus, *simpliciter* volumus, sed *secundum quid:* quia voluntas comparatur ad res, secundum quod in seipsis sunt, in seipsis sunt in particulari. Unde *simpliciter* volumus aliquid, secundum quod volumus illud, consideratis omnibus circumstantiis particularibus, quod est consequenter velle. Unde potest dici, quod iudex iustus *simpliciter* vult homicidam suspendi, sed *secundum quid* vellet eum vivere, scilicet in quantum est homo. Unde magis potest dici *velleitas,* quam *absoluta* voluntas. Et sic patet, quod quidquid Deus simpliciter vult, fit, licet illud, quod antecedenter vult, non fiat ». Atque hinc patet, quod proiectio mercium in mare, quae supra n. 4. dicta est, alia ratione, voluntaria secundum quid, hac ratione dicenda est voluntaria absolute et simpliciter, inspiciendo nempe rem prout hic et nunc agitur.

7. Voluntarium *ratione quoque obiecti,* et *ratione suae perfectionis* aliud est voluntarium *absolutum, efficax, perfectum,* seu *completum,* ut dicitur a S. Thoma, aliud est voluntarium, quod iterum *velleitas* appellatur, *simplicis complacentiae,* seu *imperfectum* et *incompletum,* ut dicitur ab eodem S. D. Primum est illud, quod usque ad consecutionem rei se extendit, rem et media ad eam volendo. Alterum

illud est, quod usque ad rei consecutionem non progreditur, sed in eius sistit simplici complacentia. Sic huius partitionis rationem assignat A. D. 1. 2. q. 13. a. 5. ad 1. « Dicendum quod voluntas media est inter intellectum et exteriorem operationem. Nam intellectus proponit voluntati suum obiectum, et ipsa voluntas *causat exteriorem operationem*. Sic igitur *principium* motus voluntatis consideratur ex parte intellectus, qui apprehendit aliquid ut bonum in universali. Sed *terminatio* seu *perfectio* actus voluntatis attenditur *secundum ordinem ad operationem,* per quam aliquis tendit *ad consecutionem rei:* nam motus voluntatis est ab anima ad rem; et ideo perfectio actus voluntatis attenditur secundum hoc, quod est aliquid bonum alicui ad agendum. Hoc autem est possibile. Et ideo voluntas *completa* non est nisi de possibili, quod est bonum volenti. Sed voluntas *incompleta* est de impossibili, quae secundum quosdam *velleitas* dicitur: quia scilicet aliquis vellet illud, si esset possibile ». Et sic infirmus sanitatem sperans, sanitatem vult voluntate *completa:* habet enim voluntatem absolutam et efficacem sanitatis, volendo simul media sanitatem inducentia. Infirmus de sanitate desperans, unde negligit media ad illam recuperandam necessaria adhibere, sanitatem vult voluntate *incompleta;* habet enim simplicem tantum complacentiam, seu velleitatem sanitatis, cum media simul non velit sanitatem inducentia.

8. Voluntas completa et incompletam non sic est ergo accipienda, quasi voluntas incompleta sit velle non deliberatum, aut non capax meriti et demeriti, aut quasi voluntas incompleta sit velle semideliberatum. Potest enim quis deliberate et plena deliberatione velle expellere Deum de regno suo si posset, et similia: ubi constat inveniri peccatum et peccatum grave, sed completio et incompletio voluntatis accipienda est *secundum ordinem voluntatis ad operationem,* secundum modum nempe *motus voluntatis ad rem.* Hinc ex eo quod voluntatis motus est ad rem, media operatione exteriori, assequendam, disponendam, etc. perfectus non est perfectione apta nata inveniri in genere motus voluntatis, nisi terminetur ad bonum agibile, quamvis perfectus sit quoad consensum, deliberationem, et alia huiusmodi. Et sic peccator et magnus peccator, qui vult ad Deum converti et ideo poenitentiam agere vult voluntatem habet completam. Caietan. in l. c. Et q. 20. a. 4. idem A. D. inquit: « Si loquamur de bonitate actus exterioris, quam habet (actus exterior) secundum materiam et debitas circumstantias, sic comparatur ad voluntatem ut *terminus et finis,* et hoc modo addit ad bonitatem vel malitiam voluntatis, quia omnis inclinatio, vel motus *perficitur* in hoc, quod consequitur finem vel attingit terminum: unde non est *perfecta* voluntas, nisi sit talis, *quae opportunitate data operetur.* Si vero possibilitas desit, voluntate existente *perfecta,* ut operaretur, si posset, defectus perfectionis, quae

est ex actu exteriori, est simpliciter involuntarius ». Voluntas ergo potest dici et esse completa dupliciter. Uno modo secundum illam habitudinem, qua volitum est in voluntate. Alio modo secundum illam, qua voluntas tendit in realem assecutionem voliti. Iuxta primum modum significatur perfectio voluntatis per hoc, quod est *velle perfecte,* iuxta secundum vero per hoc, quod est *habere perfecte,* seu assequi et possidere rem volitam. Unde voluntas parata operari si posset, est *perfecta voluntas,* quia *perfecte vult,* et hoc spectat ad primae habitudinis perfectionem, et est *imperfecta simpliciter,* quia non pervenit ad hoc quod *realiter habeat,* assequatur et possideat id quod vult et quod nata est habere. Omnis enim motus deficiens a termino est imperfectus per privationem in assecutione termini consistentis. Et cum prima perfectio sit alterius rationis a secunda, et tota latitudo primae comparetur ad secundam, ut imperfectum ad perfectum, consequens est, quod quantumcumque crescat, et intensissimus sit interior actus voluntatis, solus nunquam perveniet ad hoc, quod sit perfectus simpliciter, sine assecutione exterioris. Propter quod Salvator dixit Io. 15., 13.: *Maiorem caritatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis; ponat* dixit, non *velit ponere.* Caiet. in l. c.

9. Voluntarium, ratione *ipsius actus voluntatis,* quo a voluntate procedit, aliud est *directum* aliud *indirectum.* Directum a voluntate *agente* est. *Indirectum* a voluntate est non agente, *non prohibente.* Atque hic distinguendum est inter *omissionem* et *effectum* omissionis. *Omissio* voluntaria est, quamvis actum ponendi nulla habeatur obligatio. Si enim advertat intellectus ad id quod omittitur, iam illa *omissio* a voluntate pendet, ut ponatur vel non ponatur, adeoque *voluntaria* semper est. Neque requiritur ad hoc ut sit *voluntaria,* quod habeatur praeceptum actum ponendi. Qui studio intentus omittit missam die feriali, non minus libere omittit quam die festo. Unde omissio non est semper *culpabilis;* nam hoc aliud pendet a praecepto, quod utique adesse potest, actum ponendi, sed non semper tale praeceptum habetur. Multae quidem sunt omissiones *voluntariae,* quae tamen simul *culpabiles* non sunt. Qui vacat orationi vel studio, licitam omittit recreationem, non per volitionem directam illius omissionis, sed ex voluntaria orationis vel studii electione, eo tempore, neque certe peccat, imo meretur. *Effectus* vero omissionem concomitans vel consequens, voluntarius non est absque obligatione illum impediendi, *nisi forte omissio ad hunc affectum ordinetur.* Etenim praedictus effectus physice a voluntate non procedit; nam voluntas non agens nullum physicum influxum in illum exercere potest. Neque vero procedit a voluntate moraliter; nam, cum physice a voluntate non procedat, voluntas nullo pacto in illum influit, adeoque neque moraliter ei attribui potest, nisi quatenus voluntas possit et debeat illum impedire. Tunc enim

effectus ille voluntati imputatur, quatenus voluntati cura incumbit effectum impediendi. Quare, seclusa hac obligantione *effectum,* ex omissione secutum, impediendi, huiusmodi effectus voluntarius non est. Apposite Angelicus Doctor 1. 2. q. 6. a. 3. « Non semper id quod sequitur ad defectum actionis reducitur, sicut in causam, in agens, ex eo quod non agit, sed solum tunc cum potest et debet agere. Si enim gubernator non posset navem dirigere, vel non esset ei commissa gubernatio navis, non imputaretur ei navis submersio, quae per absentiam gubernatoris contingeret. Quia igitur voluntas volendo et agendo potest impedire hoc quod est non velle et non agere, et aliquando debet; hoc quod est non velle et non agere imputatur ei, quasi ab ipsa existens ».

10. « Confirmatur 1.° ex discrimine, quod est inter ipsam *omissionem* et *effectum* illum, sequentem aut comitantem, respective ad voluntatem. *Omissio* per se immediate, nulla alia causa interveniente, pendet a voluntate; voluntas enim aeque immediate potest non velle ac velle. Unde, ut non volitio seu omissio volendi sit voluntaria indirecte, non indiget alia causa, sed dumtaxat advertentia et suspensione influxus modo vitali, quod praestat eliciendo alterum actum incompossibilem cum actu qui omittitur, tunc enim omissio procedit indirecte a principio intrinseco cum cognitione finis. At vero *effectus* omissionem sequens aut concomitans non est per se immediate a voluntate, sed mediante alia causa interveniente; si v. g. dum omitto separare duos rixantes, occisio inde secuta neque a mea voluntate, neque a mea omissione causatur, sed a gladio occisoris; item quando nauta omittit gubernare navim, neque eius voluntas, neque eius omissio submergit navim, sed tempestas. Ut ergo talis effectus refundatur in voluntatem, ut in causam, et dicatur interpretative voluntarius, debet assignari aliquid, quo fit ut pertineat aliquo modo ad voluntatem, et aliquam connexionem habeat cum illa, et aliud assignari non potest, nisi praeceptum illum effectum impediendi. 2.° Dantur effectus sequentes aut comitantes omissionem voluntariam, qui nullo modo sunt voluntarii, defectu obligationis illos impediendi: sic Deus omittit voluntarie impedire peccata hominum, et tamen peccata non sunt illi voluntaria, quia non tenetur illa impedire ». Billuart de Act. hum. Diss. 1. a. 1.

11. Dictum autem est, *nisi forte omissio per modum medii ordinetur ad hunc effectum;* etenim si praedicta omissio ab ipso agente ut medium ad hunc effectum ordinetur « tunc manifestum est, quod talis effectus esset directe intentus et volitus, et consequenter positive et directe voluntarius: ut, si quis eo fine ut patiatur frigus, mortificationis ergo, omittat accedere ad ignem; frigus est ipsi positive voluntarium, quia per se intentum et volitum ». Billuart l. c. Si vero

praedicta omissio ex se ut medium ad hunc effectum ordinetur, uti ex. gr. si quis omittat comedere et bibere et deinde fame et siti moriatur, tunc stante intima illa coniunctione inter omissionem et effectum, effectus cum illa unum constituere censetur obiectum, et ad eandem speciem pertinet cum sua causa. Qui vult antecedens vult etiam consequens, intime illi connexum, sufficienti cognitione supposita. Unde in huiusmodi voluntario, praeceptum solum ad hoc conferre potest, quod illud voluntarium sit turpe vel honestum, sed non ad hóc ut sit *voluntarium*, cum voluntarium sit ab intrinseco, et praeceptum sit extrinsecum. Suarez Tr. 2. D. 1. S. 4.

12. Voluntarium *ratione item ipsius actus voluntatis* et *ratione obiecti,* quod immediate voluntatis actum terminat, aliud est *voluntarium in se,* aliud *voluntarium in causa.* Primum habetur quando quis aliquid *immediate in se vult ;* secundum vero, quando quis *vult causam,* ex qua *praevidet aliquem effectum secuturum ;* hunc enim tunc *in se* non vult, sed *in alio,* scilicet in eius *causa.* Dicitur *praevidet,* h. e. mere *praevidet ;* nam si praeterea velit, iam erit ille effectus *directe et in se volitus* et *voluntarius,* et non tantum *in causa.* Hinc autem consequitur, quod ille *effectus,* non erit amplius volitus et voluntarius tamquam *effectus ;* neque item eius *causa* volita et voluntaria erit tanquam *causa ;* sed effectus tunc respectu voluntatis rationem habebit *finis,* et causa rationem *medii.* Illud enim quod quis vult *propter se* habet rationem *finis,* quod quis vult *propter aliud* rationem *medii.* Neque vero valet obiicere, quod si effectus mere *praevidetur,* et in illum voluntas suo actu non feratur, iam ille effectus est *praeter intentionem,* et nullo modo neque in causa voluntarius esse potest. Etenim quia voluntas *non volendo causam potest impedire effectum,* et aliquando *debet,* imputatur ei effectus, qui consequenter cum non sit volitus *in se,* volitus erit in causa. S. Th. q. 6. a. 3., q. 71. a. 5. Et sic mala operis, contra proximum commissa in ebrietate, voluntaria sunt in causa illi, qui voluntarie inebriatus est, ea mala praevidens ex praevia experientia, quamvis eadem mala neque vellet neque intenderet. Cf. n. seq. et Suarez Tr. 2. D. 1. S. 4. etc.

13. Voluntarium *in se,* et voluntarium *in causa* Theologi plures a voluntario *directo et indirecto* omnino distinguunt. Et sic Suarez « voluntarium *in se,* ait, satis clarum est, tunc enim aliquid dicitur *in se voluntarium,* quando in se est volitum, ita ut voluntas immediate versetur circa illud vel per *actum proprium,* si sit voluntarium *directum,* vel per *carentiam actus,* si sit voluntarium *indirectum* ». D. 1. S. 4. Item S. Thomas q. 77. a. 7. « Duo, ait, consideranda videntur. Primo quidem, quod aliquid potest esse *voluntarium,* vel *secundum se,* sicut quando voluntas *directe in ipsum fertur ;* vel *secundum suam causam,* quando voluntas *fertur in causam, et non in ef-*

fectum; ut patet in eo, qui voluntarie inebriatur. Ex hoc enim *quasi voluntarium ei imputatur* quod per ebrietatem commitit. Secundo considerandum est, quod aliquid dicitur *voluntarium directe* vel *indirecte. Directe* quidem id, in quod voluntas fertur, *indirectum* autem illud, quod voluntas potuit prohibere, sed non prohibet ». — Alii vero voluntarium *in se* et *in causa* appellant voluntarium *directum* et *indirectum,* et istud alia partitione exprimunt, nempe voluntarii *positivi* et *negativi.* Etenim *positivum voluntarium* illud est quod ex positiva voluntaria actione procedit. *Negativum voluntarium* e contra est quod ex voluntaria omissione alicuius actionis dependet. Et sic voluntarium positivum est in eo, qui suo mandato vel consilio alium provocat ad furtum committendum; voluntarium negativum in eo, qui furtum non impedit cum impedire possit et debeat. Cf. Gur. Ball. n. 5., Suarez l. c.

14. Porro, comparatione instituta inter utramque partitionem *voluntarii in se* et *in causa*, et *voluntarii directi* et *indirecti*, et in doctrina Angelici Doctoris insistendo, dicendum est, voluntarium *directum* complecti sub se tum voluntarium *in se*, tum voluntarium *in causa:* nam voluntarium *directum* dicitur ab A. D. « quod procedit a voluntate *sicut ab agente* », q. 6. a. 3. ad 1. Atqui tum voluntarium *in se* tum voluntarium *in causa* a voluntate procedit *in quantum est agens* et *volens.* — Voluntarium autem *indirectum*, tum ad voluntarium *in se*, tum ad voluntarium *in causa* reduci potest. Voluntarium *indirectum* dicitur ab eodem S. D. « quod est a voluntate, sicut *a non agente* », l. c. Atqui tum voluntarium *in se* tum voluntarium *in causa* includit voluntatem *agentem* et *volentem.* Ergo voluntarium *indirecte* neque proprie est volantarium *in se*, neque item proprie est voluntarium *in causa.* Ad utrumque tamen reduci potest; nam voluntarium *indirecte*, aut dicitur tantum de actu interiori voluntatis, aut etiam de actu exteriori. Si primum, cum *non velle* immediate sit a voluntate, voluntarium *in se* dici potest; si secundum, cum externe *non agere*, sit quasi obiectum externe complens illud *non velle*, ut illud est aliquo modo voluntarium *in se*, ita et istud, siquidem unus quasi constituitur complete *non actus*, e. g. *non velle* audire missam, et *non audire missam* de facto, ex utraque carentia actus interioris et exterioris, ut unus constituitur complete *actus* ex actu interno et externo, *volendi* audire missam et *audiendi* missam. Iamvero, ut ex actus positione, tanquam *causa*, *effectus* aliquis sequi potest, ita actus omissionem alius actus sequi potest, qui quamvis proprie non sit *effectus* illius omissionis, ut illa omissio proprie *causa* non est sequentis actus, cum *non agere* proprie causa esse non possit, ut effectus tamen considerari potest; unde voluntarius dici potest in causa, et sic e. g. navigantium mors

indirecte voluntaria, et, sensu dicto, voluntaria *in causa* est gubernatori navis desistenti a gubernando.

15. De *pravo effectu* speciatim quaestio movetur, quid requiratur, ut effectus pravus secutus, in causa vel indirecte tantum voluntarius, voluntati imputabilis sit ad culpam? — Agitur tantum de effectu *malo;* nam si sermo sit de effectu bono, si hic sit *praeter intentionem* nullam moralitatem voluntatis actui tribuere potest, *ratione sui.* Voluntas illum suo actu non attingit; ab illo ergo voluntatis bonitas exoriri non potest. « Ad hoc, ait S. Th. q. 18. a. 7. ad 3., quod voluntas sit bona, requiritur, quod sit boni sub ratione boni, i. e. quod *velit* bonum propter bonum ». E contrario, si effectus sit *pravus*, licet voluntas illum non *intendat*, ipsius imputationem suscipere potest, si nempe teneatur illum impedire, et consequenter ab eius causa ponenda abstinere. Dicitur *ratione sui*, nam ratione *ipsius causae* iam vidimus, quomodo aliquid addat de bonitate vel malitia exterior actus. Cf. n. 7.

16. Porro ad praedictam imputationem tres requiruntur conditiones. Prima est, ut qui ponit vel omittit causam *advertat saltem in confuso, talem effectum* ex causa illa secuturum; quia nihil volitum, quin aliquo modo sit praecognitum. Quare, stante ignorantia effectus secuturi, nulla teneri quis potest obligatione causam non ponendi, *causam*, nempe vel aliquid agendo, vel omittendo agere. Effectus ergo nullatenus ei imputari poterit. Mors hinc illi non imputatur, qui alteri liquorem propinavit, quem ignorabat esse venenosum. Neque ebrietas illi imputatur, qui vim vini ignorans, bibit ad satietatem. Praecognitio effectus dupliciter haberi potest; primo, si directe praevideatur; secundo, si in potestate sit operantis illum praecogitare et animadvertere, et ex negligentia hoc facere omittat.

17. Secunda conditio est, ut agens talem causam impedire *possit*, i. e. *physice*, quod per se patet; ad impossibilia nulla datur obligatio; itemque *moraliter*, seu sine graviori incommodo, pro natura rei: nam, attenta re de qua agatur, non tantum physica, verum etiam moralis impossibilitas excusare potest. Superiori consequenter subditorum peccata saepe non imputantur; quia impossibile ipsi Superiori est ea impedire, saltem sine graviori incommodo.

18. Tertia tandem conditio est, ut agens *debeat* causam illam omittere vel auferre, *ratione praedicti effectus pravi secuturi;* quia prosequenti ius suum non imputatur effectus, *praeter intentionem* secutus; tunc enim agens reapse non *vult* effectum, sed vult permissionem effectus. Apposite S. Th. q. 6. a. 3.: « Sed sciendum, quod non semper id, quod sequitur ad defectum actionis, reducitur sicut in causam in agens, ex eo quod non agit, sed solum tunc, cum potest et debet agere. Si enim gubernator (navis) *non posset navem dirigere*,

vel *non esset ei commissa gubernatio navis* non imputaretur ei navis submersio, quae per absentiam gubernatoris contingeret ». Et sic etiam si quis non servavit ieiunium ecclesiasticum, et nocte pollutionem experiatur; pollutio haec forte ex praedicta intemperantia secuta ei non imputatur; non enim legem ieiunii servare tenebatur *ratione huius effectus* impediendi, sed aliunde, ratione praecepti Ecclesiae. E contra peccat ille, qui eleemosynam dat pauperi, quem scit ea abuti ad se inebriandum, nam quamvis causa sit illa eleemosyna omnino per accidens praedictae ebrietatis, tenetur tamen quis ex caritate abstinere a danda eleemosina praecise *ratione praedicti pravi effectus.* Ratio est, quia quando adest obligatio causam non ponendi ratione talis effectus, quamvis causa et effectus, physice non connectantur et unum non sit causa alterius, moraliter tamen connectuntur, quatenus stante obligatione impediendi effectum, quantum fieri possit, causa illius, quamvis tantum per accidens, constituit cum ipso unum obiectum morale, secundum rationem disconvenientiae, et ideo voluntas unius censetur virtualis voluntas alterius. Suarez Tr. 2. D. 1. S. 4.

19. Hisce praestitutis, facile resolvitur alia quaestio; quandonam teneatur quis causam removere vel non ponere, *ratione pravi effectus secuturi,* quem praevidet. Dicitur, *ratione pravi effectus secuturi;* non enim agitur de obligatione causae non ponendae seu removendae, *ratione sui;* etenim si *in se* bona est, *ratione sui* removenda non est; si vero est mala, sive sequatur pravus effectus sive non sequatur, poni non potest, quia *in se mala est.* Sic e. gr. quis carnes comedens turpes patitur deinde motus; praescindendo ab hoc effectu, carnes quidem die dominica comedere potest, sed die veneris comedere non potest, non ob illum effectum, qui die veneris contingat, secus enim neque die dominica comedere posset, sed quia die dominica ab Ecclesia permittitur comedere carnes, die veneris prohibetur. Quare quaestio in hoc casu talis est: an nempe *ob pravum illum effectum* praevisum a carnibus abstinere debet, tum die veneris, tum die dominica et quavis alia die.

20. Iam vero tenetur quis causam removere, *ratione pravi effectus secuturi,* 1° quando ex ea *per se,* seu *ex intrinseca natura, directe et primario,* ac *unice* pravus effectus sequitur. Ratio est, quia tunc huiusmodi causa *mala in se* esse debet. Causa enim secundum moralem aestimationem diiudicatur, ex effectu, in quem *per se* seu *ex natura sua, directe et primario* tendit; cum hic nonnisi pravus sit, prava consequenter est causa. Et tunc casus verificatur, quod, praescindendo ab effectu, causam quis ponere non potest *ratione sui;* adeoque neque in effectum ullo modo tendere potest: cum, remota causa, removetur effectus. Et sic non licet venenum alicui propinare, ex quo nonnisi mors sequatur.

21. Tenetur 2.° quis causam removere, si licet effectus *bonus* ex ea sequatur; attamen effectus *pravus* ex ea *per se directe* et *primario sequatur;* et *hoc* tantum *mediante*, alius *per se* sequatur ex ea *bonus* effectus, *secundario* nempe et *indirecte*. Ratio est, quia, non obstante secundario et indirecto isto effectu bono, causa remanet mala; et non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Idem dicendum est, si effectus bonus nonnisi *per accidens* sequatur, quocumque modo contingat. Causa enim non ab effectu per accidens, sed ab effectu *per se* specificatur. « Virtus causae existimatur secundum effectus per se, non autem secundum effectus per accidens ». S. Th. q. 20. a. 5. « Non enim datur iudicium de re aliqua secundum illud, quod est *per accidens*, sed solum secundum illud, quod est *per se* ». S. Th. ib. c. Et sic non potest puella abortum in se procurare ad infamiam vitandam: nam effectus bonus sequitur ex effectu alio praecedente pravo, ex innocentis occisione per procuratum abortum, qui ut medium assumitur ad illum finem.

22. Tenetur 3.° causam quis removere, ratione pravi effectus secuturi, quando licet causa in se honesta vel indifferens sit, effectum tamen quis impedire tenetur *ex iustitia*, vel *ex caritate*, vel *ex praecepto*, quod adimplendum urgeat. Hinc medicus et chirurgus, patientes in exercitio propriae artis pravos motus, non peccant; quia non tenentur, ratione talis effectus impediendi, exercitium propriae artis omittere. Peccaret vero, si quis vellet ludere recreationis gratia, dum ultima missa die dominica mox celebrabitur, ita ut eam consequenter omittat ex distractione. Cf. S. Alph. l. 1. n. 152. « Qui enim ad legem obligatur, is obligetur necesse est ad procuranda media ordinaria, proximeque ex rei ipsius natura necessaria ad legem observandam..... Ordinaria inquam; neque enim leges humanae ad extraordinaria nimiumque difficilia compellunt ». Ithurriaga Cas. 32. n. 4. Ratio autem, ut iam dictum est, desumitur ex eo quod ratione praecepti, illa causa et effectus ex ea secutus, quamvis *physice* tantum *per accidens* connectantur, nec unum sit causa alterius: tamen *moraliter* censentur habere rationem unius obiecti disconvenientis, seu evitandi a voluntate, et ideo voluntas unius censetur virtualis voluntas alterius. Suarez Tr. 2. D. 1. S. 4. 5. Homicidium ergo merito imputaretur ei, qui contra legem prohibentem super fenestra ponderosa vasa relinqueret, quin ea firmaret, vel aliquo repagulo impediret, quominus in publicam viam decidant, si ea deinde vento asportentur et hominem occidant.

23. Ex quo intelligitur ad hoc *voluntarium* non esse satis quodcumque praeceptum causae vitandae, quod sit omnino extrinsecum tali effectui, ut apparet in exemplo allato in eo qui tempore quadragesimae tenetur ad ieiunium et ad abstinentiam ratione praecepti Ecclesiae, non vero ne sequatur pollutio; sed necessarium est praeceptum, quod inducit intrinsecam obligationem illam causam vitandi,

praecise ratione talis effectus, et consequenter quod inducit in illo obiecto moralem mutationem, ratione istius connexionis moralis cum effectu, eo stante praecepto. Suarez Tr. 2. D. 1. S. 4.

24. Tenetur 4°. tandem praedictam causam quis removere, ratione pravi effectus, quando licet illa causa in se honesta sit vel indifferens, nulla tamen adest ex *parte agentis* proportionata necessitas, utilitas, decentia. Ratio 1°., quia naturalis aequitas id exigit, ut malum quantum rationabiliter fieri potest vitemus. Quare rationabilis causa malum effectum permittendi necessaria est, quae alia esse non potest nisi vel necessitas, vel utilitas vel saltem decentia actionis, seu bonum quod est in ea actione, vel quod provenit ex eadem actione. 2°. Quia tunc deest *ex parte agentis* honestus *operantis finis.* 3°. Quia velle tunc huiusmodi causam sine ulla proportionata ratione, pravum affectum *per se* ostendit directe erga malum illum effectum secuturum, vel saltem proximum periculum est saepe huiusmodi pravae affectionis directe erga praedictum malum effectum. Quare non peccat sacerdos peccatori occulto, publice petenti, Communionem ministrans, quia id agit ad vitandum publicum damnum quod sequeretur ex publica illa Eucharistiae denegatione. Peccaret e contra Communionem ministrans publico peccatori, publice petenti, quia iam deest honestus ille finis ad ingens illud sacrilegium impediendum, quod non sine publico esset scandalo.

25. E contrario non tenetur quis causam omittere vel auferre, ratione praedicti pravi effectus, quando, seclusa speciali illa obligatione ex caritate, ex iustitia, ex urgente praecepto, effectum impediendi, effectus *pravus* sequitur mere *per accidens*, seu ex extrinsecis circumstantiis, vel nonnisi ex alio effectu praecedenti *bono* sequatur: nam cum causa diudicanda sit ab effectu *per se*, et ab effectu, in quem directe et primario tendit, *causa* illa, vel *bona* vel saltem *indifferens* in se est. Quare, si aliunde non desit honestus operantis finis, eam agens ponere vel conservare potest. « Et quamvis etiam bonitas actionis non causetur ex bonitate effectus, tamen ex hoc dicitur actio bona, quod bonum effectum inducere potest; et ita ipsa proportio actionis ad effectum est ratio bonitatis ipsius ». S. Th. 1. 2. q. 18. a. 2. ad 3. Et sic dux exercitus in bello ignitos dirigens globos contra arcem, in qua hostes sunt oppugnantes, non tenetur desistere ab arcis expugnatione ex eo quod hostes illi in Deum ideo blasphement. Causa enim illa expugnatio est omnino per accidens, ex extrinsecis circumstantiis, illarum blasphemiarum.

26. Non tenetur item quis causam omittere vel auferre, praecise ratione pravi effectus, si ex ea *simul* bonus sequatur effectus, quem *intendat* agens; *simul*, quia nempe illa causa aeque *directe* et *primario*, quasi parallelo influxu, in bonum et pravum tendit effe-

ctum. Tunc enim causa *in se* secundum moralem aestimationem indifferens est, sed honesta *prout subest intentioni agentis*, effectus enim pravus non *intenditur*, sed tantum permittitur. Quare causam illam agens ponere potest, si iterum quis non teneatur illum effectum impedire, in casu particulari ob caritatem, iustitiam, vel aliud speciale praeceptum implendum, nec ex parte operantis desit honestus finis. « Nihil prohibet, ait A. D. unius actus esse duos effectus, quorum alter solum sit in intentione, alius vero sit praeter intentionem. Moraliter autem actus recipiunt speciem secundum id quod intenditur, non autem ab eo, quod est praeter intentionem, cum sit per accidens ». 2. 2. q. 44. a. 7. Quapropter licet vim vi repellere ; aeque enim ex hac vis vi illata repulsione sequitur propriae vitae defensio et alienae peremptio. Cf. S. Th. 2. 2. q. 64. a. 7.

27. Neque vero requiritur, quod bonum intentum in positione causae *exaequet* malum, quod ex ea etiam sequatur. Etenim primo ista *adaequatio* moraliter loquendo impossibilis est, cum bonum et malum sint in diverso genere. Praeterea liceitas talis actionis non pendet ex hac *adaequatione,* sed ex eo quod illa actio *in se honesta* sit, cum *obiective* loquendo sit indifferens, *subiective* vero loquendo, non nisi honestus finis intendatur in ea. Confirmatur ex eo quod ubi de aliorum malo vitando agatur ad id saepe non tenemur nisi *ex caritate*, et caritas cum gravi incommodo non obligat: huius incommodi gravitas ex omnium doctrina *per se* consideratur, nempe independenter ab adaequatione, cum malo permittendo. Insuper, si semper illa *adaequatio* requireretur, iam gravissimum incommodum esset, *si quis semper* abstinere deberet ab agendo, ad malum quod inde etiam sequitur vitandum; et gravius adhuc esset tale incommodum, *si ab omnibus* esset subeundum. Quare quamvis non habeatur illa adaequatio inter bonum et malum, si incommodum subeundum in particulari casu consideretur, habetur tamen, si consideretur generatim quoad omnes, et quoad omnes casus. Tandem confirmatio accedit ex eo quod communiter Theologi docent. Etenim ex communi doctrina non tenetur quis ob pravos contra castitatem effectus abstinere ab equitando, a commodiori decumbendi in lectulo modo, a moderata sumptione potus vel calidorum ciborum, ab honestis choreis ducendis. Cf. S. Alph. l. 3. n. 483. Potest mulier ecclesiam adire ad audiendam missam, licet alicuius scandalum ex ipsius malitia sequatur. Neque vero tenetur quis maiorem iusto mercedem dare aurigae, ne hic blasphemet. Pravus effectus in hisce casibus superat certe, et longe superat, bonum effectum.

28. Iamvero, cum causa illa malum effectum permittendi, sita sit in ipso bono, quod habetur vel sequitur ex actione, unde malus ille effectus exoritur, quamvis *compensatio* et *aedaequatio* non requi-

ratur inter effectum bonum et pravum, *proportionata* tamen requiritur *ratio* ad ponendam causam pravi effectus, ut n. 24. dictum est. Quare eo maior ratio requiritur ad agendum, quo magis proxime et immediate causa malum effectum attingat, quo magis necessarius sit praedictae causae influxus in pravum effectum, quo maior in hunc effectum influxus, quo certior et gravior sit malus effectus, quo minus iuris ad actionem in se spectatam habeatur. Atque haec consideratio locum potissimum habet, ubi de aliorum damno vitando sive temporali sive spirituali agatur. Et, si de spirituali damno seu peccato sermo sit, illud in particulari perpendendum est, utrum nempe peccatum ex aliena potius malitia, quam ex nostra actione nascatur. — Si ergo causa remote et leviter influat in effectum malum, et ex ea etiam sequatur aliquis bonus effectus, non ideo est obligatio auferendi causam, quia minor ratio requiritur ad ponendam causam leviter tantum et remote influentem in malum, quam si graviter et proxime influeret. Hinc non teneris abstinere a colloquio honesto et utili cum muliere propter pravos motus inde insurgentes. Billuart de Act. hum. Diss. 1. art. 1.

29. Alia de hac re adest resolvenda quaestio: an effectus secutus *graviter* culpabilis, in causa seu indirecte voluntarius, imputabilis semper sit ad *gravem* culpam, ita ut contrahat quis *gravem* malitiam *propriam* illius effectus, si causam quis illicite ponat, absque ulla sufficienti ratione. — Praedicta malitia contrahi in casu non potest, nisi quatenus quis *velit causam;* nam agitur de voluntario in causa seu de indirecte voluntario; effectus nonnisi ex causa secuturus *praevidetur*. Causa autem malitiam in se *propriam* effectus continere non potest, nisi quatenus in effectum influat. Si ergo causa mere *per accidens* influat in effectum, et specialis non adsit obligatio causam non ponendi, *ratione* pravi effectus, Cf. n. 18. 19. 22. 23., in causam nulla ex effectu malitia redundare potest. Quamvis ergo quis sine sufficienti ratione causam ponat, non ideo ullam contrahit effectus malitiam, licet aliunde peccet. Respectu talis effectus voluntas mere permissive se habet. Ratio est, quia cum effectus nonnisi per accidens sequatur nulla adest, quantum est ex natura rei, connexio inter causam et effectum. Et non ideo qui *vult* causam, *vult* etiam effectum, sed vult tantum *permissionem* effectus, si forte sequatur. Cum autem effectus malitia nullo pacto in causam redundet, nam effectus ex ea causa non sequitur *per se*, sed *mere per accidens*, causam quis *volens*, seclusa omni *pravi effectus intentione*, huius nullam contrahit malitiam, neque gravem, neque levem; licet aliunde forte *graviter* etiam peccet. Et sic si quis pollutionem praevideat ex potus vel cibi excessu, quin eam velit et intendat, peccabit leviter vel forte etiam graviter ratione illius excessus, minime vero peccabit ratione pollutionis, cum hic effectus

non sit volitus, sed praeter et contra intentionem accidat, causa vero sit extra *genus luxuriae.* Neque vero tenetur quis removere omnes causas, *per accidens* tantum influentes in aliquem pravum effectum, ratione tantum ipsius pravi effectus; ac nullo etiam modo tenetur ab ea causa ponenda abstinere si, posito quod honesta vel saltem indifferens in se sit, huiusmodi causae ponenda rationabile adsit motivum. Suarez Tr. 2. D. 1. S. 4.

30. Si vero causa *per se,* hoc est *ex natura sua,* influat in effectum, et *graviter* influat, gravis ex effectu in causam malitia redundat. Quare gravem quis contrahit malitiam propriam effectus, eius causam volens, sine ulla sufficienti ratione. Insuper, saltem *practice loquendo,* qui *vult* causam *per se graviter influentem in pravum effectum, graviter malum, sine ulla sufficienti ratione,* reapse *vult directe ipsum effectum pravum;* cum causa et effectus ex una parte sint inseparabiliter inter se connexa, quantum est ex ipsa natura rei; ex altera vero parte, cum nulla alia adsit honesta ratio causam ponendi propter alium honestum effectum, uti supponitur, sufficiens signum profecto hoc est, quod quis velit ipsum effectum. Ille qui e. g. sciens prudens ignem alterius domui apponit, unde domus tota comburatur, domus combustionem profecto vult, et haec illi merito imputatur. Excipe tamen casum, in quo licet causa *per se graviter* influat in effectum pravum, in particulari tamen casu ob peculiares agentis vel patientis dispositiones, illa causa tali effectu destituatur, quamvis *per accidens.*

31. Si tandem causa *per se* quidem influat in effectum, sed nonnisi *leviter,* malitia nonnisi levis ex effectu in causam redundare potest. Quare nonnisi leviter peccare potest, qui causam velit illius effectus pravi graviter mali, sine sufficienti ratione, secluso semper ulterioris consensus proximo periculo. Insuper, practice loquendo, in tali casu non habetur sufficiens indicium pravi affectus directe erga ipsum effectum. Etenim, cum causa per se nonnisi *levem* influxum habeat in eum effectum, graviter pravum, huiusmodi causa non est *per se* sufficiens ad positionem effectus, adeoque, quantum ex natura rei est, inseparabiliter inter se connexa non sunt. Quare, non ideo quia quis *vult* causam, *vult* etiam effectum, saltem practice loquendo; sed potest se habere permissive tantum, quoad hunc effectum. Et sane plures sunt, qui horrent omnino peccatum mortale, peccatum vero veniale non ita odio habent, quin ex deliberato etiam proposito illud admittant. Isti facile in causam leviter pravam consentiunt; in effectum vero graviter pravum nullo modo feruntur. — Hinc repetenda est propria ratio, cur quamvis non detur in re venerea parvitas materiae, detur tamen in illis actibus merae sensualitatis, uti sunt adspectus, ex causa merae curiositatis, rerum minus honestarum, seclusa

iterum intentione rei ipsius venereae, uti habet communissima theologorum sententia. Etenim cum causa hic in effectum *nonnisi leviter influat*, ex effectu nonnisi levis malitia in causam redundare potest, neque *volens* causam debet quis necessario *velle* etiam effectum.

32. Notandum ultimo loco est « posse eundem actum esse voluntarium *in alio causaliter*, et tamen esse *in se* involuntarium *obiective*, ut si quis actu directo omnino nolit hominem occidere, et tamen velit emittere sagittam, non adhibita sufficienti diligentia, ne hominem occidat; tunc enim homicidium, si fieri contingat, est in se involuntarium formaliter ratione prioris actus, et tamen est voluntarium in alio et virtualiter ratione posterioris actus. Et ratio est, quia illi duo actus in se non sunt formaliter contrarii; et alioquin cum voluntas sit libera, quamvis nolit homicidium, potest non applicari actu ad exhibendam diligentiam necessariam, ne sequatur homicidium; et ideo dixi illud esse involuntarium *obiective* potius quam *causaliter* ». Suarez Tr. 2. D. 1. s. 4.

33. *Resolves* ex omnibus dictis de voluntario in causa: 1°. « Si causa pollutionis est in ipsam *graviter influens*, et homo non abstinet a causa seu actione illa ponenda; patet quod pollutio imputatur ad peccatum, *etiamsi non fuerit intenta*, modo saltem in confuso sit praevisa. *Huiusmodi* autem *causae* sunt procul dubio omnes illae, quae *per se sunt graves culpae in genere luxuriae*, nempe tactus vel aspectus pudendorum alieni aut proprii corporis cum delectatione turpi ac deliberata; aspectus concubitus humani et cogitationes morosae de rebus venereis. Omnes ergo pollutiones *ex his causis* provenientes certe sunt mortalia. Ita S. Th. 2. 2. q. 154. a. 5., et alii communiter. Et tunc actus ille turpis, qui est causa pollutionis habet *specialem malitiam* contra naturam, ut ait Sanch. de Matr. l. 9. D. 45. n. 23., et consentiunt omnes ». S. Alph. l. 3. n. 482. *Specialem malitiam*, nempe effectus seu pollutionis, quae peccatum est contra naturam, praeter malitiam propriam, quae in delectatione consistit, ex turpi obiecto excitata. Cf. Salmant. Theol. Schol. Tr. 13. D. 10. n. 274.

Graviter influens: quare si causa sive ratione sui, sive ratione dispositionis subiecti, *graviter* non influat, gravis abest culpa ratione pollutionis forte secuturae; siquidem tunc praeter intentionem et per accidens sequitur. Salmant. Theol. Mor. Tr. 26. C. 7. n. 41.

Per se sunt graves culpae: « sententia communis et probabilior docet pollutionem non esse mortalem (nempe in causa), nisi proveniat ex causa *per se mortali* in genere luxuriae... Ratio, quia cum pollutio non sit volita nisi in causa, eo gradu mala erit, quo mala est ipsa causa ». S. Alph. l. 3. n. 484. — *In genere luxuriae:* unde « infertur non esse mortalem pollutionem, quae praeter intentionem accidit ex causis illicitis adhuc mortaliter in alio genere, quam luxuriae.

puta ex ebrietate, vel ex comestione, nimis immoderata aut die vetito ». S. Alph. l. 3. n. 484.

34. 2°. « Si quis facturus rem aliquam necessariam vel licitam et honestam, praevidet naturaliter secuturam pollutionem, idque multo magis valet de distillatione, quam tamen ille nullo modo velit nec intendat; tunc, modo absit periculum consensus in delectationem, non tenetur abstinere a tali actione; quia prosequenti ius suum non imputatur effectus *per accidens et praeter intentionem* sequutus. Hinc, non obstante pollutione, licet audire confessiones mulierum, studere casibus conscientiae, tangere se ex necessitate, feminas caute et ex necessitate osculari, amplecti iuxta morem patriae, si alioquin incivilis habendus esset ». S. Alph. l. 3. n. 481. « Licet alicui, qui magnum pruritum patitur in verendis, illum tactu abigere, etiamsi pollutio sequatur ». l. 3. n. 483. Ratio est, quia hi actus vel *per se leviter* tantum *influunt*, vel quamvis *per se graviter influant*, cum tamen non fiant ex turpi concupiscentiae et delectationis causa, sed ex causa honesta necessaria, utili, convenienti, iam non habent eandem vim et influxum in effectum, quae ex illa prava voluntatis propensione graviter augetur, et e contra valde imminuitur ex voluntate alio conversa, et quantum in se est resistente. Unde pravus effectus, si sequatur, potius *infirmitati* naturae tribuitur, quam *praedictis actibus*, tanquam *causae*. Stante praeterea praefato honesto fine, non tenetur quis asbtinere a causa ad pravum effectum impediendum. Quando enim causa habet duos effectus, unum bonum alterum malum, potest poni ex intentione solius effectus boni, permissive se habendo ad malum. Pravus ergo ille effectus in casu vere sequitur *per accidens et praeter intentionem*. S. Alph. l. 3. n. 483.; S. Th. 3. p. q. 80. a. 7.

35. 3°. « Infertur non esse nisi venialem pollutionem, quae oritur ex colloquio non diuturno cum puella, vel levi aspectu, aut curiosa lectione venialiter turpi; quia, ut dictum est, cum causae istae *leviter influant*, pollutio subsequens potius a causa naturali, quam ab illis procedit ». S. Alph. l. 3. n. 484.; Billuart Dissert. 1. art. 1. Si quis vero iustam causam habeat, nihil peccat, S. Alph. l. 5. n. 29. Iusta causa est « quaevis causa rationabilis necessitatis, utilitatis, aut convenientiae ». S. Alph. l. 3. n. 484., l. 5. n. 29. Ac « si in aliquo corpore ratione infirmitatis... vel alterius causae, sit positive indisposito ad venerem, esto illi applicentur causae, quae alias ex se graviter in pollutionem aut carnalem delectationem influunt respectu aliorum..., respectu tamen illius... non erunt graviter influentes, sed solum leviter, aut etiam nullo modo, seu erunt causae materialiter tantum de genere luxuriae; quapropter communiter... ratione earum influxus in pollutionem mortaliter non peccabit ». Salmant. Tr. 16. c. 7. v. 41.

36. 4°. A fortiori *gravis abest culpa* in illis actionibus, quae *remote influunt, et per accidens*, cum sint extra genus luxuriae. Quamvis ergo praevideatur secutura pollutio, aut prava commotio, licet equitare non modo necessitatis et utilitatis gratia; sed etiam causa recreationis; decumbere aliquo situ ad commodius quiescendum; cibos calidos aut potus moderate sumere, honestas ducere choreas, etc. S. Alph. l. 3. n. 483. *Gravis abest culpa:* nam, an adsit culpa levis, in positione talium causarum sine iusta ratione, ob effectum secuturum, controvertitur. Negant Holzmann, aliique, « quia, ut dicunt, tunc pollutio oritur potius ex naturae infirmitate, quam ex causa illa, quae nonnisi per accidens, et remote ad pollutionem concurrit. Sed probabilius affirmant Sanch., Less. aliique... quia sine causa rationali permittere pollutionem semper videtur aliquid indecens et deordinatum ». S. Alph. l. 3. n. 484. — Sanch. de Matr. l. 9. D. 45., Sporer de Matr. n. 644. seqq., S. Th. 3. p. q. 80. a. 7., S. Alph. l. 3. n. 484., Salm. Tr. 26. C. 7. n. 41., Lessius De Iust. et Iure L. 4. C. 3. Dub. 14. n. 97.-102.

37. Cum causa *qua talis*, malitiam specificam effectus participet, non vero diversam, sufficit malitiam tantum effectus in confessione accusare, vel, si causa in se ipsa aliam habeat specialem malitiam, sufficit seorim utramque dicere. Et sic, si ob lusum omisisti sacrum, sufficit accusare hanc omissionem; si ob furtum omisisti item sacrum, potes tunc seorsim furtum et omissionem sacri accusare. Cfr. S. Alph. l. 5. n. 9., Lugo de Poenit. D. 15. n. 479.

38. Postrema de eadem re quaestio resolvenda remanet, nimirum: quandonam effectus volitus in causa imputetur. — Si sermo sit de *peccato interno*, hoc certe tunc primum committitur, cum voluntas consentit in causam ponendam culpabilem. Si vero agatur de actu ipso externo peccati, effectus voluntarius in causa et imputabilis, imputatur, *per se loquendo*, tunc primum, quum quis causam posuit, vel ex quo potuerit et debuerit impedire, si illum animadverterit post causam positam. « Ratio est, quia libera volitio, aut non impeditio effectus mali est formaliter mala, non vero existentia physica effectus, adeoque peccatum formale committitur, quando habetur huiusmodi perversa volitio, aut nolitio... Sic igitur qui alteri e. g. porrexit venenum.... non peccat quando sequitur mors alterius... sed quando libere posuit huius effectus causam »; Struggl q. 1. art. 3. n. 32., et peccatum semper tunc committitur, sive sequatur, sive non sequatur effectus, quia e. g. ille venenum non sumpsit, venenum non nocuit, etc. Dicitur, *per se loquendo*, nam si huiusmodi effectum usque ad ipsius executionem quis potest impedire, et non impediat, aut in eius futuritione aut existentia sibi complaceat, in sua mente continuat peccatum, cuius causam prius libere et culpabiliter posuit. Struggl

l. c. An autem, quando effectus ex causa posita *necessario reipsa sequitur*, imputetur, vel saltem ita augeatur imputabilitas, ut quis illum in confessione explicare debeat, alii affirmant, alii negant. Affirmat S. Alph. l. 5. n. 10. « Omissio, ait S. D., voluntaria in causa etiam imputatur ad peccatum, etsi voluntas postea non possit operari, puta si quis se inebriet, praevidens causa ebrietatis se omissurum missam, tunc tenetur confiteri causam et effectum illius, ebrietatem scil. et omissionem sacri, ut melius dicunt Salm. etc.; cum aliis communiter contra Vasq. etc., modo ante effectum secutum non retractetur voluntas, ut probabiliter docent Sanch. etc.; tunc enim est probabile non teneri confiteri effectum secutum. Ex hoc etiam deducitur, quod si effectus accidat post retractationem, non incurritur censura contra peccantes imposita, quia ista requirit contumaciam in actu peccati ». Cfr. etiam l. 4. n. 149. et l. 7. n. 40. Negat vero Lugo, qui haec habet: « Supponendum est in peccato v. g. quo alium veneno occidisti intervenire actum in primis voluntatis internum, quo voluisti dare illi venenum: deinde actionem externam, qua venenum praeparasti et dedisti; deinde effectum secutum, scilicet mortem illius.... Prima et satis communis (sententia) affirmat esse explicandum effectum externum... Contrariam sententiam defendit late P. Vasquez, etc. Quae sententia verior semper mihi visa est... Ratio magis communis... est quod actus externus, qui denominatur liber a libertate actuali actus interni est vere et proprie peccatum: effectus vero postea consecutus, in somno v. g., non est proprie peccatum... sed effectus peccati: in confessione autem explicari debent omnia et sola peccata; ideo debet explicari actus externus, quando est actu liber; non vero effectus postea secutus... quia non potest esse peccatum actuale in eo, qui actu non peccat, nec potest actu peccare, qui actu non agit: ille autem qui dormit, dum eius inimicus veneno moritur, nihil tunc agit; ergo tunc non peccat ». De Poenit. D. 16. n. 437. 439. 440. 449. Verum haec sententia limitanda est, nisi poenitens incurrerit censuram vel casum reservatum propter effectum secutum. Hanc limitationem ipsemet Lugo habet, imo addit: « Contingere etiam potest, quod incurratur censura ab eo, qui iam per contritionem, vel per attritionem cum sacramento est iustificatus a peccato praeterito »; n. 453. Cfr. etiam n. 460. et Laymann l. 1. Tr. 2. c. 2. n. 5. Verum, ut optime observat. Ithurr. Cas. 40. n. 31. et seqq., Cas. 50. n. 26. et seqq., reservatio non est, ubi non est subiectum reservationis, seu peccatum, quum iam fuerit absolutum. Nam nullius entis nullae sunt proprietates. Quod non est, neque tale est. Ubi autem praecesserit tantum voluntatis retractatio, causa per voluntatem retractata, non est in seipso amplius culpabilis effectus. Reservatio autem aut censura incurri non potest, quando per actum non peccatur.

39. Denique voluntarium aliud est *actuale,* aliud *virtuale*, aliud *habituale*, aliud *interpretativum.* — Voluntarium *actuale* datur, cum quis actu aliquid vult, sive velit *explicite*, h. e. clare et in particulari, sive *implicite*, h. e. in confuso, voluntate nempe universali, vel quasi universali, quae ad hoc etiam obiectum extenditur, e. g. qui *vult* subdiaconatum recipere, vult etiam castitatis votum cum illo connexum elicere, qui vult uxorem ducere, vult etiam uxorem sustentare etc. — Voluntarium *implicitum,* saepe est etiam voluntarium *virtualiter,* quatenus continet in se, secundum vim et virtutem, alium actum in quem deinde voluntas consequenter prorumpit. Et sic ille qui verum concipit dolorem commissorum peccatorum, implicite et virtualiter propositum concipit non peccandi de caetero, unde explicite deinde illud elicit.

40. Voluntarium *virtuale* trifariam patet. — Voluntarium *virtuale* primo est, quod perseverat in aliqua sui *virtute,* daturque quando non amplius existit ipsa explicita et clara voluntas, seu intentio finis, sed explicite tantum et clare existunt volitiones mediorum, quas ipsius finis, remissiori gradu, volitiones comitantur. Cfr. Lugo de Fid. D. 1. n. 98. Sic, e. g., quando sacerdos vult celebrare missam et dein se induit, accedit ad altare et peragit alia consueta, quin amplius habeat claram illam actualem voluntatem consecrandi, consecratio erit virtualiter voluntaria, hoc primo modo, si omnia voluntarie peragens, confuse et remisse semper adest voluntas consecrandi. — Vel saltem actus tunc remanent *cogitativae* seu *aestimativae,* qui primo gignuntur cum mens voluntati proponit suum obiectum, qui actus pergunt deinde in omnes subsequentes actiones influere. Cum enim mens illud apprehendit obiectum eius simul apprehensio gignitur in *cogitativa seu aestimativa*, quae ad sensilem pertinet cognitionem, et sensilem movet appetitum et membra exteriora ad motum. Lugo de Sacr. in genere D. 8. s. 5. n. 87. — Voluntarium *virtuale* deinde est, quod perseverat in opere ipso exteriori imperato a priori actu voluntatis, seu in *voluntaria executione mediorum*, quae quis voluntarie adhibet *vi* seu *virtute* et *impulsu prioris intentionis finis*, licet de fine ne remissa quidem volitio amplius existat. Sic virtualiter voluntaria erit itineranti suscepta peregrinatio ad sanctuarium B. Virginis, licet ad eam in itinere non amplius attendat, imo de rebus omnino diversis cogitet. Cfr. Laymann l. 1. Tr. 2. C. 3. n. 4., S. Th. 3. p. q. 64. a. 8. ad 3. « Dicendum quod non oportet, ut semper aliquis cogitet de ultimo fine, quandocumque aliquid appetit vel operatur. Sed virtus primae intentionis, quae est respectu ultimi finis, manet in quolibet appetitu cuiuscumque rei, etiamsi de ultimo fine actu non cogitetur. Sicut non oportet quod qui vadit per viam in quolibet passu cogitet de fine ». S. Th. 1. 2. q. 1. a. 6. ad 3. — Voluntarium *virtuale* tertio est, quod perseve-

rat in aliquo suo *effectu morali,* sic, e. g., contractus a procuratore initus erit virtualiter voluntarius agenti principali, qui facultatem illi fecit suo nomine agendi. Dicitur perseverat in aliquo suo *effectu morali*, ut excludatur effectus mere *physicus*, in quem forte influit prior ille actus voluntatis, qua *physicus actus* est, puta, si habita voluntate consecrandi, deinde dormiens somniando consecres, consecratio nulla est. Non enim prior ille voluntatis actus influit in hunc effectum, qua actus *humanus,* seu *moralis* est, sed mere qua *physica* quaedam actio est. Cfr. Laymann l. c., Lugo de Poenit. D. 24. S. 4., Suarez Tr. 3. D. 6. S. 5., Tr. 2. D. 8. S. 3. n. IV., de Relig. V. 2. Tr. 6. de Voto l. 1. C. 10.

41. Voluntarium *habituale,* quod S. Thomas saepe pro *virtuali* usurpat, illud proprie est, quod *fuit,* sed neque *in se est*, ne remisse quidem, neque in opere exteriori imperato, seu *in executione mediorum*, neque in positivo ullo *effectu morali,* sed est, moraliter loquendo, in *effectu* mere *negativo*, quatenus nempe prior voluntas non fuerit retractata. Hinc huiusmodi voluntas sufficit ad morales quosdam effectus. Sic si adultus invalide baptizatus, rebaptizetur dum dormit, valet baptisma. Sic etiam, « ad contrahendum, ait S. Alph. l. 3. n. 769., non sufficit voluntas interpretativa seu conditionalis, ut diximus n. 773., sed requiritur voluntas actualis, aut virtualis, aut saltem aliquando habita et non retractata iuxta dicenda l. 6. n. 324 ». Cfr. Laymann l. c.

42. Voluntarium *interpretativum* est actus voluntatis, qui neque *est*, neque *fuit*, quia non adest neque adfuit cognitio obiecti, sed *esset*, si huiusmodi cognitio haberetur. Quapropter ille *actus voluntatis* non est quidem *in se*, sed est tantum *in sui causa*, i. e. in actuali voluntatis dispositione et propensione. « Sed si quis recte consideret, hoc non est proprie *voluntarium,* nam si quis omnino ignorans casu occidisset inimicum, ita tamen esset dispositus, quod si sciret esse inimicum facilius occideret, non propterea actio illa censeretur ei *voluntaria,* quin potius Aristoteles vocavit illam *non voluntariam*, et dici etiam potest *non involuntaria.* Unde haec interpretatio potius deservit, ut actio censeatur non esse contra voluntatem alterius, v. gr. Superioris, quam ut censeatur esse ab eius voluntate, et ideo dicendum neque esse reapse voluntariam illi neque involuntariam ». Suarez Tr. 2. D. 1. S. 4. — Voluntarium *interpretative* dicitur etiam voluntarium implicitum vel virtute ex parte operis. Et sic intendens bonum honestum quod de se refertur ad gloriam Dei, licet de gloria Dei explicite non cogitet, propter Dei gloriam tamen interpretative operatur.

43. Angelicus Doctor de Veritate q. 15. a. 4. ad 10. consensum *interpretativum* sumit pro consensu, qui non in formali voluntatis consentientis actu continetur, sed in actus resistendi absentia, cum nempe voluntas resistere possit et debeat. Eo ipso enim quod voluntas tunc

non resistit seu dissentit consentire censetur. Etenim obiectionem movet S. Th.: « Idem iudicium videtur esse de consensu *interpretativo* et *expresso*. Sed consensus interpretativus non videtur esse peccatum mortale, quia peccatum non transfertur in aliquam potentiam, nisi per actum illius potentiae, in interpretativo autem consensu *non invenitur aliquis actus rationis*, quo dicitur consentire: sed *sola negligentia reprimendi* illicitos motus. Ergo consensus interpretativus in delectationem non est peccatum mortale. Ergo nec similiter consensus expressus ». Huic obiectioni ita respondet: « Dicendum quod *antequam ratio delectationem perpendat, vel nocumentum ipsius*, non habet interpretativum consensum, etiamsi non resistat; sed quando iam perpendit ratio de delectatione insurgente et de nocumento consequente, utpote *cum percipit homo se totaliter per huiusmodi delectationem in peccatum inclinari et in praeceps ruere, nisi expresse resistat, videtur consentire*. Et tunc peccatum ad rationem transfertur per actum eius, quia agere et *non agere, cum quis agere debet,* ad idem genus actus reducuntur, secundum quod peccatum omissionis ad peccatum actus reducitur ».

44. Interpretativae voluntatis, quasi verae voluntatis, et aliquis moralis effectus est, eius nempe vi interpretari legem, eiusque etiam rigorem moderari, quod passim fit *generatim* a theologis et a canonistis, et ab omnibus in casibus particularibus, ubi locus est legitimae epicheiae. Hinc quaestio movetur: an, cum ad liceitatem actus requiratur licentia Superioris, sufficiat eius voluntas *interpretativa?* R. 1°. Negative, si positivus actus voluntatis Superioris requiratur ad *valorem* et *substantiam actus*, uti in dispensandis impedimentis dirimentibus matrimonium, in collatione iurisdictionis confessarii, etc. Ratio, quia actus tunc sine vinculo legis *per Superioris auctoritatem* dissoluto, sine iurisdictione *a Superiore* impertita, erit sempre contra legem et nullus. — R. 2°. Affirmative, si licentia requiratur tantum, ut constet Superiorem non esse invitum. Ratio quia, si reapse rationabiliter praesumitur eius voluntas, iam constat quod non esset invitus, si sciret; adeoque iam agitur cum debita dependentia ab eius voluntate, et nullum eius ius laeditur, ut si quis absente superiore celebret, aut sacramentum poenitentiae ministret in eius Ecclesia. Sanchez de Matr. l. 3. D. 35. n. 17. 24., Struggl. T. 1. q. 1. a. 2. n. 21., Suarez Tr. 2. D. 1. S. 4.

45. Facile ex dictis eruitur, quid sit hominem operari propter finem vel *actualiter*, vel *habitualiter*, vel *virtualiter,* vel *interpretative*, quod ita explicat Suaresius in 1. 2. Tr. 1. D. 2. S. 4: « *Actualiter* dicitur voluntas operari propter finem, quando actu movetur a fine, unde ad hunc modum operandi in primis requiritur actualis cognitio et cogitatio de ipso fine, quia nisi sit actualiter apprehensus,

non potest actualiter movere. Deinde requiritur actualis motio voluntatis vel in ipsum finem vel in aliud propter ipsum, quia, hoc significat actualis operatio propter finem... *Habitualiter*, quando haec relatio habitualis censetur relicta ex aliquo actu praecedenti, per quem illud opus vel in particulari vel saltem sub generalitate relatum est in talem finem, licet, quando fit illud opus, praecedens actus seu relatio, nullo modo sit nec actualiter, nec in aliqua virtute, quam reliquerit, ut per eam influat in opus, sed mere habitualiter; quia illa intentio semel habita retractata non fuit; ut v. gr. retulit quis summo mane omnia opera diei in Deum, postea vero in discursu diei operatur aliquid referibile de se in Deum, tamen sine illa memoria prioris intentionis, et sine ullo influxu actuali, vel virtuali, tunc dicitur ille homo habitualiter operari propter Deum, propter relationem habitu relictam ex priore intentione habita, et non retractata... Circa tertium modum, *virtualiter* propter finem, notandum esse veluti medium inter praecedentes, quia nec requirit actualiter influxum propter finem, ut primus; nec omnino nullum, ut secundus; sed requirit aliquem influxum per aliquam virtutem relictam ex priore intentione... Ad hunc modum necessarium est, ut praecesserit actualis cognitio et intentio talis finis, quia alias nihil esset, unde illa virtus fuisset relicta. Deinde oportet, ut talis intentio non sit retractata per contrariam intentionem, quia alias haec contraria intentio destruxisset virtutem relictam per priorem intentionem. Tertio necessarium est, ut duret effectus aliquis relictus ex priori intentione, ut ab illo procedat aliquo modo opus, quod dicitur postea fieri virtualiter propter talem finem. Quis autem sit hic effectus aliter videtur explicandum respectu actuum externorum, aliter respectu actus interni ipsius voluntatis. Potest enim actus exterior fieri propter finem absque actuali cogitatione et intentione finis. Exemplum vulgare est, quando quis iter agit, quod incipit propter aliquem finem, in ipso vero actuali progressu non semper recordatur ipsius finis: immo nec interdum recordatur ipsius incessus vel motus; et idem contingit in celebratione Missae ex priore intentione. Tunc ergo virtus relicta ex priore intentione nihil aliud esse videtur, quam applicatio ipsius potentiae executivae ad actualem operationem externam, quae durat et continuatur in ipso effectu, quandiu non cessat omnino ab actione, nec per contrariam voluntatem suspenditur actus, et licet contingat actiones externas variari, tamen quia uni in mente succedit altera, una etiam excitat ad alteram, et hoc modo virtus interior censetur durare in ipso effectu. At vero quando actio externa omnino interrupta fuit, v. gr. per somnum vel quid huiusmodi, tunc necesse est actum voluntatis quasi de novo inchoari; et quoniam voluntatis actus esse non potest sine cognitione intellectus, ideo ex parte illius videtur commode exponi haec virtus relicta ex

priore intentione, quia nimirum ex praecedenti intentione, apprehensione, consultatione et aliis similibus actibus factum est, ut, potentiae proposito tali obiecto, v. g. quod iter sit agendum, statim repraesentetur ut exequendum, absque alia motione seu speciali consideratione illius seu finis, ad quem ordinatur, et hoc modo statim voluntas exequitur id quod proponitur, et incipit illo medio uti, quod proximum est, seu quod tunc occurrit primo exequendum, et sic recte dicitur virtualiter operari propter finem. Circa quartum modum, quem vocavimus *interpretative* operari propter finem, advertendum est interdum voluntatem intendere aliquod obiectum, in quo sistit ex vi considerationis et huius actualis motionis; tamen illa res intenta natura sua fertur, et ordinatur in alium finem; tunc ergo voluntas dicitur proprie, et quasi explicite intendere finem sibi propositum; interpretative vero dicitur intendere ulteriorem finem, ad quem finis priori modo intentus natura sua fertur; et ad hunc modum is qui operatur honeste propter bonitatem misericordiae aut iustitiae, nihil de Deo cogitans, aut de alio fine, dicitur operari propter Deum, vel propter beatitudinem, et implere illud Pauli 1. ad Cor. 10.: *Omnia in gloriam Dei facite;* quia videlicet ipsum bonum honestum, quod intenditur, natura sua fertur in Deum, et est medium quo tenditur ad beatitudinem. Et ideo, licet homo actu suo non intendat illum finem ulteriorem, dicitur operari propter illum *interpretative*, quod alii vocant operari propter finem *ex natura ipsius operis* potius quam *ex intentione operantis* ».

46. Atque haec de voluntario in seipso considerato. Si enim voluntarium consideratur, prout exterius proditur aliquo signo, distinguitur tunc voluntas *expressa*, *tacita*, *praesumpta*, *interpretativa*. Voluntas *expressa* ea est, quae verbis, litteris, nutibus vel aliquo facto exteriore exprimitur. Haec alia est *explicite* expressa, quando nempe quis signo exteriori aliquem voluntatis actum clare et explicite, seu in particulari, manifestat; alia est *implicite* expressa, cum quis aliquid signo exteriori velle minifestat, cum quo aliud est connexum. Voluntas *tacita* ea est, quae silentio ipso manifestatur, puta cum Superior interrogatus tacet. Qui tacet consentire videtur, Reg. 43ª. Iur. in 6°.; nempe 1°. in favorabilibus, ad ea enim acceptanda ipsa naturali inclinatio voluntas fertur; 2°. quando quis tenetur, et potest loqui: ratio enim tunc est consensus, et ratio deest dissensus; 3°. quando manifesta non adsit tacendi ratio. Etenim coniecturae locus esse non potest contra manifestam rationem. — Voluntas *praesumpta* ea est, quae licet *a posteriori* nobis non innotescat signo aliquo exteriori, vel ipso silentio; *a priori* tamen colligitur *adesse*. Adest enim causa aliqua sufficiens, ita iudicandi. — Voluntas *interpretativa* ea est, quae cum reapse non adfuerit, neque adsit, neque aliquo signo exteriori *a posteriori*, neque aliqua

causa sufficiente *a priori* colligitur *adesse vel adfuisse*, adest tamen aliqua ratio sufficiens colligendi quod *adesset*, si obiecti cognitio haberetur. — Praedicta causa seu ratio *praesens est animi dispositio*, qua, posito quod de re quis cogitaverit, vel si de ea cogitaret, rem reapse vult, vel vellet. Cfr. Struggl. Tr. 1. q. 1. a. 2.

47. Voluntas *praesumpta* confunditur saepe cum voluntate *interpretativa*. Saepe etiam illa ab hac distinguitur, distinguendo voluntatem praesumptam *de praesenti*, quae proprie a nobis dicitur *praesumpta*, et voluntatem praesumptam *de futuro*, quae proprie a nobis dicitur *interpretativa*. Ut utriusque discrimen melius innotescat res hoc exemplo practico declarari potest. Vult religiosus in itinere, Superiore absente, rem emere alicuius momenti, magnae utilitatis pro tota communitate. Rem scribit Superiori. Dum Superior, epistola accepta, rescribit, occasio urget rem emendi et emit, responso ob temporis defectum nondum accepto, affirmativum responsum praesumens ex voluntate alias bene cognita Superioris. Voluntatem habes hic simpliciter praesumptam, vel praesumptam de praesenti. An autem Superioris voluntas reapse adsit vel falso adesse praesumatur, veritas ipsa inspicienda est, quam Superioris responsum postea acceptum declarabit. Si vero eadem urget occasio rem emendi quam maxime utilem communitati, puta ingentem optimorum librorum copiam minimo pretio, et nullum adest tempus absentem Superiorem consulendi, ex eadem tamen Superioris voluntate, alias bene cognita, praesumit religiosus ille, quod annueret, si rogaretur, et libros emit pecunia pro itinere accepta, monasterii utilitatem commodiori itineri praeferendo, voluntatem habes praesumptam de futuro vel interpretativam. S. Alph. Theol. Mor. l. 4. n. 18., Laymann l. c. n. 3., Struggl. l. c. n. 20.

COMMENTARIUS QUINTUS
DE IGNORANTIA

1. Diximus in praecedentibus Commentariis de actus humani natura, dicendum nunc est de impedimentis eiusdem actus humani. Ad habendum actum humanum, exercitium requiritur intellectus advertentis, exercitium liberi arbitrii voluntatis, exercitium aliarum facultatum a libera voluntate procedens. Si factum ipsum consideramus, saepe nos agimus, quin sciamus quid revera facimus, aliud facere putantes. Saepe etiam agimus, impulsi a vehementi aliqua passione concupiscentiae, vel oppressi a vehementi aliqua timoris passione. Non raro etiam pati cogimur, nolentes omnino, ab extrinseca vi, membris nostri corporis illata. Hinc quaeritur, an huiusmodi actus sint revera actus humani et agenti imputabiles, siquidem ignorantia, concupiscentia, me-

tus, vis seu violentia auferre vel imminuere videntur praedictas actus humani conditiones et dotes. Ignorantia enim aufert praerequisitam cognitionem, concupiscentia eam obnubilat et imminuit; concupiscentia item metus et violentia voluntatis inclinationem praepediunt. In praesenti Commentario de ignorantia tantum disserendum erit. De concupiscentia, de metu, de vi, in sequentibus Commentariis sermo erit.

2. Distinguitur ignorantia in *antecedentem, concomitantem, consequentem.* Ignorantia comparari potest vel ad voluntatem ignorantis, vel ad actionem ignoranter factam. Respectu voluntatis omnis ignorantia vel est *antecedens*, quia antecedit consensum voluntatis, vel est *consequens,* quia sequitur voluntatis consensum. Illa est involuntaria, haec voluntaria. Respectu actionis vel est *antecedens*, quia est causa actus, vel est *concomitans*, quia non est causa actus. Hinc eadem ignorantia potest esse *antecedens* et *consequens* diverso respectu; *antecedens,* quia est causa actus, *consequens,* quia sequitur voluntatis consensum. Becanus Tr. 1. C. 2. q. 10. n. 36.

3. Prima, quae circa ignorantiam quaestio movetur, et quam reapse movet A. D. 1. 2. q. 6. a. 8., est: « utrum ignorantia causet involuntarium ». Quaestio non est, utrum ignorantia causet *non voluntarium*, seu *involuntarium* mere *privative.* Nam evidens res est et non disputabile, quod actus ex ignorantia, vel cum ignorantia factus, destitutus conditione essentialiter requisita ad voluntarium, sit actus *non voluntarius.* Quaestio ergo tantum est, utrum huiusmodi actus sit praeterea *involuntarius,* nempe *contrarie involuntarius. Involuntarium* intellige respectu conditionis ignoratae, non respectu obiecti cogniti et voliti. Qui enim e. g. comedit carnes die prohibita duo potest intelligi velle et operari. Primum est comedere carnes, quod non est ab ipso ignoratum; alterum, quod transgreditur praeceptum, et est ab ipso ignoratum.

4. Ignorantia ergo, cum qua quis agit, aut se habet *causaliter* relate ad id quod fit, aut se habet mere *concomitanter* respectu illius quod fit. *Concomitanter* quidem se habet, « quando ignorantia est de eo quod agitur; tamen etiam si sciretur, nihilominus ageretur. Tunc enim ignorantia non inducit ad volendum, ut hoc fiat; sed accidit simul esse aliquid factum et ignoratum; sicut in exemplo posito, scilicet cum aliquis vellet quidem occidere hostem, sed ignorans occidit eum, putans occidere cervum. Et talis ignorantia non facit *involuntarium* (nempe contrarie), quia *non causat* aliquid, quod sit repugnans voluntati; sed facit *non voluntarium* (seu involuntarium mere privative), quia non potest esse actu volitum, quod ignoratum est ». S. Th. 1. 2. q. 6. a. 8. Idque valet sive ignorantia ista *concomitans* sit voluntaria, sive sit involuntaria. Hinc est quod Angelicus Doctor generaliter loquitur et non distinguit. Discrimen tamen adest inter ignorantiam

involuntariam et voluntariam in casu, quia, quamvis neutra *causet involuntarium*, de quo proprie agit S. Doctor l. c., ignorantia tamen concomitans involuntaria, cum simpliciter tollat voluntarium, facit simpliciter *non voluntarium*, ignorantia vero concomitans voluntaria, cum simpliciter voluntarium non tollat, nam est voluntaria, facit *non voluntarium* quidem *in se*, sed *voluntarium in causa*. « Quia ergo quod ex voluntate causatur, voluntarium in moralibus reputatur, in quantum ignorantia ipsa est voluntaria, in tantum deficit ab hoc quod causet non voluntarium » S. Th. de Malo q. 3. a. 8.

5. Si ignorantia non est mere *concomitans*, seu non se habet mere *concomitanter relate ad id quod agitur;* sed est *causa,* seu se habet *causaliter*, nempe est causa faciendi id quod fit, tunc ista ignorantia aut est voluntaria, seu *consequens* liberum voluntatis actum, aut non est voluntaria seu *antecedens* liberum voluntatis actum. *Liberum voluntatis actum*, nempe de ipsa ignorantia, non de eo quod deinde ex ipsa ignorantia fit. « *Consequenter* autem, ait S. Th. ib., se habet ignorantia ad voluntatem, in quantum est voluntaria ». Quando igitur huiusmodi ignorantia est causa faciendi id quod agitur, « cum ipsa sit *voluntaria*..... non potest causare *simpliciter involuntarium* (nempe contrarie: cum id quod fit sit voluntarium in causa, unde procedit, nempe in illa ignorantia volita): causat tamen *secundum quid involuntarium*, in quantum praecedit motum voluntatis ad aliquid agendum, qui non esset scientia praesente »; ib.; nempe licet ille motus voluntatis, *voluntarius sit in causa, in se* tamen *est omnino involuntarius;* non esset enim si scientia adesset. Cf. S. Alph. l. 5. n. 4.

6. Si vero ignorantia, *causans,* seu quae est causa faciendi id quod fit, non est voluntaria, seu est *antecedens*, tunc ignorantia causat *involuntarium simpliciter,* cum illud quod fit, eo ipso quod ab ignorantia causatur, scientia praesente non esset, adeoque contra voluntatem est. Neque vero *in se* est illud, volitum; neque ullo modo volitum *in causa*. Ergo manet totaliter seu simpliciter involuntarium. « *Antecedenter* autem, ait S. D. ib., se habet ad voluntatem ignorantia, quando *non est voluntaria*, et tamen est causa volendi, quod alias non vellet; sicut cum aliquis homo ignorat aliquam circumstantiam actus, quam non tenebatur scire, et ex hoc aliquid agit, quod non faceret, si sciret: puta cum aliquis, diligentia adhibita, nesciens aliquem transire per viam, proiicit sagittam, cum qua interficit transeuntem. Et talis ignorantia causat *involuntarium simpliciter* ».

7. Utrum ignorantia reddat actum obiective nullum? — R. Negative. Ratio est, quia falsa nostra existimatio immutare non potest obiectivam rei veritatem. Et sic infidelis, qui baptizans existimat hominem revera baptismo non iustificari, si tamen intentionem habet faciendi quod facit Ecclesia, valide baptizat. Sacerdos baptizans in casu

necessitatis aqua, quam naturalem falso non existimat, si aqua vera est naturalis, valide baptizat. Parochus, qui matrimonio interest, falso putans se indigere adhuc speciali quadam episcopi delegatione, quam non habet, valide illi assistit. Cf. Bonac. de Sacram. D. 1. Q. 2. P. 1. n. 28.; Sporer de Matr. n. 48.

8. An ignorantia sit semper peccatum? — Ignorantia a nescientia differt et ab errore. *Nescientia* est simplex *scientiae negatio*, unde cuicumque deest aliquarum rerum scientia potest dici nescire illas. Nescientia, ut patet, peccatum non est. *Ignorantia* autem est *scientiae privatio*, dum scilicet alicui deest scientia eorum, quae aptus natus est scire. *Error* est approbare falsa pro veris. « Unde addit actum quemdam super ignorantiam: potest enim esse ignorantia sine hoc quod aliquis de ignotis sententiam ferat, et tunc ignorans est non errans: sed quando falsam iam sententiam fert de his, quae nescit, tunc proprie dicitur errare. Et quia peccatum in actu consistit, error manifeste habet rationem peccati; (nempe *de se* seu *obiective*); *non enim est absque praesumptione*, quod aliquis de ignoratis sententiam ferat, et maxime in quibus periculum exsistit ». S. Th. de Malo q. 3. a. 7. *Non est absque praesumptione*, nempe iterum *de se* seu *obiective;* subiective enim et quoad *formale* peccatum, seu culpam, praesumptio cedit veritati, si bona fide, si invincibiliter quis erravit, ut mox de ignorantia etiam dicendum.

9. Quamvis *ignorantia* cum *errore* coniungatur, ab *errore* tamen distinguitur. Quamvis item *ignorantia* cum *peccato* coniungatur, non item peccatum semper ipsa est. « Cum voluntas sit boni vel apparentis boni, nunquam voluntas in malum movetur, nisi id quod non est bonum, aequaliter rationi bonum appareat; et propter hoc voluntas nunquam in malum tenderet, nisi cum aliqua ignorantia vel errore rationis ». S. Th. 1. 2. q. 77. a. 2. Ignorantia cognitionem quidem aufert rei ignoratae, sed usum non adimit rationis. Si ipse usus rationis desideretur, ut in infantibus, amentibus, dormientibus, ebriis, voluntarium et actus humanus ex defectu usus rationis haberi non potest, nisi forte in causa. Semper tamen facile non est practice determinare, utrum in his habeatur aliquando usus rationis ad peccatum grave sufficiens.

10. Porro ad ignorantiam quod attinet, duplex distingui debet ignorantia, ratione *voluntarii*, alia *invincibilis* alia *vincibilis*. Ignorantia *invincibilis* locum habet, cum quis nihil prorsus *de re ipsa*, et *de obligatione inquirendi* suspicatur; vel licet in suspicionem rei, et obligationis inquirendi inciderit, post adhibitam tamen *moralem diligentiam*, rem noscere non potuit. Dicitur, *post moralem diligentiam;* non enim necesse est, ut diligentia adhibenda sit maxima; sed sufficit, uts it *communis* et *ordinaria, personae*, ac *rei*, de qua agatur, proportionata. Cf.

S. Alph. l. 1. n. 3. Ignorantia *vincibilis* habetur, cum quis non solum in dubium veniat *rei*, et *obligationis inquirendi*, sed *occasionem* praeterea habet in rei notitiam deveniendi, eam tamen voluntarie praetermittit.

11. Ignorantia invincibilis, involuntaria est; vincibilis vero voluntaria. Ignorantia *vincibilis*, alia est *directe voluntaria*, alia *indirecte voluntaria*, alia *voluntaria per accidens*. Ignorantia *directe voluntaria* dicitur ignorantia *affectata*. Haec habetur, cum quis data opera vult ignorare, sive ob discendi taedium, sive ut liberius peccet, vel ut excusationem peccati habeat, vel ut simpliciter non retrahatur a peccato, S. Th. 1. 2. q. 6. a. 9., q. 76. a. 3., de Malo q. 3. a. 8. Ignorantia *indirecte voluntaria* habetur, cum quis *omittit adhibere studium ad cognoscendum*, seu negligit addiscere ob meram pigritiam seu desidiam, ob addiscendi laborem, ob alias occupationes. Huiusmodi ignorantia dupliciter distinguitur, nimirum in *crassam* seu *supinam* et in *pure vincibilem*. *Crassa* sive *supina* est in eo, qui licet ignorantiam studiose non quaerat, *nullam* tamen vel *fere nullam adhibet diligentiam*, ut eam sibi comparet notitiam, quam iuxta suam conditionem habere potest. *Pure vincibilis est*, cum quis *aliquam* adhibet *diligentiam* pro veritate cognoscenda, sed *modicam* et *minime sufficientem*, *inspecta qualitate personae*, *et gravitate rei*. Ignorantia tandem *voluntaria per accidens*, illa est, quae non intenditur et *praeter intentionem est*, et quae habetur, « cum quis directe vel indirecte vult aliquid, ad quod ignorantia sequitur. *Directe* quidem sicut apparet in ebrio, qui vult superflue vinum potare, per quod privatur rationis usu; *indirecte* autem cum aliquis negligit repellere insurgentes passionis motus, qui percrescentes ligant rationis usum in particulari eligibili ». S. Th. de Malo q. 3. a. 8., 1. 2. q. 76. a. 4.

12. Ignorantiae autem aequiparantur *oblivio*, *inconsideratio*, *inadvertentia*. Quare idem morale iudicium de his ferendum est ac de simplici ignorantia. Cf. Suarez D. 4. S. 3.; S. Alph. l. 1 n. 169.

13. Porro ignorantia *invincibilis* non est peccatum; ignorantia autem *vincibilis* est peccatum, si sit eorum, quae aliquis scire tenetur, non autem si sit eorum, quae quis scire non tenetur. Ratio 1. p. est, quia ignorantia *invincibilis* dicitur, quia studio superari non potest. Atqui non imputatur homini ad negligentiam, si nesciat ea, quae scire non potest. Ergo talis ignorantia, cum non sit voluntaria, eo quod non est in potestate nostra eam repellere, non est peccatum. Ratio 2. p. est, quod quicumque negligit habere, vel facere id, quod tenetur habere vel facere, peccat peccato omissionis. Unde propter negligentiam ignorantia eorum, quae aliquis scire tenetur est peccatum. Tanto gravius autem est peccatum, quanto magis voluntaria est ignorantia. S. Th. 1. 2. q. 76. a. 2., q. 19. a. 6., Quodl. 8. a. 15.

14. Peccatum ergo erit illa ignorare, sine quorum scientia non

potest quis debitum actum recte exercere. Unde omnes tenentur scire communiter ea quae sunt fidei et universalia iuris praecepta; singuli autem ea quae ad eorum statum vel officium spectant. Quaedam vero sunt, quae etsi aliquis natus est scire, non tamen ea scire tenetur, sicut theoremata geometriae, et contingentia particularia, nisi in particulari casu forte occurrente. S. Th. l. c.

15. Posito quod ignorantia peccatum esse possit, quaeritur ulterius: utrum ignorantia possit etiam esse causa peccati? — Peccatum dupliciter sumi potest, *formaliter,* pro ipsa subiectiva culpa, *materialiter* pro ipso obiectivo actu peccati. — Si sermo sit de actu ipso obiectivo peccati, quomodo ignorantia esse possit causa peccati sic ostenditur: In illud quidem quod est quantum ad omnia ignotum, non potest ferri voluntas. Sed si aliquid est secundum aliquid notum et secundum aliquid ignotum, potest voluntas illud velle. Et hoc modo ignorantia est causa peccati; sicut cum aliquis scit hunc quem occidit esse hominem, sed nescit eum esse patrem; vel cum aliquis scit aliquem actum esse delectabilem, nescit tamen esse peccatum. Porro causa movens est duplex, una *per se*, et alia *per accidens*. Per se quidem est, quae *propria virtute* movet: per accidens autem, sicut *removens prohibens*, vel sicut *ipsa remotio prohibentis*. Et hoc modo ignorantia potest esse causa actus peccati. Est enim privatio scientiae, perficientis rationem, quae prohibet actum peccati, in quantum dirigit actus humanos. Unde patet, quod non quaelibet ignorantia peccantis est causa peccati, sed illa tantum quae tollit scientiam, prohibentem actum peccati, non quae tollit simpliciter scientiam actus peccati. Si voluntas alicuius e. g. sic est disposita, ut patrem agnoscens eum certe non occideret, et iste hominem occidat ignorans esse patrem, ignorantia causa actus parricidii est; si e contrario voluntas alicuius sic est disposita, quod non prohiberetur ab actu parricidii, etiamsi patrem agnosceret, ignorantia patris non est huic causa peccati, sed concomitanter se habet ad peccatum, et ideo talis non peccat propter ignorantiam, sed peccat ignorans. S. Th. 1. 2. q. 76. a. 1. — Si sermo sit de ipsa subiectiva peccati culpa, ignorantia *vincibilis* causa peccati seu culpae esse potest. Ratio est, quia « ignorantia dicitur causare actum, quem scientia opposita prohibebat ». Atqui potest quis ex industria velle aliqua nescire, ne retrahatur a peccato, potest quis propter alias occupationes negligere ea addiscere, quibus a peccato retraheretur. Ignorantia vero invincibilis causa formalis peccati esse non potest. Potest enim ignorantia invincibilis esse causa efficiendi actum, qui esset peccatum, si voluntarie fieret; simpliciter tamen nunquam est causa peccati, quia cum ipsa adest non solum actus non est peccatum, sed etiam esse potest virtus. Cf. n. 6. — S. Th. l. c. a. 3.; Suarez Tr. 5. D. 4. S. 1 n. 5.

16. « Considerandum est autem, quod ratio secundum duplicem scientiam est humanorum actuum directiva; scilicet secundum scientiam *universalem* et *particularem*. Conferens enim de agendis utitur quodam syllogismo, cuius conclusio est iudicium, seu electio vel operatio. Actiones autem in singularibus sunt. Unde conclusio syllogismi operativi est singularis; singularis autem propositio non concluditur ex universali, nisi mediante aliqua propositione singulari: sicut homo prohibetur ab actu parricidii per hoc quod scit patrem non esse occidendum, et per hoc quod scit hunc esse patrem. Utriusque ergo ignorantia potest causare parricidii actum, scilicet et universalis principii, quod est quaedam regula rationis, et singularis circumstantiae ». S. Th. 1. 2. q. 76. a. 1. Illa, ratione obiecti, ignorantia *iuris* est, haec est ignorantia *facti*. Prima habetur quando ignoratur vel lex ipsa generalis, vel comprehensio alicuius particularis casus in praedicta lege. Altera vero habetur quando ignoratur vel res ipsa, moraliter sumpta, de qua agatur, uti e. g. si credas occidere lupum, et occidis hominem, vel aliqua rei circumstantia, moraliter item inspecta, uti e. g. si credas occidere inimicum, et fratrem occidis. Ignorantia *iuris* tum in rudibus tum in ipsis doctis viris contingit, qui saepe in contrarias abeunt sententias, ignorantia *facti* in omnibus pariter contingere potest, ex inconsideratione, ex oblivione, ex inadvertentia. Ignorantia *iuris*, alia est simpliciter *iuris*, aliquid praecipientis vel prohibentis; alia est *poenae* a iure constitutae in legis transgressores. Facilius haec ignorantia contingere potest, quando poena est extraordinaria.

17. Cum ignorantia causa peccati esse possit, quaestio alia exurgit: utrum ignorantia excusare possit ex toto a peccato? — Ignorantia, quae est causa actus, *de se* habet quod *excuset a peccato*. Ratio est, quia de ratione peccati est voluntarium. Atqui illa ignorantia causat involuntarium; siquidem, ut iam dictum est, ignorantia dicitur causare actum, quem scientia opposita prohibebat: et ita talis actus, si scientia adesset, esset contrarius voluntati, quod importat nomen involuntarii.

18. Aliquando vero *non totaliter excusat a peccato*, aliquando *totaliter a peccato excusat*. Et hoc sic declarat A. D. 1. 2. q. 76. a. 3.: « Quod aliquando non totaliter excuset a peccato potest contingere ex duobus. Uno modo ex parte rei ipsius ignoratae. In tantum enim ignorantia excusat a peccato in quantum ignoratur aliquid esse peccatum. Potest autem contingere, quod aliquis ignoret quidem aliquam circumstantiam peccati, quam si sciret, retraheretur a peccando, sive illa circumstantia faciat ad rationem peccati, sive non: et tamen adhuc remanet in eius scientia aliquid, per quod cognoscit illud esse actum peccati; puta si aliquis percutiens aliquem scit quidem ipsum esse hominem, quod sufficit ad rationem peccati, non tamen scit eum

esse patrem; quod est circumstantia constituens novam speciem peccati: vel forte nescit, quod ille se defendens repercutiat eum, quod si sciret, non percuteret; quod non pertinet ad rationem peccati. Unde licet talis propter ignorantiam peccet, non tamen totaliter excusatur a peccato, quia adhuc remanet ei cognitio peccati. Alio modo potest hoc contingere ex parte ipsius ignorantiae; quia scilicet ipsa ignorantia est voluntaria vel *directe*, sicut cum aliquis studiose vult nescire aliqua, ut liberius peccet; vel *indirecte*, sicut cum aliquis propter laborem, vel propter alias occupationes negligit addiscere id, per quod a peccato retraheretur. Talis enim negligentia facit ignorantiam ipsam esse voluntariam, et peccatum, dummodo sit eorum, quae quis scire tenetur et potest. Et ideo talis ignorantia non totaliter excusat a peccato. Si vero sit talis ignorantia, quae omnino sit involuntaria, sive quia est invincibilis, sive quia est eius, quod quis scire non tenetur, talis ignorantia omnino excusat a peccato », si nempe huiusmodi invincibilis ignorantia, sit totalis ratione obiecti pravi ignoti, et non tantum partialis, e. g. si quis in allato iam exemplo non tantum invincibiliter ignoraret circumstantiam patris, sed etiam circumstantiam hominis, et belluam crederet ferire et occidere.

19. Ignorantia, quae non est causa peccati, non excusat a peccato. Ratio est, quia huiusmodi ignorantia non causat involuntarium, sed facit tantum hominem non volentem: de ratione autem peccati, ut dictum est, voluntarium est: et *voluntarium* tollitur per *involuntarium*, non per *non voluntarium;* nam non voluntarium simplex carentia et negatio est: quemadmodum album tollitur per nigrum, sed non tollitur per non album, quia non album mera negatio est. — Quare quando dicitur quod ignorantia, quae non est causa actus a peccato non excusat, sensus est, quod *de se* a peccato non excusat, seu *vim non habet peccatum auferendi* ab actu, quia permittit seu relinquit actum esse perfecte voluntarium: sensus autem non est quod *in actu* de facto perseveret ratio peccati formalis, nam stante ignorantia, si ea invincibilis sit, actus caret conditione requisita ad peccatum, cognitione nempe malitiae illius actus. Angelicus autem Doctor l. c. simpliciter dicit, quod huiusmodi ignorantia *non excusat a peccato;* quia haec ignorantia relate ad actum se habet mere *per accidens* et non *per se*, ut ex dictis constat, cum nihil influat in actum, et scientia ea quae sunt *per se* considerat, non ea quae sunt *per accidens.* — Quare cum mere accidat illa ignorantia peccato, peccatum neque accusat neque excusat. Non *excusat,* cum non *causet involuntarium:* non *accusat*, quia tamen actum *non voluntarium* facit. Quod autem per haec S. D. nolit affirmare, quod in actu posito *cum* tali ignorantia habeatur ratio peccati, confirmatur ex q. 6. a. 8., ubi loquens de ignorantia concomitanti, quae nempe non est causa illius, quod agitur; et quod ageretur

adhuc etiamsi sciretur; inquit: « et talis ignorantia non facit *involuntarium,* quia non causat aliquid, quod sit repugnans voluntati; sed facit *non voluntarium,* quia non potest esse actu volitum quod ignoratum est ». Porro peccatum formale esse non potest in *non voluntario.* Cf. etiam q. 19. a. 2. ad 3.

20. Quaestio nunc sequitur: an ignorantia diminuat peccatum? — « Ignorantia, quae non est *causa peccati,* sed *concomitanter* se habet ad peccatum, nec minuit peccatum nec auget » S. Th. 1. 2. q. 76. a. 4. Ratio est, quia ista ignorantia nihil influit in actum peccati: unde quemadmodum non excusat a peccato: cf. n. 19., ita etiam neque auget neque minuit peccatum: sed illud omnino relinquit in eo statu, in quo est. Si confessarius e. g. ita est animo dispositus, ut omnes absolvat poenitentes, sive paratos sive indispositos ad sacramentalem absolutionem; quod ipse ignoret sive voluntarie sive non voluntarie Moralis Theologiae principia, haec ignorantia, uti non est causa peccati, neque excusat ab illo peccato, ita neque illud auget aut imminuit. Idem dicatur de medico artis salutaris ignorante, qui sit ita animo comparatus, ut velit procurare, quantum in ipso est, non sanitatem, sed mortem aegrotorum.

21. Ignorantia vero, quae est causa peccati, et « quae totaliter a peccato excusat, quia *totaliter voluntarium tollit,* peccatum non minuit, sed omnino aufert ». S. Th. 1. 2. q. 76. a. 4.

22. Ignorantia sola, quae est causa peccati, et tamen totaliter a peccato non excusat, potest peccatum minuere: quia voluntarium diminuit. Cf. n. 4. 5. Quare ignorantia, *consequens indirecte* voluntaria, nempe ignorantia crassa seu supina, vel pure vincibilis, et ignorantia *per accidens* voluntaria, cum diminuant voluntarium, diminuunt consequenter peccatum.

23. « Quandoque, ait A. D. l. c., ignorantia, quae est causa peccati, non est *directe* voluntaria, sed *indirecte* vel *per accidens;* puta cum aliquis non vult laborare in studio, ex quo sequitur eum esse ignorantem; vel cum aliquis vult bibere vinum immoderate ex quo sequitur eum inebriari et discretione carere. Et talis ignorantia diminuit voluntarium, et per consequens peccatum. Cum enim aliquid non cognoscitur esse peccatum, non potest dici, quod voluntas directe et per se feratur in peccatum, sed per accidens. Unde est ibi minor contemptus, et per consequens minus peccatum ».

24. Ignorantia consequens, *directe* voluntaria, videlicet ignorantia affectata videtur e contrario augere voluntarium, et consequenter peccatum. « Contingit autem quandoque, inquit S. Th. l. c., quod talis ignorantia, *directe* et *per se* est voluntaria, sicut cum aliquis sua sponte nescit aliquid, ut liberius peccet. Et talis ignorantia videtur augere voluntarium et peccatum. Ex intentione enim voluntatis ad peccandum

provenit, quod aliquis vult subire ignorantiae damnum propter libertatem peccandi ». Ita quidem S. Th. aliique. Sed alii negant, et horum sententia, ait S. Alph. H. A. Tr. 19. n. 8., reapse improbabilis dici nequit. Nam, qui legem transgreditur sciens prudens, illam aperte contemnit; qui ignorantiam affectat legem adhuc aliquantulum vereri videtur.

25. Sed distinguendum videtur, nam huiusmodi ignorantia potest procedere ex variis *affectibus* et *motivis*. Si quis ignorantiam affectat mere ob taedium vel laborem addiscendi; vel non praecise ne retrahatur *a peccato*, sed ne retrahatur *a tali actione*, cui valde adhaeret, peccatum certe non augetur: si quis e. g. nollet scire quid Ecclesia de aliqua re definierit, quia non vult ab Ecclesiae definitione discedere, et alioquin vult libere sentire, quamdiu sibi de Ecclesiae definitione non constat. Tunc enim si contingat in re dissentire a definitione Ecclesiae, sine dubio est id cum minori voluntate, et absque pertinacia, et cum minori contemptu. Si quis autem ignorantiam affectat ad hunc finem *ne retrahatur* a peccato, peccatum augetur praecise in ratione intrinsecae inclinationis, et voluntatis inclinatae, et, hoc sensu, *voluntarii;* cum illud homo ita amet, ut ob id velit etiam ignorantiae damnum subire; verum minuitur simpliciter in ratione *actus humani;* nam ignorantia, ex quacumque causa oriatur, *per se* imminuit rationem actus humani, et formalem contemptum legis. Insuper in tali casu ideo iste vult ignorare, ne retrahatur a peccato. Ergo si sciret, forte reapse retraheretur a peccato. Ergo illa ignorantia ostendit voluntatem non adeo firmatam in tali peccato. Tandem, si quis ignorantiam affectat, quia ipsum *absolute vult* peccatum, sive reapse prohibeatur sive non, legem omnino contemnens, peccatum certe augetur, quia illa ignorantia est signum magni affectus ad peccatum et maioris contemptus, cum tanto affectu peccatum prosequatur, ut dispendium etiam pati velit ignorantiae et sic peccare, licet forte res in se peccatum non sit, puta si quis, in allato exemplo, nolit scire definitionem Ecclesiae, quia decrevit ita sentire, quidquid Ecclesia sentiat. Et hoc quidem sensu intelligendus videtur S. Th. l. c. Cf. Suarez D. 4. S. 2.; Lugo de Poenit. D. 4. S. 4. n. 183.; Struggl l. c. n. 36.

26. Ad *speciem* quod attinet peccatorum *ex ignorantia*, de peccatis, *non praevisis*, quae fiunt ex voluntaria ignorantia, *privante totaliter* usu rationis, qualia sunt peccata ebriorum, et amentium voluntarie, nec dicamus ea non esse in genere moris, considerantes istos actus in seipsis, nec fateamur praedicta esse secundum se peccata; quia sunt utcumque tandem voluntaria; sed dicamus esse circumstantias peccatorum, et pertinentes ad circumstantiam, *quid*, significantem effectum. Et ratio est, quia haec sunt voluntaria in suis tantum causis.

Ex hoc namque, quod sunt quodammodo voluntaria, esse enim voluntarium in causa est esse aliquo modo voluntarium, sunt in genere actuum humanorum et moralium; et a tota culpa non excusantur. Ex eo autem quod sunt voluntaria in solis causis, non sunt secundum se peccata, sed a propriis speciebus distracta, circumstantiae sunt peccatorum, quorum sunt effectus, et ad illorum peccatorum species spectant, in quibus sunt voluntaria. Et sic homicidium et blasphemia Dei ex ebrietate ad speciem ebrietatis reducuntur, quatenus duo illa sequentia peccata in circumstantiam huius primi, ebrietatis peccati, transeunt. Unde Augustinus In l. 22. Contra Faustum inquit: « Lot, culpandus est non quantum ille incestus, sed quantum ebrietas meruit ». *Non praevisis;* si enim peccata aliquo modo, propriis obiectis, praevideantur, peccata tunc sunt eiusdem speciei, cuius essent, si fierent a sciente. Et hoc modo rei erant Iudaei mortis Iesu Christi, quamvis, *si cognovissent, non crucifissent.* 1. ad Cor. 2., 8. Cf. Caietanum in 1. 2. q. 76. a. 4.

27. De peccatis, item *non praevisis*, quae fiunt ex ignorantia *facti*, culpabili *propter negligentiam,* ut cum vacans venationi pro cervo hominem occidit, dicendum ea pertinere ad speciem peccatorum directe volitorum, puta venationis periculosae, et similium actuum a quibus illa peccata causantur. Ratio est, quia plus requiritur ad rationem speciei propriae, quam simplex voluntarii ratio: oportet enim esse per se intentum id, unde species peccati sumitur: unde licet ista peccata sint voluntaria in suis causis, quia tamen non sunt voluntaria in seipsis, non sunt per se intenta, ac per hoc non sunt secundum se peccata, nec ut actus eliciti, nec ut actus imperati; sed sunt eventus, seu effectus peccatorum non intenti nec praevisi, quamvis praevidibiles, ac per hoc circumstantiae aggravantes, non trahentes tamen ipsae in suas species, sed distractae ipsae sunt in suarum causarum species. « Cum enim aliquid, ait S. Th. 1. 2. q. 76. a. 4., non cognoscitur esse peccatum, non potest dici, quod voluntas directe et per se feratur in peccatum, sed per accidens ». Loquitur S. D. de ignorantia indirecte voluntaria et culpabili. — De peccatis quoque *non praevisis,* quae fiunt ex ignorantia *iuris* culpabili *propter negligentiam*, idem omnino dicendum videtur propter eandem rationem. Et sic ille, qui die ieiunii bis comedit propter culpabilem negligentiam in sciendis Ecclesiae ieiunii legibus; non contrahit aliam specifice malitiam, quam voluntariae illius ignorantiae. Cf. Caietanum in l. c. S. Th., La Croix l. 1. n. 757.-760.

28. Atque hic quaeritur: an ignorantia vincibilis legis sit peccatum per se speciale? — R. Negative. Omnis enim lex sui observationem praecipiens, implicite quidem praecipit eiusdem legis cognitionem. Verum hanc non praecipit nisi in ordine ad opus quod

faciendum vel omittendum praecipitur. Ergo ignorantia illa vincibilis legis speciem accipit ab ipsa legis transgressione, cuius causam vel periculum praebet. Idque locum habet etiam quoad ignorantiam articulorum fidei. Nam licet eorum notitia, uti habet communior opinio, speciali praecepto et per seipsam precipiatur, atque ideo, sistendo in ipsa obligatione sciendi, est per se culpabilis talis ignorantia, hoc tamen peccatum eiusdem fidei virtuti oppositum est. Malitia enim peccati contra fidem in eo est, quod aliquis offendit auctoritatem loquentis non credendo. Haec autem irreverentia invenitur non solum quando aliquis scienter dissentit Deo loquenti; sed etiam quando aliquis culpabiliter negligit examinare, an sit doctrina Dei, et ob eam negligentiam discredit, quae a Deo dicuntur. Cf. Lugo de Poen. D. 16. n. 182. seqq.; Laymann l. 1. Tr. 2. c. 4. n. 10.; Viva de Act. hum. q. 3. a. ult., Caietanum in 1. 2. q. 76. a. 4.

29. Cum peccata ergo, quae ex ignorantia procedunt, sint *tantum voluntaria in causa*, et *non aliam* consequenter *malitiam* habeant, quam *malitiam*, quae adfuit *in ipsa causa ponenda:* sequitur quod *gravitas* etiam istius malitiae non est diiudicanda ab ipsa re in se spectata, quae est effectus illius ignorantiae, sed a quantitate malitiae eiusdem ignorantiae. Et sic mensura reatus medici in homicidio, reatus advocati in damno sui clientis, reatus confessarii in damno sui poenitentis, reatus parochi in damno sui parochiani non ab huiusmodi nocumento in se spectato, sed a gradu negligentiae in examinando *facto* aliquo particulari, vel in *iure* aliquo considerando; quae quidem levissima esse potest, licet inde gravissimum etiam damnum sequi possit. — Reatus autem pravi effectus ex ignorantia incurritur, quamvis huiusmodi effectus non sequatur; et iterari potest peccatum, si stante huiusmodi ignorantiae advertentia, in ea quis iterum statuat perseverare. Ignorat e. gr. parochus matrimonii impedimenta, et sciens prudens pergit suum officium exercere, sed interim nullum contrahitur matrimonium; suam advertens ignorantiam negligit iterum iterumque debitam acquirere scientiam. Reus parochus est errorum, non solum quos committit, sed etiam quos probabiliter est commissurus, voluntarie negligens acquirere scientiam suo officio omnino necessariam, et peccata multiplicat quoties nova voluntate negligit studio illorum impedimentorum operam dare. — Si quis vero de ea doleat ignorantia, et studium deinceps pro viribus adhibeat, ei amplius imputanda non erunt, quae ex priore negligentia oriantur.

30. An habendae sint tanquam humanae, adeoque imputabiles sint actiones, quas quis facit ex contracto habitu. — R. 1°. Speculative. Humanae sunt, et imputabiles, si eas advertat, in se; secus in causa tantum, quamdiu tamen habitum non retractaverit, neque extirpare conetur. 2°. Practice. « Huiusmodi peccatores male habituati,

quamvis habeant cognitionem minus expeditam, quam alii, semper tamen habent cognitionem aliquam actualem suorum criminum sufficientem ad reddendos actus deliberatos et mortales ». S. Alph. l. 5. n. 4. par. *Tertio*, l. 3. n. 127., Tr. de Act. hum. XIV.

31. Ille autem qui sciens prudens peccat *ex habitu*, et non ex aliqua insurgente passione, vel ex ignorantia, *ex malitia* peccat, nam qui habitum habet semper gaudet de hoc quod ex habitu operatur, quamdiu habitu utitur. « Unicuique enim habenti habitum est per se diligibile id quod est ei conveniens secundum proprium habitum; quia sic fit ei quodammodo connaturale, secundum quod consuetudo et habitus vertitur in naturam. Hoc autem quod est alicui conveniens secundum habitum vitiosum, est id quod excludit bonum spirituale; ex quo sequitur quod homo eligat malum spirituale, ut adipiscatur bonum quod est ei secundum habitum conveniens. Et hoc est *ex certa malitia* peccare. Unde manifestum est quod quicumque peccat *ex habitu* peccet *ex certa malitia* ». S. Th. 1. 2. q. 78 a. 2. Peccata *ex malitia* sunt, quae pleno voluntatis affectu committuntur. Peccatum certe diligere et fovere convincitur, qui illud patrare consuevit. Qui vero consuetudinem emendare studet, si quandoque vi consuetudinis labatur, *ex infirmitate* potius peccat. Cf. Comment. seq. n. 27.

COMMENTARIUS SEXTUS
DE CONCUPISCENTIA

1. In praecedenti Commentario sermo fuit de primo impedimento humani actus, nempe de ignorantia, quae se tenet ex parte intellectus, qui primum principium est actus humani. Dicendum nunc est in praesenti Commentario de concupiscentia, altero impedimento actus humani. Concupiscentia enim se tenet potissimum ex parte voluntatis, quae est secundum principium actus humani. Enimvero ignorantia tollit intellectus cognitionem; concupiscentia vero potissimum voluntatis inclinationem afficit, afficiens simul ipsam cognitionem intellectus.

2. Concupiscientiae nomine non intelligitur hoc in loco pravus ille cupidinis fomes, quo honesta refugimus et in illicita delectabilia ferimur, ad Rom. 7., 8. 23.; sed generatim, intelligitur passio quaecumque appetitus sensitivi, qui fertur in bonum sibi proprium consequendum et in malum vitandum. Singula huius definitionis elementa paucis explicemus.

3. Dicitur *passio quaecumque;* nam concupiscentia hic non sumitur pro *speciali passione* appetitus sensitivi, sed generatim pro quolibet motu appetitus sensilis. Concupiscentia enim, proprie loquendo specialis passio est, et de ea agit S. Thomas 1. 2. qq. 30. et 31. Post-

quam enim egerit de passionibus animae in generali, qq. 22.-25., incipit deinde tractare de passionibus animae in speciali, de passionibus nempe concupiscibilis et irascibilis, qq. 26.-48. Specialis autem concupiscibilis passio est *concupiscentia,* prout ab aliis concupiscibilis passionibus distinguitur, nempe ab *amore* et *delectatione*, earumque oppositis, i. e. odio et tristitia. « Bonum delectabile, ait S. Th. 1. 2. q. 30. a. 2., secundum sensum, est communiter obiectum concupiscibilis, unde secundum eius differentias diversae passiones concupiscibilis distinguuntur... Est autem alia ratio virtutis motivae ipsius finis vel boni, secundum quod est realiter praesens, et secundum quod est absens: nam secundum quod est praesens facit in seipso quiescere; secundum quod est absens facit ad seipsum moveri. Unde ipsum delectabile secundum sensum, in quantum appetitum sibi adaptat quodammodo et conformat, causat *amorem;* in quantum vero absens attrahit ad seipsum causat *concupiscentiam;* in quantum vero praesens quietat in seipso, causat *delectationem.* Sic ergo *concupiscentia* est passio differens specie et ab amore et a delectatione... Bonum delectabile non est absolute obiectum concupiscentiae, sed sub ratione absentis... Huiusmodi enim particulares conditiones diversificant speciem passionum, vel etiam potentiarum sensitivae partis, quae respicit particularia ».

4. *Appetitus sensitivi*, generatim, prout complectitur vim concupiscibilem et irascibilem; quarum distinctio ex ipso obiecto est, prout nempe vel absolute bonum sensile est, vel bonum difficile et arduum. « Obiectum potentiae concupiscibilis, inquit A. D. 1. 2. q. 23. a. 1., est bonum vel malum sensibile simpliciter acceptum, quod est delectabile vel dolorosum. Sed quia necesse est, quod interdum anima difficultatem vel pugnam patiatur in adipiscendo aliquod huiusmodi bonum, vel fugiendo aliquod huiusmodi malum, in quantum hoc est quodammodo elevatum supra facilem potestatem animalis; ideo ipsum bonum vel malum, secundum quod habet rationem ardui vel difficilis est obiectum irascibilis. Quaecumque ergo passiones respiciunt absolute bonum vel malum pertinent ad concupiscibilem, ut gaudium, tristitia, amor, odium et similia; quaecumque vero passiones respiciunt bonum vel malum sub ratione ardui, prout est aliquid adipiscibile vel fugibile cum aliqua difficultate, pertinent ad irascibilem, ut audacia et timor, spes et huiusmodi... Bonum in quantum delectabile movet concupiscibilem. Sed si bonum habeat quandam difficultatem ad adipiscendum, ex hoc ipso habet aliquid repugnans concupiscibili. Et ideo necessarium fuit, esse aliam potentiam, quae in id tenderet: et ratio est eadem de malis. Et haec potentia est irascibilis. Unde ex consequenti passiones concupiscibilis et irascibilis specie differunt... Ad hoc vis irascibilis data est animalibus, ut tollantur impedimenta, quibus concu-

piscibilis in suum obiectum tendere prohibetur, vel propter difficultatem boni adipiscendi, vel propter difficultatem mali superandi. Et ideo passiones irascibilis omnes terminantur ad passiones concupiscibilis. Et secundum hoc etiam passiones, quae sunt in irascibili, consequuntur gaudium et tristitiam, quae sunt in concupiscibili ».

5. *Appetitus sensitivi.* Etenim « est duplex delectatio, una quae est in bono intelligibili, quod est bonum rationis. Alia, quae est in bono secundum sensum. Prima quidem delectatio videtur esse animae tantum. Secunda autem est animae et corporis; quia sensus est virtus in organo corporeo. Unde et bonum secundum sensum est bonum totius coniuncti. Talis autem delectationis appetitus videtur esse *concupiscentia,* quae *simul* pertineat et *ad animam* et *ad corpus,* uti ipsum nomen concupiscientiae sonat. Unde concupiscentia, *proprie loquendo,* est in appetitu sensitivo, et in vi concupiscibili, quae ab ea denominatur ». Hinc patet *concupiscentiam* non esse idem ac *desiderium.* « Dicendum, quod desiderium magis pertinere potest, proprie loquendo, non solum ad inferiorem appetitum, sed etiam ad superiorem. Non enim importat *aliquam consociationem in cupiendo* sicut *concupiscentia;* sed simplicem motum in rem desideratam ». S. Th. 1. 2. q. 30. a. 1.

6. *In bonum sibi proprium,* nempe delectabile, sensibile, imaginatione apprehensum. « Appetere aliquid sub ratione boni delectabilis secundum sensum, quod est proprie concupiscere, pertinet ad vim concupiscibilem ». S. Th. 1. 2. q. 30. a. 1. ad 3. « Concupiscentia est appetitus boni delectabilis. Dupliciter autem aliquid est delectabile: uno modo, quia est conveniens naturae animalis, sicut cibus et potus, et alia huiusmodi. Et huiusmodi concupiscentia delectabilis dicitur *naturalis.* Alio modo dicitur aliquid esse delectabile, quia est conveniens secundum apprehensionem: sicut cum aliquis apprehendit aliquid ut bonum et conveniens, et per consequens delectatur in ipso. Et huiusmodi delectabilis concupiscentia dicitur non naturalis, et solet magis dici cupiditas. Primae ergo concupiscentiae naturales communes sunt hominibus et aliis animalibus; quia utrisque est aliquod conveniens et delectabile secundum naturam; et in his omnes homines conveniunt... Sed secundae concupiscentiae sunt propriae hominum, quorum proprium est excogitare aliquid, ut bonum et conveniens praeter id quod natura requirit ».

7. *In bonum sibi proprium prosequendum, et in malum vitandum.* Obiectum enim concupiscibilis ex A. D. est bonum et malum; ex appetitu boni fuga mali causatur. « Obiecta concupiscibilis sunt bonum et malum. Naturaliter autem est prius bonum malo, eo quod malum est privatio boni, unde et omnes passiones quorum obiectum est bonum naturaliter sunt priores passionibus, quorum obiectum est ma-

lum: quia enim bonum quaeritur, ideo refutatur oppositum malum ». Insuper concupiscentia, in praesente quaestione de eius influxu in voluntarium, ut iam dictum est, sumitur non strictiore sensu pro solo *appetitu boni sensibilis*, sed sensu latiore pro *quolibet motu appetitus sensibilis*, seu pro *qualibet passione* huius appetitus, et quatenus generatim est « motus appetitivae virtutis sensibilis, qui est ex imaginatione boni vel mali ». S. Th. 3. D. 26. q. 1. a. 1.

8. Quaestio primo loco movetur: utrum concupiscentia causet involuntarium? — Concupiscentia non causat involuntarium. Nam concupiscentia hoc potius facit, quod aliquid sit voluntarium, quam quod sit involuntarium. « Dicitur enim aliquid voluntarium, ex eo quod voluntas in id fertur. Per concupiscentiam autem voluntas inclinatur ad volendum id, quod concupiscit ». S. Th. 1. 2. q. 6. a. 7.

9. Concupiscentia autem alia est antecedens, alia est consequens. Illa liberum voluntatis actum antecedit, et consequenter mere naturaliter excitatur. Ista liberum voluntatis actum consequitur. Illa trahit et inclinat rationem et voluntatem. Ista ex voluntate redundat. Illa voluntaria non est, ista voluntaria est vel in se, si eam voluntas ex industria velit et excitet; vel in causa, si naturaliter ex libero voluntatis actu resultet. « Appetitus sensitivus, ait S Th. 1. 2. q. 77. a. 6., potest se habere ad liberum arbitrium et antecedenter et consequenter. Antecedenter quidem, secundum quod passio appetitus sensitivi trahit vel inclinat rationem vel voluntatem. Consequenter autem, secundum quod motus superiorum virium, si sint vehementes redundant in inferiores. Non enim potest voluntas intense moveri in aliquid, quin excitetur aliqua passio in appetitu sensitivo ». Potest ergo concupiscientia simul esse antecedens et consequens; antecedens in sui initio et consequens in sui continuatione, quatenus nempe illi accedit voluntatis consensus, eam fovens. Cum autem concupiscentia natura sua ad actum semper inclinet et impellat, nulla est consideratio et distinctio concupiscentiae causantis et concomitantis.

10. Concupiscentia *antecedens* minuit voluntarium tum in ratione *voluntarii*, tum in ratione *liberi*. Quare actus, ex ea procedens, eo minus voluntarius est sub utraque ratione, quo magis illa est intensior. Ratio 1.^ae^ p. est, quia actus eatenus est *voluntarius*, quatenus est a principio intrinseco. Atqui concupiscentia extrinseca voluntati est. Ergo actus ex eius impulsu procedens minus voluntarius est in ratione *voluntarii*. Hinc S. Th. 1. 2. q. 77. a. 6. ad 3. inquit: « Dicendum, quod etsi motus voluntatis sit intensior ex passione incitatus: non tamen ita est voluntatis proprius, sicut si sola ratione moveretur ad peccandum ». Et ib. in c.: « Actus in tantum est peccatum in quantum est voluntarius, et in nobis existens. Esse autem aliquid in nobis dicitur per rationem et voluntatem. Unde quanto ratio et

voluntas ex se aliquid agunt, non ex impulsu passionis, magis est voluntarium et in nobis existens, et secundum hoc passio minuit peccatum, in quantum minuit voluntarium ».

11. Ratio 2. p. est, quia actus tanto minus est voluntarius in ratione liberi, quanto minus habet dependentiae ex parte liberae voluntatis et advertentiae ex parte rationis. Atqui cum vehementior est passio praecedens, tanto minor est dependentia huius actus consequentis ex voluntate libere se determinante et ex ratione considerante. Nam *libera* voluntas, quanto magis invenit animum iam propendentem per passionem, tanto minus ipsa in actus determinationem consequentis influit. Deinde, licet directe nequeat passio influere in iudicium, potest tamen indirecte influere tripliciter: 1.° per quandam *distractionem,* minor est enim ad singula sensus, cum pluribus intendit; 2.° per quandam *contrarietatem,* quatenus inclinat ad contraria eius quod deberet iudicari, et animus evadit debilis et imbecillis; 3.° per *immutationem corporalem;* pervertit enim phantasiam, quae se non praestat rectis operationibus intellectus, ut in insanis et furentibus ex passionum vehementia videre est. S. Th. 1. 2. q. 6. a. 7. ad 3., q. 10. a. 3., q. 73. a. 6. ad. 2., q. 77. a. 1. 2. 3. 6. 7.; Suarez D. 3. S. 3. 4.

12. Quamvis vero ex antecedenti concupiscentia voluntatis actus minus voluntarius sit, quia non est ita voluntatis proprius, sicut si sola ratione voluntas moveretur, evadit tamen intensior et facilior. Ac prout maior est passio eo faciliorem reddit voluntatis conatum. Et sic milites ex spe gloriae, parentes et amici ex amore filiorum et amicorum molesta quaeque iucunde perferunt. S. Th. 1. 2. q. 77. a. 6. ad 3.

13. Concupiscentia *consequens* praesupponit actum tanto magis voluntarium, quanto ipsa intensior est. Ratio est, quia concupiscentia consequens excitatur in nobis consequenter ad actum voluntatis libere sese determinantis. Quare sive excitetur naturaliter per quandam redundantiam in partem inferiorem ex superiore, sive excitetur voluntarie, vel indirecte per voluntariam negligentiam et omissionem repressionis motuum exurgentium, vel directe data opera et studiose motus excitando in inferiore parte; concupiscentia, utpote consequens et non praecedens liberum voluntatis actum unde procedit, non potest in ipsum ullum causalitatis influxum exercere; neque potest voluntarium, cuius effectus est, augere aut imminuere, sed eundem voluntatis actum praesupponit, qui influxum potius in ipsam exercet. Et si sermo iterum sit de concupiscentia, quae sive voluntarie sive naturaliter ex ipso voluntatis actu excitatur, cum effectus proportionatus esse debeat suae causae, eamque superare non possit, concupiscentia consequens non diminuit voluntarium, sed magis

auget, quatenus nempe significat et demonstrat maiorem voluntatis propensionem et inclinationem ad actum. S. Th. 1. 2. q. 73. a. 6. ad 2., q. 77. a. 6.

14. « Dicendum, quod passiones animae dupliciter se possunt habere ad iudicium rationis: uno modo antecedenter; et sic cum obnubilent iudicium rationis, ex quo dependet bonitas moralis actus diminuunt actus bonitatem. Laudabilius enim est, quod ex iudicio rationis aliquis faciat opus caritatis, quam ex sola passione misericordiae. Alio modo se habent consequenter, et hoc dupliciter; uno modo per modum redundantiae, quia scilicet cum superior pars animae intense movetur in aliquid, sequitur motum eius etiam pars inferior; et sic passio existens consequenter in appetitu sensitivo est signum intensioris voluntatis; et sic indicat bonitatem moralem maiorem. Alio modo per modum electionis, quando scilicet homo ex iudicio rationis eligit affici aliqua passione, ut promptius operetur, cooperante appetitu sensitivo; et sic passio animae addit ad bonitatem actionis.... Dicendum quod passio tendens in malum praecedens iudicium rationis diminuit peccatum; sed consequens aliquo praedictorum modorum auget ipsum, vel significat augmentum eius ». S. Th. 1. 2. q. 24. a. 3. ad 1. 3. Concupiscentia ergo consequens, quae ex mera naturali resultantia et redundantia exoriatur partis superioris in inferiorem, illud quod ex ipsa procedit, reddit uti patet voluntarium, et magis voluntarium *in causa,* quo ipsa intensior est, eo ipso quod ipsa a voluntate dependeat. Illud vero reddit minus *in se* voluntarium, cum rationem semper aliquo modo obnubilet et liberum voluntatis exercitium aliquo modo impediat. S. Th. de Malo q. 3. a. 10. Concupiscentia vero consequens directe excitata ad agendum, v. g. si quis odium ex industria in se excitat contra inimicum acceptas iniurias animo revolvendo, ut vindictam pertinacius appetat et maiori exequatur audacia, illud quod ex ea procedit magis voluntarium simpliciter reddit, quia passio illa directe voluntarie excitata *est signum quod motus voluntatis sit fortior.* « Sed hoc, ut observat S. Th. de Malo q. 3. a. 11., non est *ex passione* benefacere vel peccare, sed potius *pati ex* electione boni vel mali ».

15. An concupiscentia diminuat meritum et demeritum? — Affirmative respondendum est de concupiscentia *antecedente;* nam ea diminuit voluntarium in ratione liberi, unde meritum et demeritum desumitur « Passio, ait S. Th. de Malo q. 3. a. 11., praecedens motum voluntatis, diminuit rationem meriti et demeriti, quia meritum et demeritum in electione consistunt ex ratione procedente. Passio autem obnubilat vel ligat iudicium rationis. Quanto autem iudicium rationis fuerit purius, tanto electio est perspicacior ad merendum vel demerendum ». Et 1. 2. q. 77. a. 6. ad 22.: « Bona passio, conse-

quens iudicium rationis, augmentat meritum. Si autem praecedat, ut scilicet homo magis *ex passione* quam ex iudicio rationis *moveatur* ad bene agendum talis passio diminuit bonitatem et laudem actus ». — Negative vero respondendum est de concupiscentia *consequenti;* siquidem illa signum est magnitudinis affectus voluntatis, eiusque intensionem demonstrat. Et sic S. Th. de Malo q. 3. a. 11. ait: « quod ille, qui cum maiori compassione facit eleemosynam magis meretur, et qui cum maiori libidine facit peccatum magis peccat, quia hoc est signum, quod motus voluntatis sit fortior ». Cf. n. 10. 11. 13. 14.

16. Sequitur ex dictis, quod si sermo sit de voluntate non *obsequente,* sed *resistente* pravae concupiscentiae; magnitudo concupiscentiae proveniens ex causa mere naturali auget meritum et debilitas e contrario concupiscentiae ex eadem naturali causa, meritum imminuit; maior enim voluntatis conatus requiritur contra illam, minor contra istam. « Magnitudo concupiscentiae seu debilitas.... quandoque procedit ex causa corporali; quidam enim ex naturali complexione sunt magis proni ad concupiscendum, quam alii, et iterum quidam habent opportunitates delectationum concupiscentiam inflammantes magis paratas, quam alii. Et talis debilitas concupiscentiae diminuit meritum, magnitudo vero auget ». S. Th. 2. 2. q. 155. a. 4. ad 2. Si vero magnitudo concupiscentiae proveniat ex ipsa voluntate, nempe ex minori eius conatu et labore in sui mortificationis et virtutum exercitio, concupiscentiae debilitas e contrario proveniat ex magno voluntatis conatu et labore in sanctitate acquirenda; tunc maior concupiscentia meritum diminuit, et minor concupiscentia meritum auget, ratione praedictae causae, laboris nempe et conatus minoris vel maioris voluntatis. « Quandoque vero, subdit S. Th. l. c. debilitas vel magnitudo concupiscentiae provenit ex causa spirituali laudabili, puta ex vehementia caritatis vel fortitudine rationis, sicut est in homine temperato. Et hoc modo debilitas concupiscentiae auget meritum ratione suae causae, magnitudo vero minuit ».

17. An passio diminuat peccatum? — R. « Dicendum quod peccatum essentialiter consistit in actu liberi arbitrii quod est facultas voluntatis et rationis. Passio autem est motus appetitus sensitivi. .... Si igitur accipitur passio, secundum quod *praecedit* actum peccati, sic necesse est, quod diminuat peccatum. Actus enim in tantum est peccatum, in quantum est voluntarius, et in nobis existens. Esse autem aliquid in nobis dicitur per rationem et per voluntatem. Unde quanto ratio et voluntas ex se aliquid agunt, non ex impulsu passionis, magis est voluntarium et in nobis existens. Et secundum hoc passio minuit peccatum, in quantum minuit voluntarium. Passio autem *consequens* non diminuit peccatum, sed magis auget, vel potius est signum magnitudinis eius, in quantum scilicet demonstrat intensionem

voluntatis ad actum peccati. Et sic verum est, quod quanto aliquis maiori libidine, vel concupiscentia peccat, tanto magis peccat ». S. Th. 1. 2. q. 77. a. 6.

18. Hinc sequitur quod eo magis peccatum minuitur, quo vehementior est passio *praecedens*. « Dicendum, quod de ratione peccati est, quod sit voluntarium. Voluntarium autem dicitur, cuius principium est in ipso agente. Et ideo quanto principium interius magis augetur, tanto etiam peccatum fit gravius; quanto autem principium exterius magis augetur, tanto peccatum fit levius. Passio autem est principium extrinsecum voluntati; motus autem voluntatis est principium intrinsecum. Et ideo quanto motus voluntatis fuerit fortior ad peccandum, tanto peccatum est maius: sed quanto passio fuerit fortior impellens ad peccandum tanto (peccatum) fit minus ». S. Th. de Malo q. 3. a. 11. ad 3. Cf. n. 10. 11. 12.

19. Actus vero ex *consequenti* concupiscentia procedens, eo magis voluntarius et maius peccatum est, quo illa maior est. « Si sub concupiscentia includatur etiam ipse motus voluntatis, sic ubi est maior concupiscentia est maius peccatum ». S. Th. 1. 2. q. 73. a. 6. ad 2. Itemque concupiscentia directe excitata peccatum auget. Nam cum sit voluntaria, quo maior ipsa est, eo maius adfuit voluntarium, unde ipsa orta est. Et ob eandem rationem maius habetur meritum in voluntaria concupiscentiae refraenatione, eiusque imminutione. — Cf. n. 13. 14. 16.

20. An passio totaliter excuset a peccato? — « Dicendum quod secundum hoc solum actus aliquis, qui de genere suo est malus, totaliter a peccato excusatur, quod totaliter involuntarius redditur. Unde si sit talis passio, quae totaliter involuntarium reddat actum sequentem, totaliter a peccato excusat; alioquin non totaliter..... Passio quandoque quidem est tanta, quod totaliter aufert usum rationis; sicut patet in his, qui propter amorem vel iram insaniunt. Et tunc si talis passio a principio fuerit voluntaria, imputatur actus ad peccatum; quia est voluntarius in sua causa.... Si vero causa non fuerit voluntaria, sed naturalis, puta cum aliquis ex aegritudine, vel aliqua huiusmodi causa incidit in talem passionem, quae totaliter aufert usum rationis, actus omnino redditur involuntarius, et per consequens totaliter a peccato excusatur. Quandoque vero passio non est tanta, quod totaliter intercipiat usum rationis; et tunc ratio potest passionem excludere, divertendo ad alias cogitationes, vel impedire ne suum consequatur effectum: quia membra non applicantur operi, nisi per consensum rationis. Unde talis passio non totaliter excusat a peccato ». S. Th. 1. 2. q. 77. a. 7., q. 6. a. 7. ad 3. Cf. etiam q. 10. a. 3.

21. Ratio autem est, quia voluntas in suo agendi modo pendet ab

intellectu. Intellectus autem duobus modis potest aliquid proponere voluntati. *Primo,* ex subita et simplici apprehensione, quod tunc fit, quando mediante phantasia et appetitu sensitivo, subito apprehendit aliquod bonum delectabile, quo appetitus afficitur, et hoc proponit voluntati sub ratione boni tantum delectabilis, et nullo modo sub ratione mali. Tunc enim voluntas determinatur ad hoc appetendum, et non est in illius potestate appetere et respuere, quia intellectus determinate proponit illi bonum, quod appetat, et non simul proponit illi malum, quod respuat. *Secundo,* ex praevia deliberatione seu usu rationis, qui tunc fit, quando intellectus non solum apprehendit aliquod obiectum, sed simul in eo videt rationem boni et mali, et praeterea iudicat et discurrit de toto negotio. Tunc enim voluntas indifferenter potest vel appetere illud propter rationem boni, vel respuere propter rationem mali, vel denique cessare ab omni actu, quia nec bonum malo commixtum potest illam necessitare ad appetendum, nec malum bono commixtum potest illam necessitare ad respuendum. Becanus Tr. 1. C. 2. q. 10. n. 34. 35.

22. An primi pravae concupiscentiae motus sint semper peccata, et qualia? — Nullum dubium esse potest, quod primi pravae concupiscentiae motus sint peccata, et peccata mortalia, agitur enim de re gravi, si illis exurgentibus voluntas sequenti tempore *consentiat*, et consentiendo morose in illis *delectetur,* sive longa, sive brevi et brevissima mora. Actus enim est de re graviter turpi, et plene deliberatus: et ille primus concupiscentiae motus, licet independenter omnino a voluntate excitatus fuerit, accedente voluntatis consensu, iam actus imperatus in sui mora et permanentia incipit esse. Quare ea *mora* voluntaria mora est.

23. Nullum dubium item est quod primi pravae concupiscentiae motus naturaliter excitati et independenter a voluntate, quae deinde pro viribus illis *dissentit* et *resistit*, nullo modo peccata sunt. Actus enim sunt omnino involuntarii: et sine voluntario peccatum non est. Immo meritum inde est voluntati repugnanti. « Primus motus, ait S. Th. 2. Dist. q. 1. a. 4. ad 3., non habet rationem culpae, nisi secundum quod aliquo modo est in potestate voluntatis. Unde quamdiu voluntas non repugnat, habet rationem peccati. Sed quando voluntas iam repugnare incipit, tunc homo meretur ».

24. Si tandem voluntas, exurgente primo concupiscentiae motu, neque *consentit* neque *dissentit,* sed permittit, non illum prohibens, iam *rationem habet peccati* huiusmodi motus, quia *aliquo modo est in potestate voluntatis.* Ille enim motus iam contra et praeter voluntatem, haud sane intendentem, sed saltem permittentem, non est. Peccatum autem non mortale sed leve est. Etenim peccatum mortale est in aversione a Deo, quae haberi non potest sine ratione sese a Deo

avertente per deliberationem, quae aversio hic non habetur. Ergo illud peccatum mortale non est, sed veniale. Peccatum veniale est; quia inordinatum est, nulla causa excusante, ab omni resistentia cessare ac nihil agere, in re tam periculosa; quod cum mortale non sit, a veniali tamen culpa eximi non potest. « Primus motus est motus sensualitatis praeveniens deliberationem rationis..... Ad naturam autem sensualitatis et rationis pertinet, quod motus sensualitatis, qui est absque deliberatione rationis, non possit esse peccatum mortale: quia peccatum mortale est, quod consistit in aversione a Deo, ad quem converti non potest homo nisi per rationem: et per consequens aversio a Deo, quae constituit peccatum mortale, non potest esse nisi in ratione ». S. Th. Quodl. 4. a. 22. Insuper inordinatio, quae peccatum mortale constituit, est in voluntate, quae *vult* malum. Porro hic voluntas non vere *vult*, sed *permittit:* permittere autem malum per se peccatum non est, vel certe peccatum mortale non est. Nam *velle* malum est ex perfecto voluntatis dominio, malum *permittere,* nonnisi ex eius imperfecto dominio est, siquidem est malum tantum *non prohibere.* « Habet voluntas in quibusdam dominium completum, in quibusdam vero incompletum. Completum dominium habet in illis actibus, *qui ex imperio voluntatis procedunt,* et hi sunt actus deliberationem sequentes, qui rationi adscribuntur. Sed incompletum dominium habet, in illis actibus, qui *non per imperium rationis* procedunt, sed tamen voluntas *eos impedire* poterat; ut sic *quodammodo voluntati subiaceant,* quantum ad hoc quod est *impediri* vel *non impediri,* et ideo inordinatio, quae in his actibus contingit, rationem peccati causat, tamen *incompleti,* et ideo in his actibus peccatum *levissimum* est, et *veniale* ». S. Th. 2. Dist. 24. q. 3. a. 2.

25. Eadem est S. Th. doctrina Quodl. 4. a. 21.: « Dicendum quod motus importat inclinationem quandam ad terminum; quae quidem inclinatio pertinet ad appetitum in humanis actibus. Est autem in homine triplex appetitus. Unus quidem naturalis, secundum quod vis appetitiva pertinet ad animam vegetabilem, sicut et vis digestiva et expulsiva et retentiva. Secundus appetitus est sensualitatis, qui movetur secundum apprehensionem sensus. Tertius appetitus est voluntatis, qui movetur secundum iudicium rationis. Peccatum quod habet rationem culpae, de quo nunc loquimur, non potest esse nisi in actu voluntario, qui scilicet est aliqualiter in potestate peccantis. Actus autem appetitus naturalis non subiacet imperio rationis, sicut nec actus aliarum potentiarum vegetabilis animae; et ideo in actu talis appetitus non potest consistere culpa; sicut quod homo esuriat vel sitiat, absque culpa est: et idem dicendum est in aliis huiusmodi. Sed actus appetitus sensitivi subiacet imperio rationis; quia ratio praeveniens ipsum, potest eum imperare, vel etiam impedire: et ideo talis motus

potest iam habere rationem culpae: et si sequatur iudicium rationis, poterit etiam esse peccatum mortale, sicut et motus exteriorum membrorum imperati a ratione. Si autem praeveniat iudicium rationis, est quidem peccatum, si tendat in aliquid illicitum, quia in potestate hominis fuit ipsum cohibere; est tamen veniale peccatum et levissimum..... et hoc dicitur primus motus peccati. Motus autem superioris appetitus i. e. voluntatis, consequens iudicium rationis iam potest esse peccatum mortale ».

26. Verum grave, practice loquendo, adest etiam peccatum; si, positiva omissa resistentia, manifesto quis exponatur periculo voluntariae approbationis et consensus; quod facile in re maxime alliciente potest contingere. Ac quoad eos, qui non sunt timoratae conscientiae, et qui in tam periculosa tentatione nihil contra eam agunt, multum timendum est ne revera graviter peccent. Aliud autem est *positive* resistere, aliud *directe* oppugnare. Ad positivam resistentiam pertinet sola voluntatis dissensio, quae vero non est continue iteranda, si diu tentatio permaneat; sed sufficit cum humili oratione ad Deum confugere. *Directa* oppugnatio in contrariis actibus eliciendis consistit contrariae virtutis, *indirecta* vero oppugnatio habetur avertendo animum a cogitatione turpium rerum, eumque honestis aliis rebus serio occupando. Indirecta haec oppugnatio maxime adhibenda est in cogitationibus pravis et in tentationibus luxuriae. Animum enim avertendo a cogitatione turpium rerum efficax habetur remedium ad eas cogitationes et tentationes repellendas. Directe velle eas oppugnare animum detinet in illis rebus, quod facile tentationem nedum pellere, potest augere; « quia ubi maior est sollicitudo, imaginatio magis defigitur in tali obiecto, per imaginationem autem maxime augentur » motus pravi. La-Croix l. 5. n. 111.

27. Utrum consuetudo vel habitus augeat voluntarium aut liberum, an minuat; et consequenter utrum augeat culpam vel meritum, an minuat? — « Dicendum ex consuetudine et habitu per illam acquisito fieri, ut voluntas maiori promptitudine feratur; quia maiori facilitate et delectatione operatur ex habitu, quam sine illo, caeteris paribus. At vero maiori conatu operamur ea, quae facilius et iucundius efficimus: sic ergo habitus auget voluntarium, quia augmentum voluntarii in hoc consistit, quod voluntas maiori impetu feratur. At vero de libero dicendum, sicut paulo ante dicebamus de affectu voluntatis, seu de concupiscentia consequenti, quod habitus quidem per se ac formaliter minuit libertatem quia inclinando magis voluntatem ad alteram partem minuit indifferentiam eius: tamen moraliter et in ordine ad effectus morales non censetur minuere, quamdiu illa consuetudo libera ac voluntaria est propter eandem rationem, quia dispositio libera, ut sic, non minuit liberum. Unde fit probabile, si consuetudo et

habitus fiant involuntaria per actum contrarium, efficacem quantum est ex parte hominis, quem poenitet se acquisivisse talem consuetudinem, vel habitum, et proponit facere quantum in se est ad vincendum illum, tunc, inquam, est valde probabile consuetudinem minuere libertatem et consequenter culpam, quia talis consuetudo versa est quodammodo in naturam, et iam non est in potestate hominis tam cito vincere illam, et alioqui est iam involuntaria, et ideo non reputatur tanquam suppositio libera, sed necessaria ». Suarez D. 3. S. 3.; S. Th. 1. 2. q. 78. a. 2. 4. Cf. Comment. Quintum n. 30. 31.

28. Utrum gratia augeat voluntarium aut liberum, an minuat? — « Dicendum est per se loquendo augere voluntarium, quia movet et inclinat voluntatem ad volendum; et quamvis gratia soleat dici principium extrinsecum, tamen per se loquendo movet aut ex parte obiecti trahendo voluntatem multo suavius quam concupiscentia soleat trahere... vel ex parte potentiae per habitum in illa infusum, aut motionem vitalem eius, et ab illa intime procedentem. At vero de libero fieri potest, ut gratia interdum illud minuat, inclinando magis voluntatem ad alteram partem, tamen non semper est necessarium, nam in hoc differt multum inter gratiam et concupiscentiam; nam concupiscentia movet ad unum sub aliqua ratione, occultando seu minuendo cognitionem eiusdem obiecti sub aliis rationibus; at vero gratia per se loquendo illuminat, et ostendit in obiecto omnem rationem boni et mali, quae in illo considerari potest, et inclinat ad prosequendum illud sub perfectissima et suprema ratione boni, quam facit ponderare ac aestimare prout digna est: atque ita ex vi gratiae non est necesse, ut minuatur libertas, quamvis, ut dixi, aliquando minui possit ». Suarez D. 3. S. 3. Cf. etiam Tr. 3. D. 5. S. 3. n. 18. Nullo igitur pacto gratia libertatem tollit, sed perficit.

29. Apposite Leo XIII. Litt. Enc. *Libertas* 20. Iun. 1888.: « Divinae virtus gratiae, cum mentem illustret, voluntatemque salutari constantia roboratam ad morale bonum semper impellat expeditiorem efficit, simulque tutiorem nativae libertatis usum. Ac longe est a veritate alienum, interveniente Deo, minus esse liberos motus voluntarios: nam intima in homine et cum naturali propensione congruens est divinae vis gratiae, quia ab ipso et animi et voluntatis nostrae auctore manat, a quo res omnes convenienter naturae suae moventur. Immo gratia divina, ut monet Angelicus Doctor, ob hanc causam quod a naturae opifice proficiscitur, mire nata atque apta est ad tuendas quasque naturas, conservandosque mores, vim, efficientiam singularum ». Et iam antea idem Leo XIII. scite animadvertebat: « Si posse deficere a bono secundum naturam esset perfectionemque libertatis, iam Deus, Iesus Christus, Angeli, Beati, in quibus omnibus ea potestas non est, aut non essent liberi, aut certe minus perfecte essent,

quam homo viator atque imperfectus. De qua re Doctor Angelicus multa saepe disputat, ex quibus effici cogique potest facultatem peccandi non libertatem esse, sed servitutem. Subtilissime illud in verba Christi Domini Ioann. 8., 34.: Qui facit peccatum servus est peccati. *Unumquodque est illud, quod convenit ei secundum naturam. Quando ergo movetur ab aliquo extraneo, non operatur secundum se, sed ab impressione alterius, quod est servile. Homo autem secundum suam naturam est rationalis. Quando ergo movetur secundum rationem, proprio motu movetur, et secundum se operatur: quod est libertatis, quando vero peccat, operatur praeter rationem, et tunc movetur quasi ab alio, retentus terminis alienis, et ideo:* « qui facit peccatum servus est peccati ».

COMMENTARIUS SEPTIMUS
DE METU

1. Metus communiter definitur: *instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio.*

2. *Instantis vel futuri periculi causa, periculi* nempe mali: nam *mali praesentis periculum* amplius non est, cum iam adsit. Malum autem *praesens* non ingerit timorem, sed tristitiam. « Malum coniunctum est causa doloris vel tristitiae per modum obiecti ». S. Th. 1. 2. q. 36. a. 4. « Obiectum timoris est malum futurum difficile, cui resisti non potest ». S. Th. 1. 2. q. 41. a. 2. « Tristitia est de praesenti malo; timor est de malo futuro, quod non ita movet, sicut praesens ». Ib. a. 1.

3. *Mentis trepidatio.* « Manifestum est quod timor, cum sit de malo ad appetitivam potentiam pertinet, quae per se respicit bonum et malum ». Ib. a. 1.

4. Metus ergo prae se fert coactionem moralem, quae nempe in ipsam voluntatem exercetur; vis seu violentia e contra infert coactionem physicam, quae in alias potentias et exteriora membra exercetur, quatenus exteriore aliqua vi moventur ac impelluntur contra naturalem eorum inclinationem.

5. Dividitur timor in levem et gravem, *ratione mali*, quod timetur. Primus habetur aut cum malum instans vel futurum leve est; aut cum, licet grave sit, parum tamen probabile et verisimile est. Alter autem habetur, cum grave est malum impendens, et valde probabile vel certum est.

6. Grave autem est malum vel absolute vel relative. Hinc metus gravis in absolute gravem et relative gravem subdividitur. *Absolute grave* damnum illud est, quod in virum constantem metum incutit sui, et grave in se est ac communiter tale reputatur. Utrumque expli-

catur a S. D. 4. Dist. 29. q. 1. a. 2. Et primum de *metu cadente in constantem virum:* « Cadere metum in aliquem est aliquem metu cogi. Cogitur autem aliquis metu, quando aliquid facit, quod alias non vellet ad evitandum aliquid quod timet. In hoc autem *constans* ab *inconstanti* distinguitur quantum ad duo. Primo quantum ad qualitatem periculi, quod timetur, quia *constans* sequitur rationem rectam; per quam scit aliquid pro quo sit dimicandum vel faciendum. Semper autem minus malum, vel maius bonum eligendum est. Et ideo *constans* ad minus malum sustinendum cogitur metu maioris mali, non autem cogitur ad maius malum, ut vitet minus malum. Sed *inconstans* cogitur ad maius malum, propter metum minoris mali, sicut ad peccatum propter metum corporalis poenae. Sed *pertinax* e contrario non potest cogi etiam ad minus malum sustinendum vel faciendum, ut evitet maius malum; unde *constans* est medius inter *inconstantem* et pertinacem. Secundo differunt quoad aestimationem periculi imminentis, quia *constans* nonnisi *ex forti aestimatione et probabili* cogitur; sed *inconstans* ex levi..... *Constans* intrepidus est, non quod omnino non timeat, sed quia non timet quae non oportet, vel ubi, vel quando non oportet ». De malo vero, *in se gravi et quod communiter tale reputatur*, haec subdit: « Peccata sunt maxima malorum, et ideo ad hoc nullo modo potest homo constans cogi, immo magis debet homo mori, quam talia sustinere.... Sed quaedam damna corporalia sunt minora quibusdam aliis, quae sunt inter praecipua, quae ad personam pertinent, sicut mors, verbera, dehonestatio per stuprum et servitus: et ideo ex istis cogitur ad alia damna corporalia sustinenda.... Nec differt, utrum haec pertineant ad personam propriam, vel uxoris, vel filiorum, aut aliorum huiusmodi ». Et his inter alia accensenda est infamia, si illi facile occurri non possit, ib. ad 3.; amissio omnium bonorum per furtum, rapinam, incendium; dimissio ab officio; matrimonii contrahendi frustratio; exclusio ab expectata haereditate, etc. Malum vero *relative grave* illud est, quod *secundum se,* et secundum communem hominum aestimationem, grave non est, grave tamen est respectu huius vel illius personae, puta, pueri, puellae, feminae, senis, infirmi.

7. Dividitur praeterea metus in intrinsecum et extrinsecum, ratione causae, unde proficiscitur. Metus intrinsecus est, qui exoritur ex intrinseca ipsius subiecti dispositione, ex cuiusque nempe propria corporis aut animi infirmitate. Timor mortis ex gravi morbo excitatus, timor intrinsecus est, quippe qui exoritur tanquam ex causa ex infirmitate, quae in ipso subiecto timoris est. Metus extrinsecus est, qui ab extrinseca causa excitatur, sive causa haec sit naturalis seu necessaria, sive sit causa moralis seu libera; ut item metus mortis ex naufragio, vel ex latrone obviam occurrente.

8. Metus extrinsecus a causa morali seu libera incussus in iustum et iniustum subdivitur, prout ius illa habeat vel non habeat malum inferendi; ut metus a iudice vel a grassatore incussus. Ac sive iuste sive iniuste metus incussus sit, potest talis metus simpliciter incuti ad aliquid obtinendum, vel ad malum aliquod inferendum, ut contingit in latronibus mortem minantibus, nisi quis det ea quae habet, vel in inimico mortem in vindictam item minitanti: et potest incuti ad *consensum* in certam quandam rem extorquendum, e. g. in sponsalia, in matrimonium, in contractum, etc. In primo et tertio casu, metus incussus ad aliquid obtinendum vel ad consensum extorquendum metus per se directe influit in consensum vel explicite, ut in tertio casu; vel implicite, ut in primo casu. In secundo casu metus per se directe non influit in consensum, sed per accidens in voluntatem influere potest, ut e. g. si quis inimico mortem ei minitanti, ut pacem sibi conciliet, se offerat ad eius filiam in matrimonium ducendam.

9. Metus speciali nomine appellatur *reverentialis*, cum metus est, ne superior offendatur, vel quo quis veretur resistere ei, cui subiicitur, nempe patri, matri, avo, socero, marito, regi, domino, praelato, tutori et curatori, ut communiter docent dd. cum Sanch.; item etiam patruo, aut patrueli, vel fratri maiori, si cum eis metum passus habitet, et ab ipsis alimenta recipiat. S. Alph. l. 6. n. 1056. « Pontius merito ait, metum *reverentialem per se* esse *gravem*, quia aliud est operari ex reverentia superiori debita, aliud ex metu reverentiali, qui necessario induit timorem alicuius gravis damni imminentis ex obedientia non praestita, puta diuturnae indignationis, etc. ». S. Alph. l. 3. n. 717. Indignatio profecto patris, domini, etc., malum est; et, si diuturna sit, malum grave est. Quare, seclusis etiam aliis malis, v. g. verberibus, minis, etc., metus *reverentialis per se* gravis est.

10. « Aliud est aliquid operari *cum metu*, aliud vero *ex metu*: nam primum dicit *concomitantiam*; unde quod ita fit, licet sit absolute voluntarium, tamen illud voluntarium non oritur ex metu, sed potius opponitur, et vincit ipsum metum, quod est signum magnae voluntatis: ut quando Christus Dominus progrediebatur ad mortem, metuens illam, summa voluntate illam amplectebatur, quae non oriebatur ex timore Patris et hominum, et ideo vincebat naturalem timorem. At vero fieri *ex metu*, significat quod metus ipse inducit ad volendum, seu faciendum aliquid, et tunc metus est *causa* talis voluntarii, eo modo quo inter actus voluntatis intentio est causa electionis, et electio usus; et amor boni est causa odii oppositi mali: nam ad hunc modum in praesenti, quando quis timet mortem decernit et intendit illam fugere; et ex vi huius decreti eligit hoc medium v. g. proiicere merces in mare, et ad hanc electionem sequitur usus, seu executio. Ergo de primo ad ultimum metus fuit causa exci-

tans et applicans voluntatem ad illum actum efficacem, quo imperavit illam actionem exteriorem ». Suarez D. 3. S. 1.

11. Porro illa, quae *ex metu* fiunt magis sunt voluntaria, quam involuntaria : sunt enim voluntaria *simpliciter,* involuntaria autem *secundum quid.* Nam unumquodque est simpliciter tale, prout est in actu. Atqui hic actus, prout hic et nunc exercetur est simpliciter volitus ; quia licet talis actio per se considerata non sit amabilis simpliciter, tamen hic et nunc proponitur ut absolute eligenda, tanquam medium conveniens ad evitandum maius malum. Ergo sub ea ratione est hic et nunc simpliciter voluntaria. Iudicium enim de voluntario est ferendum, considerata re in particulari cum omnibus circumstantiis, et non per abstractionem seu praecisionem intellectus. « Sed quod accipiatur id quod per metum fit, ut extra hunc casum existens, prout repugnat voluntati, hoc non est nisi secundum rationem tantum et ideo est involuntarium secundum quid, i. e. prout consideratur extra hunc casum existens ». S. Th. 1. 2. q. 6. a. 6. « Illud ergo quod per metum agitur absque conditione est voluntarium, i. e. secundum quod actu agitur; sed involuntarium est sub conditione, i. e. si talis metus non immineret ». S. Th. ib. ad 3. « Et quia actus in particularibus sunt, ideo simpliciter voluntarium est, sed secundum quid involuntarium ». S. Th. S. q. 47. a. 1.; Suarez D. 3. S. 1. 2.

12. Discrimen ex dictis patet inter ea quae fiunt *ex vi,* et ea quae *ex metu* fiunt. « Ea quae aguntur per metum et per vim, non solum differunt, secundum *praesens* et *futurum,* sed etiam secundum hoc, quod in eo quod agitur per vim, *voluntas non consentit,* sed omnino est contra motum voluntatis. Sed id quod per metum agitur, *fit voluntarium* ideo, quia *motus voluntatis fertur in id,* licet non propter seipsum, sed propter aliud, scilicet ad repellendum malum, quod timetur. Sufficit enim ad rationem voluntarii, quod sit propter aliud voluntarium. Voluntarium enim est non solum, quod propter seipsum volumus, sed etiam quod propter aliud volumus, ut propter finem. Patet ergo, quod in eo quod per vim agitur *voluntas interior nihil agit.* Sed in eo quod per metum agitur *voluntas aliquid agit* ». S. Th. 1. 2. q. 6. a. 6. ad 1.

13. Discrimen item patet inter metum et concupiscentiam relate ad voluntarium. « In eo qui per metum aliquid agit manet repugnantia voluntatis ad id quod agitur, secundum quod in se consideratur. Sed in eo, qui agit aliquid per concupiscentiam, sicut est incontinens, non manet prior voluntas, quae repudiabat illud, quod concupiscitur ; sed mutatur ad volendum id quod prius repudiabat. Et ideo quod per metum agitur quodam modo est involuntarium : sed quod per concupiscentiam agitur nullo modo. Nam incontinens concupiscentiae agit contra id quod prius proponebat, non autem contra

hoc quod nunc vult. Sed timidus agit contra, id, quod etiam nunc secundum se vult ». S. Th. 1. 2. q. 6. a. 7. ad 2.

14. Sequitur ex praecedente doctrina *validum per se esse contractum,* si gravi metu, sed tamen iuste, coactus quis fuerit ad contrahendum. Unde, qui contraxit sponsalia metu excommunicationis compelli potest ad matrimonium, et valet contractus. C. *Ex litteris* 10. *de Sponsalibus.* Qui violavit virginem compellitur eam dotare vel ducere. Qui promisit aliquid, ne accusaretur de commiso crimine, illud dare tenetur. Ratio est, quia metus non reddit contractum simpliciter involuntarium. Nam qui gravi contrahit metu, omnibus absolute consideratis, vult et consentit. Cum autem metus iuste fuerit incussus, nulla est iniuria. Quare contractus neque ob defectum consensus, neque ob illatam iniuriam, irritus esse potest. — Neque vero irritus de se est contractus, si gravi metu, sed iniuste coactus quis fuerit contrahere, quamvis rescindi possit ad arbitrium eius, qui metum passus est. Nam consensus non desideratur; cum consensus idem omnino sit, sive metus sit iustus sive sit iniustus. Ex iniuria vero irritus reddi non potest contractus. Nam causa immediata contractus est consensus, non iniuria. Quia vero, qui metum iniuste incussit iniuriam alteri intulit, tenetur illum in priorem statum restituere, et alter ius habet hanc exigendi restitutionem, quae nonnisi contractus rescissione fieri potest.

15. Iamvero ea, quae fiunt ex metu, sunt involuntaria *secundum quid,* cum res est *in se mala,* sed bona dumtaxat in praesentibus circumstantiis, ut patet in exemplo allato proiectionis mercium pro mercatore, quae in se mala est illi; at bona illi est in praesenti circumstantia naufragii. Verum si res est *in se bona*, ita ut talis sit, abstrahendo etiam a praesentibus circumstantiis, tunc ille qui operatur ex metu potest perfecta voluntatis inclinatione, in eam rem, ferri ita ut voluntarium *simpliciter* habeatur, quin simul habeatur involuntarium *secundum quid.* Et sic qui ex metu supernaturali gehennae vult abstinere a peccato *voluntarium simpliciter* habet sine involuntario admixto, quia divinae legis observatio est simpliciter bona in se, abstrahendo etiam ab illa circumstantia metus divinorum iudiciorum. Cf. S. Alph. l. 6. n. 442. Obiic. II. Insuper « qui vult servare praeceptum ex timore inferni, si intelligat vim illius motivi, non potest habere simplicem affectum contrarium: *transgrederer praeceptum, si non esset poena,* nam per hunc ipsum affectum peccaret, et reatum poenae incurreret, et consequenter contra suum motivum. Si ergo vere et efficaciter moveatur ab illo motivo, et intelligat vim eius, et qualitatem suorum actuum, fieri non potest, ut cum illo motivo sit talis affectus ». Suarez D. 3. S. 2.

16. An preces importunae constituant metum gravem? — « Affirmat

Pontius, etc. Sed verius negandum, nisi preces addantur metui reverentiae erga Superiorem, ita Sanch. etc. Et bene advertit Sanch., non omnes preces assiduas dici importunas, sed tantum quae sunt instantissimae et saepius inculcatae ». S. Alph. l. 3. n. 717.

17. An metus gravis excuset a culpa? — Vel sermo est de iis, quae *intrinsece* et *per se* mala non sunt; vel de iis, quae sunt ex *natura sua intrinsece* mala, uti esset v. g. apostasia a fide, blasphemia in Deum. Si 1.um ordinarie loquendo, a tota culpa metus gravis excuxat, quia lex quaelibet positiva obligare non solet cum gravi proportionato incommodo, uti commune est. Dicitur *ordinarie loquendo*, quia si quis metu gravi compelleretur ad legis alicuius positive violationem, quae cederet in damnum commune, vel in contemptum legitimae potestatis, vel religionis, cum gravi scandalo publico, gravis metus tunc non excusaret a culpa transgressionis; nam in 1.° bonum commune praeponi debet privato; in 2.° vero ageretur iam de re ex natura sua intrinsece mala. Verum in altero hoc casu si patiens, cum legem violat, publice protestetur, se ita non agere in legis contemptum, sed tantummodo ad declinandam violentiam, qua exsistente, lex amplius non obligare declaret; tunc, *si publicum scandalum cesset*, et cesset praedictus contemptus, quod practice loquendo difficile omnino videtur, excusaretur a culpa. — Si 2.um certum est, metum utcumque gravem, dummodo talis non sit, ut usum rationis adimat, nunquam excusare a tota culpa: illa enim cum includant intrinsecam et essentialem malitiam, si fiunt voluntarie, nunquam culpa carere possunt: exemplum est in christiano illo, qui poenarum vel etiam mortis metu perculsus, fidem Christi negaret. Minuit tamen culpam, cum voluntarium minuat. Attamen, *ordinarie loquendo*, metus gravis talem adhuc relinquit cognitionem eorum, quae fiunt, ut sufficiat ad mortale peccatum. Busemb. ap. S. Alph. l. 1. n. 175.; Elbel 43.-52.

18. Metus gravis v. g. mortis, etc., saepe non tantum excusat a praecepto positivo, tam divino, quam humano etiam ecclesiastico, sed quandoque etiam ab affirmativo naturali, et sic non tenetur quis cum periculo vitae baptismum suscipere, integre confiteri, communionem recipere, servare depositum, implere votum, succurrere proximo in extrema vitae indigentia. Lessius q. 6. a. 6.; Bus. ap. S. Alph. l. 1. n. 175. Ex contrario ad mortem declinandam non potest sacerdos sigillum sacramentale violare. Cf. Viva de Act. hum.

19. Quaestio hic movetur: an virgo teneatur potius permittere se occidi, quam violari, si eius pudicitiae et vitae invasor mortem ei minetur, nisi copulae consentiat. — « Adest duplex sententia, ait S. Alph. l. 3. n. 368. Prima, quam tenet Navarr., Sotus, Tol., Lopez et alii dicit, quod, licet possit, non tenetur tamen foemina mortem pati, sed potest

tunc permissive se habere, dum accidit copula; modo voluntate positive resistat et consensus periculum absit; quia, ut dicunt, illa permissio non est tunc cooperatio moralis, sed tantum materialis; et ideo ob periculum mortis satis excusatur. Secunda sententia, quam tenent Salmanticenses cum Lugo, Azor, Bonac., Fill., Pal., etc. docet hoc omnino illicitum esse, quia, cum foemina possit copulam impedire, si timore inducta quiescit, sua tunc cooperatio vere moralis et voluntaria fit. In foemina enim illa quies in copula reputatur ut actio. Haec ratio tamen non convincit, quia illa quies foeminae revera non potest dici actio, dum nullo modo est positiva. Ideo prima sententia, speculative loquendo, sua probabilitate carere non videtur. Non tamen negandum, secundam sententiam in praxi omnino suadendam esse, saltem ob periculum consensus, quod in illa permissione facile adesse potest ».

20. Quaestio item movetur: an mulier gravi metu ad matrimonium coacta, eo manente metu gravi, a viro deinde ad copulam graviori metu mortis coacta, possit tunc in matrimonium consentiens illud reddere validum, et copulae consentire. — Sunt, qui affirmant, quia lex constituens impedimentum dirimens in favorem innocentis, quem intendit protegere, in eius gravissimum cederet damnum. Si secus esset, iam aliquis in inevitabilem necessitatem coniiceretur aut peccandi, si mere passive se habere posse vix confideret, aut mortem subeundi, idque ad suam libertatem conservandam. Atqui propria libertas propriae vitae servandae necessario praeferri non debet. Verum multo probabilius negandum omnino est. Nam leges irritantes per se directe respiciunt commune bonum, et non cessant ob particulare licet gravissimum incommodum. Si impedimentum in casu cessaret, iam revera impedimentum metus nullum esset. Si enim impedimentum cessat, quando agatur de consummatione matrimonii, iam ab initio impedimentum tunc cessasse dicendum esset, cum, per se loquendo, metus ille gravis, quo matrimonium contrahitur, usque ad ipsius consummationem dirigatur et protendat. Sanchez de Matr. l. 4. D. 18. n. 13. seqq.; Tambur. de Matr. Tr. 4. C. 7. § 4.; Mazzotta de Matr. D. 3. Q. 2. C. 3. n. 2.

COMMENTARIUS OCTAVUS
DE VI SEU VIOLENTIA

1. *Vis* seu *violentia* dicitur *illud, quod est ab extrinseco principio, contra voluntatis inclinationem, ita ut qui vim patitur non possit contrarium agere, et omnino repugnet.*

2. *Illud quod est ab extrinseco principio contra voluntatis inclinationem;* nam *coactum* et *violentum naturali* et *voluntario* opponuntur, quae de eo dicuntur, quod ab intrinseco principio secundum pro-

priam inclinationem procedit. Quare S. Th. « quod est ait, *coactum* vel *violentum* est ab exteriori principio ». 1. 2. q. 6. a. 4. « violentia facit aliquid esse contra voluntatem, » ib. a. 5. Hinc voluntas non potest sibi ipsi vim seu violentiam inferre. Discrimen praeterea apparet inter *vim* seu *violentiam* et *metum*: nam, cum vis seu violentia sit illud quod est ab *extrinseco principio,* a voluntate non est, dum e contra, cum *metus* in ipsa sit voluntate, a voluntate est, tanquam metum concipiente.

3. *Ita ut qui vim patitur non possit contrarium agere:* si enim contra agere potest; iam vis seu violentia non habetur: nam *vis* seu *violentia* contra *voluntatis inclinationem* esse debet: sed contra voluntatis inclinationem profecto non est, quod quis, licet possit removere, in se tamen admittit. « Cum aliquis cogitur ab aliquo agente, ita quod non possit contrarium agere, haec vocatur necessitas coactionis. » Ita S. Th. 1. p. q. 82. a. 1. Ex hoc capite duplex distingui potest vis seu violentia, *absoluta* et *totalis*, *secundum quid* et *partialis*, prout nempe nullo modo quis contrarium agere possit, vel aliquid saltem contra conari possit et agere, ad vim et violentiam imminuendam. Attamen non semper requiritur ad culpam vitandam resistentia omnino absoluta et continua illatae coactioni, quando scilicet ex una parte inutilis foret, ex altera autem agitur de materia minus periculosa. Sic martyres ducti ad paganorum templa non peccabant, quamvis propriis pedibus ambularent. At in omni casu resistendum est, quantum ad avertendum proximum periculum peccati et scandali, ac religionis iniuriam requiritur. Excusari item potest quis a resistentia opponenda ex *gravioris damni timore,* necesse tamen est semper, ut interne, quantum potest, voluntate peccato repugnet. Quare ad iudicium ferendum de culpa ex omissione resistentiae, considerandum est non tantum, utrum quis *potuerit* resistere, verum etiam an *debuerit.* Ille igitur qui resistens seu contrarium agens, quantum potest, vim patitur; vel etiam nihil resistens nihil contrarium agens, quia nihil potest, quia ad nihil tenetur, *cooperator* et *complex* dici non potest.

4. *Et omnino repugnet:* etenim, quamvis vis et violentia ab extrinseco illata talis sit, ut quis nihil possit contrarium agere, si tamen ista deest voluntatis repugnantia, iam vim et violentiam invitus non patitur. Hinc iterum patet discrimen inter *violentiam* et *metum:* quia ad id quod per vim et violentiam fit nihil confert vim patiens; verum « ad id quod agitur per metum voluntas timentis aliquid confert. » S. Th. 1. 2. q. 6. a. 6. ad 1. Atque, cum huiusmodi interior voluntatis repugnantia et totalis esse possit, et possit esse etiam non omnino plena, hinc iterum ex hoc etiam capite vis et violentia *absoluta* et *secundum quid* distingui potest. « Voluntarium, ait S. Th. 1. 2. q. 6. a. 5., potest aliquid dici dupliciter; uno modo secundum *actio-*

nem, puta cum quis vult aliquid agere; alio modo secundum *passionem*, scilicet cum aliquis vult pati ab alio. Unde cum actio infertur ab aliquo exteriori, manente in eo qui patitur voluntate patiendi, non est *simpliciter violentum:* quia licet ille qui patitur non conferat agendo, confert tamen volendo pati. Unde non potest dici *involuntarinm.*»

5. Consequitur ex dictis voluntarium esse mulieri stuprum, si cum invasorem suae pudicitiae repellere possit, eum non repellat; vel si, cum eum repellere non possit, vi sua voluntate non repugnet, eumque voluntarie admittat, vel saltem ei, omni quo potest modo, non resistat. E contrario omnino esset stuprum involuntarium mulieri, si suae pudicitae invasori omnino resistere non posset, eique omnino sua voluntate repugnaret. Quare coactio dupliciter esse potest *secundum quid*, obiective et subiective. *Obiective,* si tanta revera non sit cogentis vis, ut patientis resistentia repelli vel saltem debilitari non possit. *Subiective,* si, quamvis coactio neque repelli neque debilitari possit, pro viribus tamen quis ei non resistat, nec sua voluntate omnino repugnet. S. Alph. l. 5. n. 16.

6. Iamvero vis seu violentia voluntati, quoad suos actus inferri non potest. « Quantum ad ipsum proprium actum (nempe *elicitum*) voluntatis, non potest ei violentia inferri. Et huius est ratio, quia actus voluntatis nihil aliud est, quam inclinatio quaedam procedens ab interiori principio cognoscente.... Quod autem est coactum, vel violentum, est ab exteriori principio.»: S. Th. 1. 2. q. 6. a. 4. Enimvero, si actus voluntatis sunt *eliciti* ab ipsa voluntate, tanquam ab activo principio intrinseco, cum voluntas eorum *activum principium intrinsecum* sit, iidem actus esse non possunt *a principio extrinseco, violento,* violentum enim est quod est *ab extrinseco principio, passo non conferente vim.* « *Invitus* nemo potest *velle* aliquid, quia non potest *velle nolens velle* ». S. Anselmus de Lib. arb. cap. 6. Communi tamen loquendi modo vis dicitur illata voluntati, quando vis adhibetur, ut voluntatis propositum mutetur, quod fieri quidem nequit sine proprio voluntatis actu.

7. Hinc patet duplici sensu intelligi potest actus voluntatis elicitos esse coactos; nempe primo, ut dicantur violenti aut coacti a violentia seu coactione, tanquam *a principio activo,* quod esse nequit; secundo, ut dicantur violenti aut coacti a violentia seu coactione, tanquam *a motivo.* Nam sicut metus potest movere aut impellere ad aliquid faciendum, quod alias quis non faceret, sic etiam externa vis et coactio. Becanus Tr. 1. C. 2. q. 10. n. 40.

8. « Quantum ad actus a voluntate *imperatos,* voluntas violentiam pati potest, in quantum per violentiam exteriora membra impediri possunt, *ne imperium voluntatis exequantur.*» S. Th. 1. 2. q. 6. a. 4. Violentiam autem voluntas pati potest in exterioribus membris, quamvis

explicitum *voluntatis imperium* proprie non habeatur, ut e. g. si quis *contra suam voluntatem* deprehendatur, manibus et pedibus ligetur, in carcerem detrudatur, etc. — Idque valet non tantum quoad exteriora membra, verum etiam quoad interiores facultates. Etenim clarum est, quod voluntas non tantum manui e. g. *praecipere potest* ut non subscribat proprium nomen in chirographo ficti creditoris, et illa ab isto vi apprehensa subscribere debeat, verum etiam *potest intellectui praecipere*, ut rem aliquam cogitet et consideret, et intellectus distractus ad alia cogitanda rapiatur; *potest praecipere* sensili appetitui, ut rationi obediat, et contra rationem ille moveatur. Item potest extrinseca causa, e. g. daemon, phantasmata in imaginatione *contra voluntatem* excitare, sensiles motus in sensili appetitu, repugnante pariter voluntate, excitare, etc. Cf. Suarez D. 2.; Lessium in q. 6. a. 4.; S. Th. 1. 2. q. 80.

9. Actus *imperati,* ut ex ipsa coactionis definitione et actus imperati notione eruitur, coacti quidem dici non possunt relate ad facultatem eos physice elicientem; sed tantum moraliter relate ad voluntatem imperantem. Caeterum nullus actus, qui fit absque voluntatis imperio, imperatus proprie dici potest. Voluntas autem cogi non potest ad imperatos actus aliarum potentiarum. Nam voluntas non potest imperare actus aliarum potentiarum, nisi per actum a se elicitum. Atqui non potest cogi ad actum a se elicitum. Ergo non potest cogi, ut imperet actus aliarum potentiarum.

10. Potest quidem ipsa voluntas actum imperare contra naturalem facultatis inclinationem, sicut cum aliquis inflectit membra contra naturalem eorum flexibilitatem. Actus ille imperatus, licet sit secundum quid violentus, simpliciter tamen violentus non est. Etenim, cum pars propter totum sit, pars non est tantum spectanda secundum se, sed potissimum secundum ordinem ad totum. Hinc quod violentum parti est secundum se, violentum ei non est secundum ordinem ipsius ad totum. « Dicendum quod, sicut Philosophus dicit, Physic. l. 8. textu 27., motus animalis, quo interdum movetur animal contra naturalem inclinationem corporis, etsi non sit naturalis corpori, est tamen quodammodo naturalis animali, cui naturale est quod secundum appetitum moveatur; et ideo hoc non est violentum simpliciter, sed secundum quid. Et similiter est dicendum, cum aliquis inflectit membra contra naturalem dispositionem; hoc enim est violentum secundum quid, scilicet quantum ad membrum particulare, non tamen simpliciter quantum ad ipsum hominem.» S. Th. 1. 2. q. 6. a. 5. ad 3.

11. Violentia, quoad actum ad quem cogit, *involuntarium contrarie* tale causat. Nam « Violentia *directe opponitur* voluntario; sicut etiam et naturali. Commune est enim voluntario et naturali, quod utrumque sit a principio intrinseco. Et propter hoc, sicut in rebus, quae

cognitione carent, violentia aliquid facit contra naturam, ita in rebus cognoscentibus facit aliquid esse contra voluntatem. Quod autem est contra naturam dicitur esse innaturale; et similiter quod est *contra voluntatem* dicitur esse *involuntarium*. Unde violentia involuntarium causat, » S. Th. 1. 2. q. 6. a. 5.; violentia *simpliciter* involuntarium *simpliciter*, violentia *secundum quid* involuntarium *secundum quid;* haud quidem quantum ad actus elicitos, sed quantum ad actus imperatos. Nam quantum ad actus imperatos tantum, et non etiam quantum ad actus elicitos, voluntas violentiam pati potest. S. Th. 1. 2. q. 6. a. 5. ad 1.

12. Quare, quando *passio* aliqua est *simpliciter violenta*, quia nempe irresistibilis est eius illata vis, et quis omni quo potest modo voluntate resistit, et repugnat, ea est *simpliciter* et *contrarie involuntaria*, adeoque non humana, neque imputabilis. Quando vero est tantum *secundum quid violenta*, quia nempe insuperabilis omnino non erat, et pro viribus quis sua voluntate non resistit et repugnat, tunc non tollitur ratio voluntarii, adeoque actus humani et imputabilis, sed tantum minuitur pro maiori vel minori vi illata, pro maiori vel minori resistentia et repugnantia. S. Alph. l. 5. n. 18.

COMMENTARIUS NONUS

DE MORALITATE HUMANORUM ACTUUM

1. Diximus de actibus humanis relate ad hominem, qui per ipsos ad ultimum humanae vitae finem, seu beatitudinem, sese ordinat. Dicendum nunc est de iisdem actibus in ordine ad praedictum finem ; seu de eorumdem actuum moralitate. Ordo enim humanorum actuum *ad finem communem totius humanae vitae*, ordinem moralem, seu moralitatem humanorum actuum constituit, ut mox explicabitur, S. Th. 1. 2. q. 21. a. 2. ad 2. Primum autem dicendum generatim est de ipsa moralitate, et speciatim de morali bonitate et malitia humanorum actuum. Deinde vero dicemus de variis fontibus huius moralitatis in humanis actibus. Idque distinctis Commentariis praestabimus.

2. Actus humani considerari possunt aut *generice* omnes, aut *specifice* hi vel illi. Si *generice* considerantur *qua actus humani sunt, capaces sunt conducendi hominem ad finem,* ad ultimum nempe finem, in cuius possessione felicitas et beatitudo ac plena eius perfectio constituitur. Per eos enim homo seipsum in finem *ordinat* et *ducit.* S. Th. 1. 2. q. 1. a. 1. 2., q. 7. a. 2. Si *specifice* hi vel illi, *qua tales actus sunt*, inspiciantur, *actu sunt ordinantes et ducentes, vel non, ad finem*, prout fini conformes sunt, vel non. Et sic. e. g. cognitio Dei, amor Dei hominem, natura sua, ad finem ordinant et ducunt; igno-

rantia Dei, odium Dei hominem, natura sua, a fine avertunt et removent.

3. Si actus humani, primo modo, generatim spectentur, *morales* vocantur. Si, secundo modo, considerentur in particulari specie constituti, *boni* vel *mali moraliter*, *honesti vel turpes* nuncupantur. « *Bonum* et *malum* ait S. Th. q. 18. a 5., diversificant *speciem* in actibus *moralibus* ». *Moralitas* ergo constituit *genus; bonitas* vel *malitia speciem.* Consideremus primo rationem utriusque *appellationis;* deinde vero ad *rem* ipsam declarandam, via a nomine rei ad rem indicata, deveniemus.

4. Ratio prioris appellationis est, quia actus humani, quibus homo ad finem se agit, actus liberi sunt, nimirum sunt reipsa actus illi ex quorum iteratione gignuntur proprie *habitus,* qui a latinis *mores* dicuntur. Mos enim frequentem et saepius iteratum modum operandi significat ex libera voluntatis determinatione provenientem. S. Th. 1 .2. q. 58. a. 1. Ad *habitus* sane et *mores* maxime pertinet liberum. S. Th. 1. 2. q. 49. a. 4. « Ibi incipit *genus moris,* ubi primo dominium voluntatis invenitur ». S. Th. 2. D. 24. q. 3. a. 2. Atqui optime dicuntur *morales* actus, a quibus gignuntur *habitus* seu *mores.* Insuper, cum huiusmodi actus humani seu liberi illa media sint, quibus homo instructus est, ut possit tendere ad finem, ut nempe illis non una tantum vel altera vice utatur, attenta hominis natura, sed ut in illis sese exerceat, et in bene agendo perseveret usque ad extremum vitae, S. Th. 1. 2. q. 5. a. 7.; hinc optime etiam totus hic ordo humanarum actionum ad finem *ordo moralis* dicitur. « Et quia, ait S. Th. 1. 2. q. 1. a. 3., Ambrosius dicit.... *mores proprie dicuntur humani,* actus *morales* proprie *speciem* sortiuntur *ex fine:* nam idem sunt actus *morales* et actus *humani* ».

5. Reale discrimen non est inter *actum humanum* et *moralem.* Discrimen est tantum ex ratione diversa, qua actus humanus consideratur. Si enim spectetur secundum suum esse physicum, quatenus est actus procedens ex ratione et libera voluntate, *actus humanus* habetur. Si vero spectetur, secundum habitudinem quam habet ad sui normam, unde est eius bonitas et malitia in ordine ad finem consequendum, *actus moralis* est. Quare *moralitas* supra *voluntarium* et *liberum* addit habitudinem ad honestatis normam.

6. Ad rationem progredimur alterius appellationis, actus nempe *moraliter boni vel mali, honesti vel turpis.* Iam vero, si actus humani seu *morales,* fini ultimo obtinendo conformes sint, nihil tunc ipsis deest, non solum quatenus *actiones physicae* sunt, factae cum advertentia et deliberatione; sed etiam quatenus *medium* sunt *ad finem* consequendum, a natura institutum. Contra vero, si ad finem non ducant, licet nihil ipsis desit, quatenus *actiones physicae* sunt, factae

cum advertentia et deliberatione, aliquid tamen illis deest, quatenus *medium* sunt *ad finem.* Atqui illud, cui considerato sub aliquo respectu nihil deest, *bonum* dicitur sub illo respectu; *malum* vero, si aliquid deest, sub eodem respectu: hic autem respectus seu ordo actuum humanorum ad finem, ut iam dictum est, *ordo* seu *respectus moralis dicitur.* Ergo humani actus, si specifice spectentur, recte *boni* vel *mali moraliter* appellantur. « Sic igitur dicendum est, ait S. Th. 1. 2. q. 18. a. 1., quod omnis actio in quantum habet aliquid de esse, in tantum habet de *bonitate,* in quantum vero deficit ei aliquid de plenitudine essendi, quae debetur actioni humanae, in tantum deficit a *bonitate,* et *sic* dicitur *mala* ». Et 1. 2. q. 18. a. 5. « Unicuique rei est *bonum,* quod convenit ei secundum suam formam; et *malum* quod est ei praeter ordinem suae formae.... Unde manifestum est, quod *bonum* et *malum* diversificant *speciem* in actibus *moralibus:* differentiae enim per se diversificant *speciem* ».

7. Insuper *laudare* aliquem est illi imputare, seu illi ut auctori tribuere bonitatem sui actus, ut *vituperare* aliquem, est imputare illi malitiam sui actus: quare actus imputabiles sunt *ad laudem* vel *vituperium,* prout *boni* sunt vel *mali.* Atqui si bonitas vel malitia, qua actus imputatur alicui ad laudem vel vituperium est in *ordine morali,* tunc actus, qui imputatur ad laudem dicitur *honestus* ex honorari, qui ad vituperium *turpis,* ex vituperari. « Ex hoc, ait S. Th. q. 21. a. 2., dicitur actus culpabilis vel laudabilis quod imputatur agenti. Nihil enim est aliud laudari vel culpari, quam imputari alicui malitiam vel bonitatem sui actus. Tunc enim actus imputatur agenti, quando est in potestate ipsius, ita quod habeat dominium sui actus. Hoc autem est in omnibus actibus voluntariis: quia per voluntatem homo dominium sui actus habet... Unde relinquitur quod *bonum* vel *malum* in solis actibus voluntariis constituit rationem *laudis* vel *culpae* ».

8. Atque hinc patet quod *honestum* dupliciter summi potest: 1.° prout contradistinguitur ab *utili* et *delectabili;* 2.° prout contradistinguitur a *turpi.* Primo modo significat bonum, quod appetitur *per se;* bonum ordinatum ad finem dicitur *utile,* q. 7. a. 2., q. 8. a. 3.; dicitur *delectabile* quatenus sui possessione appetitum quietat et delectationem affert, S. Th. 2. 2. q. 145. a. 3. Altero modo significat actionem, quae praeter entitatem humanae actionis habet etiam rationem medii ad finem, hoc est actionem, quae non solum est facta cum advertentia et deliberatione, sed quae est facta conformiter ad finem, quae consequenter rectae rationi consentanea est, et homini qua homo est conveniens, et decorem afferens: « Dicitur aliquid *honestum,* in quantum habet quendam decorem ex ordinatione rationis ». S. Th. 2. 2. q. 145. a. 3. Hinc *bonum morale* esse potest tum bonum *honestum,* tum bonum *utile,* tum bonum *delectabile;* quando nempe

humanus actus circa haec bona versetur, secundum rectae rationis ordinem, secundum quod hominem ad finem ducere possunt. S. Th. 2. 2. q. 145. a. 1. 2. 3. Cf. Comm. decim. n. 7.

9. Ad rem ipsam devenientes notamus primo, communiter Doctores per *moralitatem* intelligere habitudinem humanorum actuum ad propriam normam et regulam, secundum quam ordinantur et diriguntur. Opinionum diversitas potius in hac norma et regula determinanda sita est. Et sic etiam communiter, genere pro specie sumpto, actus distinguuntur *morales* et *immorales*, ad designandos actus humanos rectos, et actus voluntarios a propria rectitudine deficientes. Porro, aliorum omissis discrepantibus opinionibus, et insistendo in doctrina Angelici Doctoris, moralitas *generice* considerata, secundum suum primarium et fundamentalem conceptum, definiri potest: capacitas quam habent in se actiones humanae, ut bonae aut malae sint in ordine ad finem creationis, i. e. ut conformes seu convenientes sint, vel non, huic fini assequendo. *Specifice* vero est ratio conformitatis vel difformitatis, quam *in se* habent humanae actiones in ordine ad finem creationis, tamquam media ad finem; quatenus nempe convenientes sint vel disconvenientes, ut hominem ducant, vel non, ad suum finem. Dicitur secundum *suum primarium* et *fundamentalem conceptum;* nam *proxime* et *formaliter* ista conformitas seu convenientia, difformitas sive disconvenientia non est nisi *a lege*, quae per *rectam rationem* manifestatur. Eo ipso enim quod lex aliquid faciendum vel omittendum praecipit illud formaliter et proxime constituit in ratione medii in ordine ad finem assequendum, obligationem in conscientia pariens usus talis medii. Unde recte S. Alph. ait: « Bonitas moralis actus humani consistit in quadam conformitate et convenientia actus liberi cum recta ratione, et lege ». Tr. de Act. hum. XXXIV. Tunc enim *recta ratio* est, quando actum proponit ordinatum ad debitum hominis finem, quod esse non potest, si actus a praedicto fine discordet, si legi contrarietur. Lex autem haec, lex aeterna est, a qua omnis alia lex derivatur, et in qua fundatur. Cf. S. Th. qq. 18. 19. 20.; Suarez. Tr. 3. D. 1. D. 2. S. 1. 2., D. 3. S. 2. 3., D. 7. S. 1.-6., D. 10. D. 11.

10. Et sane si moralitas habitudo est humanorum actuum ad propriam normam et regulam, secundum quam ordinantur et diriguntur, haec norma omnium humanorum actuum primaria et fundamentalis alia esse non potest nisi finis totius humanae vitae. Actus enim essentialiter ad finem ordinantur et diriguntur, et omnes humani actus, ut ordinati et recti sint, essentialiter ad finem communem totius humanae vitae dirigi debent. Ex A. D. 1. 2. passim, ad finem dirigi debent et ordinari omnes humanae actiones, 1. 2. q. 5. a. 7., finis obiectum proprium et praecipuum est voluntatis, q. 8. a. 2., *a fine*

principaliter *specificantur* actus humani et morales, q. 87. a. 6. ad 2. A fine ergo repetenda est primaria et fundamentalis ratio moralitatis. Praeterea per *moralitatem* actuum humanorum hoc etiam communiter intelligitur, ratio nempe *rectitudinis* vel *non rectitudinis* eorumdem humanorum actuum; et cum actus humani media sint ad finem, *finis* regula et mensura est illius rectitudinis vel non rectitudinis. Per *moralitatem* iterum hoc quoque intelligitur, quod actus sint *secundum rationem vel praeter rationem:* porro *ratio* hoc manifestat et hoc dictat sequendum in humanis actibus, finem nempe assequendum per actus illi congruentes et conformes. Per *moralem* autem *bonitatem* vel *malitiam* hoc communiter intelligitur, quod actus humani sint *ordinati* vel *non ordinati* ad illum *finem;* sint *secundum rectam rationem*, ad finem proprios actus *ordinantem*, vel *praeter hanc rectam rationem.* Hinc bonitas actuum est in quantum sunt utiles ad finem, q. 7. a. 2. ad 1. a. 4. ad 2.; et consequenter ab illo fine, et ab obiecto ad illum finem ordinato vel non, actus humanus constituitur *in specie* actus moraliter *boni*, moraliter *mali.*

11. Cum homo sub Deo sit, mens hominis sub Deo est ordinanda, et alia omnia, quae sunt in homine, sunt sub eius ratione ordinanda. S. Th. C. Gent. l. 3. C. 229. Tunc utique humani actus rite ordinati, prout ipsa hominis exigit natura, *recti* erunt, et *recta* erit *ratio* eos proponens et ad eos dirigens. Porro cuiuslibet rei rectitudo ab eius propria natura et proprio fine repetitur, qui rebus omnibus ab ipso Deo inditus est, secundum propriam determinatam cuiuslibet rei naturam. Humanus actus ergo, qui in se hunc ipsius naturae ordinem non servat, uti rectam non sequitur rationem, praedictum ordinem proponentem, eumque servari debere manifestantem, ita consequenter naturaliter actus disconveniens erit, et ad Deum naturae conditorem ordinari ab homine non poterit. Actus e contrario qui *naturalem ordinem* prae se fert, quem *recta* etiam ostendit *ratio*, ad Deum naturae conditorem intrinsece ordinatur, cum ipsi naturae conveniens sit, et consequenter poterit ab homine in suo humano actu *recta ratione* ad Deum referri.

12. Humani actus ergo rectitudo seu aberratio nonnisi ab eius convenientia vel disconvenientia cum ultimo fine est, quae intrinsece in eo non habetur nisi ex convenientia vel disconvenientia cum ipsa natura rationali. « Non potest, ait S. Th. 2. D. 40. q. 1. a. 5., esse aliquis actus procedens ab aliquo deliberante sine intentione finis. Finis autem ille est bonum conveniens homini vel secundum animam, vel secundum corpus, vel secundum res exteriores ». Corpus ad animam ordinatur, res exteriores ad utrumque. Et ideo si usus corporis et rerum exteriorum contrarius non sit bono animae, et medius sit inter excessum et defectum erit *usus rectus*, secus erit *usus vitiosus.*

S. Th. l. c. Prior ille *usus rei naturae* respondens ad Deum naturae creatorem et ultimum finem ex se refertur, posterior vero usus naturali rerum ordini contrarius ex se ad Deum referri non potest. Unde est quod ille rectus et bonus, iste aberrans et malus moraliter est. Huiusmodi rerum ordinem ratio apprehendens et proponens uti practice servandum in propris actibus illa *recta ratio* est, de qua S. Alphonsus n. 9. Quare ultima moralitatis ratio in hac habitudine est humanarum actionum ad ultimum hominis finem seu Deum, quae in ipsis intrinsece promanat ex ipsa rerum natura, circa quas illae humanae actiones versantur.

13. Angelicus Doctor explicite de hac re docet: « Actiones humanae, 1. 2. q. 18. a. 4..... habent rationem bonitatis *ex fine*... quasi *secundum habitudinem ad bonitatis causam* », ad primariam nempe et fundamentalem bonitatis causam, cum sit prima causa. « Differentia specifica, quae est *ex fine*, est *magis generalis:* et differentia, quae *ex obiecto* per se *ad talem finem* ordinato, est specifica respectu eius » q. 18. a. 7. Porro omnia obiecta ad finem ultimum sunt *per se* ordinata. Moralitatis ergo specificatio ex ultimo fine primaria et fundamentalis est. Et ib. ad 2.: « Dicendum, quod *finis* est postremum in executione, sed est primum in intentione rationis, *secundum quam accipiuntur moralium actuum species* »; et consequenter species *boni* et species *mali*. Et ib. a. 5. ad 1., q. 18. a. 8.: « *Bonum* in quantum est *secundum rationem*, et *malum* in quantum est *praeter rationem* diversificant *speciem moris* ». « Unde si obiectum actus includat aliquid, quod conveniat *ordini rationis*, erit actus *bonus* secundum suam speciem... Si autem includit aliquid, quod repugnet ordini rationis erit malus actus secundum speciem ». Bonum autem est *secundum rationem* et malum *praeter rationem*, ut q. 18. a. 5. in c. dicitur, in quantum est *ei conveniens vel non conveniens*. Porro *rationi* convenit vel non convenit obiectum, in quantum fini respondet vel non: et hoc idem est convenire vel non convenire *ordini rationis*. « Cum enim *rationis sit ordinare;* actus a ratione deliberativa procedens, *si non sit ad debitum finem ordinatus ex hoc ipso repugnat rationi,* et habet rationem mali. *Si vero ordinatur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis:* unde habet rationem boni ». Quapropter a fine est etiam repetenda tota rationis rectitudo. « In his quae sunt ad finem, rectitudo rationis consistit in conformitate ad appetitum finis debiti: sed tamen et ipse appetitus finis praesupponit rectam apprehensionem de fine, quae est per rationem, » q. 19. a. 3. ad 2. « *In moralibus ordinatur* ratio *ad finem communem totius humanae vitae*..... Cum autem *peccatum* sit *per deviationem ab ordine ad finem..... in moralibus,* ubi attenditur *ordo rationis ad finem communem humanae vitae, semper peccatum et malum* attenditur *per deviationem ab ordine rationis ad*

finem communem humanae vitae », q. 21. a 2. ad 2. Si *deviatio* humani actus a fine ultimo desumenda est, ab eodem desumenda est humani actus *rectitudo*. Et sic A. D. 1. 2. q. 5. a. 7. ait: « *Rectitudo voluntatis*..... nihil aliud est, nisi, quam *debitus ordo voluntatis ad ultimum finem* ». Tandem « *bonitas*, ait S. D., voluntatis dependet *ex intentione finis*. *Finis* autem *ultimus* voluntatis humanae est summum bonum, quod est Deus. *Requiritur* ergo *ad bonitatem humanae voluntatis, quod ordinetur ad summum bonum.* » 1. 2. q. 19. a. 9. Cf. etiam. ib. a. 10. Satis ergo superque constat *moralitatem* generatim humanorum actuum, eorumque *bonitatem et malitiam* moralem, secundum *primarium et fundamentalem* conceptum, in *habitudine* esse reponendam eorundem actuum ad finem humanae vitae, in habitudine *convenientiae* vel *disconvenientiae*. « Non est autem *recta* voluntas alicuius hominis volentis aliquod bonum particulare, nisi referat illud in bonum commune, sicut *in finem:* cum etiam naturalis appetitus cuiuslibet partis ordinetur in bonum commune totius. *Ex fine* autem sumitur quasi *formalis ratio* volendi illud, quod ad finem ordinatur: unde ad hoc quod aliquis recta voluntate velit aliquod particulare bonum, oportet quod illud particulare bonum sit volitum materialiter: bonum autem commune divinum sit volitum formaliter. » 1. 2. q. 19. a. 10.

14. Homo, a Deo procedens, ad Deum ultimo tendere debet. Plures in se habens facultates superiores et inferiores, ita ipse agere debet, ut superiores inferioribus dominentur, et non ratio et voluntas sensibus subdatur. In humana autem vivens societate, hominum consortio pacifice uti debet. Ut autem ea, quae a Deo sunt, ordinata sunt, ita Deus, omnia creans propter suam gloriam, ordinem servandum necessario iubet, et vetat violari. Huiusmodi ordinis servandi et non violandi praescriptio, seu lex, ac consequens obligatio moralitatem *proxime* et *formaliter* constituit humanorum actuum. Hunc autem homines praescriptum a Deo ordinem servando, suum a Deo consequuntur finem; illum violando a suo fine longe aberrantes ab eodem Deo ne finem consequantur repelluntur. Ad hunc ergo praescriptum ordinem servandum homines tenentur non tantum mera necessitate finis, sed necessitate etiam Deo praecipienti obsequendi, in qua proxime et formaliter moralitas et moralis obligatio proprie consistit. Nam moralitas importat proprie conformitatem vel difformitatem cum propria morum regula, quae profecto Dei ratio et voluntas seu aeterna Dei lex est; neque alia esse potest. Cum enim humana ratio et voluntas in suo esse et operari a Deo dependeat, norma humanos actus dirigens ad ipsum Deum, ultimum hominis finem, ipsa Dei ratio et voluntas, et non alia, esse debet. Atque inde consequitur et clare apparet moralis obligatio, quae in hoc consistit, quod non possit homo Dei legem trasgredi, quin Deum offendat.

15. Quod autem ex eodem A. D. illa *moralitas*, et *bonitas* ac *malitia moralis*, *proxime* et *formaliter* a lege aeterna sit desumenda sic patet ex 1. 2. q. 19. a. 4., ubi simul ostendit, quomodo illa *moralitas, bonitas ac malitia moralis* a ratione etiam proficiscatur: « Dicendum, ait, quod in omnibus causis ordinatis, effectus plus dependeat a causa prima quam a causa secunda; quia causa secunda non agit nisi in virtute primae causae. Quod autem ratio humana sit regula voluntatis humanae, ex qua eius bonitas mensuratur, habet ex lege aeterna, quae est ratio divina. Unde in Ps. 4. dicitur: *Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine:* quasi diceret: *lumen rationis, quod in nobis est, in tantum potest nobis ostendere bona, et nostram voluntatem regulare, in quantum est lumen vultus tui*; i. e. *a vultu tuo derivatum.* Unde manifestum est, quod multo magis dependet *bonitas* voluntatis humanae *a lege* aeterna, quam a ratione humana ». Idem constat ex. a. 9.: « Illud quod est primum in unoquoque genere est mensura et ratio omnium, quae sunt illius generis. Unumquodque autem rectum et bonum est, in quantum attingit ad propriam mensuram. Ergo ad hoc quod voluntas hominis sit bona requiritur quod conformetur voluntati divina ».

16. Prima ergo bonae voluntatis humanae regula et mensura est divina voluntas. Non tenetur quidem humana voluntas, ut recta sit conformari divinae voluntati *in volito materiali*, seu in re ipsa volita, *nisi Dei voluntas praecepto vel prohibitione innotescat.* Res enim a Deo volita, sub ratione boni communis, ad quod Deus attendit, tamquam provisor universalis, est bona, quae tamen sub ratione boni particularis, ad quod homo debet attendere, et ad quod Deus vult ut attendat, potest esse mala. Unde Aug. in Enchir. C. 101. n. 26. ait: « Aliquando bona votuntate homo vult aliquid, quod Deus non vult.... Tamquam, si bonus filius patrem velit vivere, quem Deus bona voluntate vult mori ». *Voluntas autem Dei praecipiens aut prohibens*, hominem obligat ad volendum et agendum quod praecipitur, ad nolendum et non agendum quod prohibetur. Quare tenetur tunc humana voluntas divinae voluntati in re volita, seu *in volito materiali*, conformari. Iamvero licet humana voluntas non teneatur *conformari semper in volito materiali divinae voluntatis*, ut recta sit, *tenetur tamen semper conformari divinae voluntati in volito formali*, seu in ratione volendi; adeoque debet velle quodcumque vult propter bonum commune et divinum, *ut ultimum finem.* Etenim volitum formale divinae voluntatis, seu eius motivum et ultima ratio volendi, est bonum commune et divinum, seu bonum commune totius universi, prout ultimate ordinatur ad ipsum Deum et eius gloriam: omnia enim propter seipsum fecit Dominus. Appetendo vero bonum honestum, virtualiter, implicite, appetit voluntas

bonum divinum ; cum rerum omnium fines *ad ultimum* tandem *finem* ordinentur et dirigantur.

17. Haec A. D. cit. q. 19. a. 10: « *Bonum totius universi* est id quod est apprehensum a Deo, qui est universi factor et gubernator. Unde quidquid vult, vult sub ratione *boni communis, quod est sua bonitas, quae est bonum totius universi... Non est* autem *recta voluntas* alicuius hominis volentis aliquod bonum particulare, *nisi referat illud in bonum commune sicut in finem ;* cum etiam naturalis appetitus cuiuslibet partis ordinetur in bonum commune totius. Ex fine autem sumitur quasi formalis ratio volendi illud quod ad finem ordinatur. Unde ad hoc quod aliquis *recta voluntate* velit aliquod particulare bonum, oportet quod illud particulare bonum sit volitum materialiter, bonum autem commune divinum sit volitum formaliter. Voluntas igitur humana tenetur conformari divinae voluntati *in volito formaliter ;* tenetur enim velle bonum divinum et commune, sed non *materialiter*.... Apprehensio enim creaturae secundum suam naturam est alicuius boni particularis proportionati suae naturae. Contingit autem aliquid esse bonum secundum rationem particularem, quod non est bonum secundum rationem universalem, aut e converso. Et inde contingit quod aliqua voluntas est bona volens aliquid secundum rationem particularem consideratum, quod tamen Deus non vult secundum rationem universalem et e converso..... Volitum divinum vero secundum rationem communem quale sit scire possumus ; scimus enim quod Deus quidquid vult, vult sub ratione boni. Et ideo quicumque vult aliquid sub quacumque ratione boni, habet voluntatem conformem voluntati divinae, quantum ad rationem voliti. Sed in particulari nescimus quid Deus velit ; et quantum ad hoc non tenemur conformare voluntatem nostram divinae voluntati ». Tripliciter autem potest nobis innotescere divina voluntas, scilicet per revelationem, per praeceptum, per operationem. Hoc ipso enim quod Deus aliquid revelet, vel praecipiat, vel operetur manifestum est idipsum velle. Atque hinc patet moralitatem proxime in conformitate vel difformitate nostrae voluntatis cum divina voluntate et lege consistere, remote vero in conformitate vel difformitate nostrarum actionum cum ultimo fine.

18. Idque etiam ex ipsa ratione legis aeternae evincitur, a qua certe proxime moralitas est repetenda. Etenim « lex importat ordinem ad finem active, in quantum scilicet per eam ordinantur aliqua in finem ; non autem passive, id est quod ipsa lex ordinetur ad finem, nisi per accidens in gubernante, cuius finis est extra ipsum, ad quem etiam necesse est, ut lex eius ordinetur. Sed finis divinae gubernationis est ipse Deus ; nec eius lex est aliud ab ipso ; unde lex aeterna non ordinatur ad alium finem ». S. Th. 1. 2. q. 91. a. 1. ad 3.

19. Confirmatur statuta doctrina ex necessitate, quam Angelicus

Doctor asserit legis divinae positivae praeter legem aeternam et naturalem, 1. 2. q. 91. a. 4. Per hanc homo non dirigitur nisi in ultimum finem naturalem. Nam per legem naturalem participatur lex aeterna secundum proportionem capacitatis humanae naturae. Et ideo superadditur lex divinitus data, per quam lex aeterna participatur altiori modo, ut altiori modo homo dirigatur in ultimum finem supernaturalem. Etenim « *per legem dirigitur* homo ad actus proprios *in ordine ad ultimum finem*. Et si quidem homo ordinaretur tantum ad finem, qui non excederet proportionem naturalis facultatis hominis, non oporteret quod homo haberet aliquid directivum ex parte rationis supra legem naturalem et legem humanitus positam, quae ab ea derivatur. Sed quia homo ordinatur ad finem beatitudinis aeternae, quae excedit proportionem naturalis facultatis humanae, ideo necessarium fuit, ut supra legem naturalem et humanam dirigeretur etiam ad suum finem lege divinitus data ». Ut autem homo per ipsam naturam ordinatur ad Deum, ita etiam homo per legem ad Deum ordinatur. S. Th. C. Gent. l. 3. C. 128. par. *Item*.

19. Cum lex aeterna sit nobis ignota, secundum quod est in mente divina ; innotescat tamen nobis per naturalem rationem ; hinc et ipsa ratio regula et norma est humanorum actuum, et quidem *proxima*, utpote proponens immediate voluntati bonum vel malum secundum legem aeternam. Verum ista regula proxima, est subiectiva, *mere proponens* obiectum; lex regula proxima *obiectiva* est, rectitudinem constituens, cuius fundamentum ipsa rerum natura est, quae ab humana ratione independens omnino est. Humana ratio ordinem mere cognoscit, applicat, proponit, non constituit. Suarez in 1. 2. Tr. 3. D. 2. S. 2. n. 12. Enimvero rerum finis et ordo mediorum ad finem non humana ratione efficitur, sed ex ipsa natura constitutus ab humana ratione apprehenditur et manifestatur, hinc cum hominis propria natura ratio sit, quae in veritatem ordinatur, id quod rectae rationi repugnat dicitur ab Angelico Doctore contra naturam, non quia repugnat rationi, quasi ipsa sit naturalis ordinis constitutiva, sed quia repugnat, rationi rectitudinem manifestanti, quae recta ratio hominis natura est. S. Th. QQ. de Malo q. 14. a. 2. ad 8. « Et ideo id quod est contra ordinem rationis, proprie est contra naturam hominis, in quantum est homo; quod autem est secundum rationem est secundum naturam hominis, in quantum est homo ». S. Th. 1. 2. q. 71. a. 2. Si ratio non proponeret id quod in se rectum est, sed faceret, iam huiusmodi operandi rectitudo a rationis arbitrio penderet, et nihil amplius fixum certumque esset, in humanarum actionum bonitate vel malitia morali. In illis, quae ipsa natura non sunt definita et ordinata, potest utique humana ratio ordinem constituere, quod in positivis legibus contingit; nihil tamen *contra rerum naturam et legem aeternam Dei recte fieri*

potest. Ratio ergo rerum rectitudinem apprehendit et servandam proponit. Et sic S. Th. 1. 2. q. 18. a. 5. ait: « Dicuntur autem aliqui actus humani vel morales, secundum quod sunt a ratione. » Et q. 19. a. 1. ad 3.: « Dicendum quod bonum per rationem repraesentatur voluntati ut obiectum: et, in quantum cadit sub ordine rationis, pertinet ad genus moris, et causat bonitatem moralem in actu voluntatis. Ratio enim principium est humanorum et moralium actuum. »

20. Ad rectam autem rationem pertinet omnia in debitum finem ordinare. Ordinatio autem haec alia est, qua homo relate ad ipsum finem *immediate* bene disponatur, quod praestant, virtutes theologicae, alia est, qua bene ad praedictum finem *mediate* disponatur, scilicet bene disponatur relate ad ea, quibus ad illum finem dirigitur, quod praestant virtutes morales. S. Th. De Virtutibus in communi a. 12., 1. 2. q. 61. a. 2. Cum vero recta ratio non apprehendat neque proponat nisi rerum a Deo ordinem constitutum et praeceptum, hinc, « eiusdem rationis est, quod vitium et peccatum sint contra ordinem rationis humanae, et quod sint contra legem Dei aeternam. » S. Th. 1. 2. q. 71. a. 2. ad 4.

21. Quod de *lege aeterna* dicitur, de qualibet alia lege intelligendum est; cum quaelibet lex sit ordinatio rationis, ordinem et rectitudinem constituens, humanorum actuum ad finem; neque vero omnes humani actus ipsa lege aeterna vel praecipiuntur vel prohibentur. Unde plures humani actus non nisi positiva lege praecipiuntur vel prohibentur; et sic constituuntur proxime et formaliter in ratione necessarii medii ad finem. Ac ipsa lex aeterna huiusmodi legibus praecipit obediendum esse. Omnes insuper leges « in quantum participant de ratione recta in tantum derivantur a lege aeterna ». S. Th. 1. 2. q. 93. a. 3. Ab hac enim derivantur tanquam a causa exemplari, quia omnes leges, ut sint iustae debent esse conformes legi aeternae, tamquam a causa efficiente, quia omnis potestas legislativa est a Deo, tanquam ab universaliore lege, approbante et praecipiente, ut propter commune bonum aliae determinatae fiant leges pro diversitate personarum, locorum, temporum, aliarumque circumstantiarum. S. Th. l. c. ad 2. ad 3.

22. Remota et fundamentalis moralitatis norma, nempe ultimus hominis finis, *omnes* humanos actus complectitur; secus regula iam remota et fundamentalis moralitatis non esset. Ratio patet, quia *omnes* humani actus *media* sunt ad finem totius humanae vitae. Non omnes tamen eandem *habitudinem* habent ad hunc *finem*, ut iam ex dictis patet: alii enim sunt *per se* ordinati, nempe intrinseca *natura sua* ordinati ad hunc *finem*, sive immediate, sive mediate, ut. e. g. Dei cognitio et amor, amor proximi, iustitia erga alios servanda, etc., et isti actus dicuntur intrinsece *boni*, et quia *boni* sunt, nempe intime

et necessario rationis ordini consoni, ideo praecipiuntur deinde *a naturali lege*. Alii e contrario *per se* repugnant, seu intrinseca natura sua dissoni sunt communi humanae vitae *fini*, sive iterum immediate sive mediate, ut e. g. blasphemia, periurium, sacrilegium, furtum, etc., et isti actus dicuntur intrinsece *mali*, et quia *mali* sunt, nempe intime et necessario rationis ordini dissoni, ideo prohibentur deinde *a naturali lege*. Alii tandem actus sunt, qui per se, seu intrinseca natura sua, cum praedicto *fine* et consequenter cum rationis ordine *necessario connexi* non sunt, ut e. g. cum amico conversari, rusticatum ire, etc., et isti actus dicuntur intrinsece indifferentes; quare *necessitate finis assequendi* isti actus neque necessario poni debent, neque necessario debent omitti: sed, si sponte quis illos ponere velit, eos profecto ita exercere debet, ipsa necessitate finis assequendi, ut a fine non abscedat, sed ad finem semper tendat, cum ob hanc rationem dederit homini ipsa natura facultatem libere agendi, ut per liberam actionem se ipsum ducat in finem. Unde eo ipso quod actus, actus nempe *in concreto*, fini non repugnat, iam fini aliquo saltem modo consonus est, et moraliter bonus. S. Th. 2. Dist. 40. q. 1. a. 5. Atque hinc rursus patet quid *ordo et rectitudo rationis* significat, nempe importat proportionem medii ad finem, quam ratio non facit, sed cognoscit et proponit voluntati. Et sic A. D. bonum morale dicit quod convenit ordini rationis, bonum item honestum quod convenit rectitudini rationis, 1. 2. q. 18. a. 8., q. 39. a 2.

23. Regula item proxima et formalis, nempe lex, omnes etiam humanos actus complectitur: siquidem alios praecipit, alios prohibet; quos autem neque praecipit neque prohibet, sed permittit sive positive sive negative, ita ex eadem lege praecipiente, praestandi sunt, ut rationis ordini et rectitudini non repugnent; et sic huiusmodi actus sunt eo ipso moraliter boni, siquidem si in ipsis efficiendis rationis ordo servetur, iam rationi convenientes sunt et moraliter boni ac honesti.

24. Si regula fundamentalis comparetur cum regula proxima obiectiva et subiectiva; patet, quod revera *finis*, eo ipso quod est fundamentum moralitatis seu *rectitudinis* actus ad ipsum ordinati et directi, *regula* proprie non est, sed est mere *finis* seu *terminus* illius actus, cuius *ordo* ad praedictum finem seu terminum, secundum aliquam *regulam* mensurari debet, quae quidem est lex et humana ratio; et si lex humanae rationi comparetur illa est regula remota haec est regula proxima. « Dicendum, ait S. Th. q. 21. a. 1., quod *malum* in plus est quam *peccatum*; sicut et *bonum* in plus est quam *rectum*. *Quaelibet* enim *privatio boni* in quocumque constituit rationem *mali*; sed *peccatum* proprie consistit in actu, qui agitur *propter finem aliquem, cum non habeat debitum ordinem ad finem illum*. Debitus autem

ordo *secundum aliquam regulam mensuratur*, quae quidem regula in his, quae *secundum naturam* agunt, est ipsa virtus naturae, quae inclinat in talem finem. Quando ergo actus procedit a virtute naturali secundum naturalem inclinationem in finem, tunc servatur rectitudo in actu, quia medium non exit ab extremis, scilicet actus ab ordine activi principii ad finem; quando autem a rectitudine tali actus aliquis recedit, tunc incidit ratio peccati. In his vero, quae aguntur *per voluntatem*, regula proxima est *ratio humana*, regula autem suprema est *lex aeterna*. Quandocumque ergo actus hominis procedit *in finem secundum ordinem rationis et legis aeternae* tunc actus est rectus; quando autem ab hac rectitudine obliquatur, tunc dicitur peccatum. Manifestum est autem, quod omnis actus voluntarius est *malus* per hoc quod recedit *ab ordine rationis et legis aeternae*. Unde sequitur quod actus humanus ex hoc quod est bonus vel malus habet rationem vel rectitudinis vel peccati.... Dicendum quod duplex est finis, scilicet ultimus et propinquus. In peccato autem naturae deficit quidem actus a fine ultimo, qui est perfectio generati; non autem deficit a quocumque fine proximo, operatur enim natura aliquid formando. Similiter in peccato voluntatis semper est defectus ab ultimo fine intento; quia nullus actus voluntatis malus est ordinabilis ad beatitudinem, quae est ultimus finis; licet non deficiat ab aliquo fine proximo, quem voluntas intendit et consequitur. Unde etiam cum ipsa intentio huius finis ordinetur ad finem ultimum, in ipsa intentione huiusmodi finis potest inveniri ratio rectitudinis et peccati ».

25. Ex exposita moralitatis natura facile deducitur honestum omnino esse agere propter finem, spe remunerationis, vel poenarum metu; cum omnis humana actio, ut bona moraliter sit, ad ultimum hominis finem tendere debeat, et ad illum hominem conducere. Praemium et poena, quae ab ipso Deo Legislatore proponuntur, ut homines moveat ad suae legi obediendum, et ita aeternam consequantur felicitatem, aptissima media sunt ad finem consequendum: adeoque contra rectam rationis ordinem non est, sed e contra secundum rectam rationem est agere ex motivo praedictae spei vel ex timore praefatarum poenarum. Qui enim praedicto motivo operatur, nonnisi verum hominis bonum vult et malum refugit; siquidem aeterna felicitas maximum hominis bonum est, aeterna damnatio maximum malum est. — Neque vero inordinatio haberetur in tali operatione ex eo quod tunc homo Deum ad se ordinaret. Etenim quando bonum, cuius acquirendi gratia homo operatur, est particulare quoddam bonum, secundarium omnino et sibi prorsus accidentale, tunc utique finis *cuius* seu cuius adipiscendi gratia voluntas operatur secundarius est, et finis *cui* seu subiectum ac persona *cui* bonum illud amatur et quaeritur, principaliorem induit rationem finis, quia eius perfectio sim-

pliciter magis intenditur. At vero quando bonum illud *cuius* acquirendi gratia homo operatur, seu quod sibi amat, est maximum ac summum bonum respectu eius cui amatur, ut est Deus respectu hominis, tunc illud bonum est praecipuum etiam in ratione finis, quia ille est simpliciter finis ultimus, et non potest recte ad alium ordinari ut ad finem. Quare, quando homo sibi amat hoc bonum, non ordinat illud ad se ut ad finem, sed potius amat coniungi illi bono ut bono et ultimo fini suo, adeoque non ordinat Deum ad se, sed potius se ad Deum ut ad finem ultimum, scilicet ad Deum se ordinat non ut medium, sed ut subiectum quod huiusmodi finem consequi potest.

26. Ex declarata moralitatis natura, et origine seu fonte, consequitur praeterea non omnem humanum actum suam desumere rectitudinem vel perversitatem ex positiva lege. Antecedenter enim ad omnem legem actus quidam sunt *naturaliter recti,* alii *naturaliter perversi.* « Hoc, ait S. Th. C. Gent. l. 3. C. 129., *naturalis ordo* requirit, quod inferiora superioribus subdantur. Sunt igitur ea quae divina lege praecipiuntur *secundum se naturaliter recta* ». Atque ex hac omnino ratione est quod homo ipsa naturali ratione in naturalia prorumpat moralia principia propriarum operationum. Quae quidem principia circa ea sunt, quae sunt *naturaliter* homini *convenientia* et *secundum se recta,* et non solum, quia lege sunt constituta. S. Th. l. c. Haec *naturalis rectitudo* ex ipsa hominis natura est, et ideo verissime naturalis est. « Quorumcumque, ait S. Th. l. c., est natura determinata, oportet esse operationes determinatas, quae illi naturae conveniant; propria enim operatio uniuscuiusque naturam ipsius sequitur. Constat autem hominis naturam esse determinatam. Oportet igitur operationes esse aliquas *secundum se homini convenientes* ». Hinc facile est plura determinare, quae homini *naturaliter conveniunt*, tum in ordine ad seipsum, tum in ordine ad res exteriores, tum in ordine ad alios homines, tum in ordine ad Deum, *quae secundum se recta sunt.* Pergit S. Th. l. c.: « Secundum *naturalem ordinem* corpus hominis est propter animam, et inferiores vires animae propter rationem, sicut etiam in aliis rebus materia est propter formam, et instrumenta propter principalem agentem. Ex eo autem quod est ad aliud ordinatum, debetur ei auxilium provenire, non autem aliquod impedimentum. Est igitur *naturale rectum* quod sic procuretur ab homine corpus et inferiores vires animae, ut ex hoc et actus rationis et bonum ipsius minime impediatur, magis autem iuvetur. Si autem secus accideret, erit *naturaliter peccatum.* Vinolentiae igitur et comessationes, et inordinatus venereorum usus, per quae actus rationis impeditur et subditur passionibus, quae liberum iudicium rationis esse non sinunt, sunt *naturaliter mala....* Homo praeterea *naturaliter* hoc habet quod utatur rebus inferioribus ad suae vitae necessitatem. Est autem

aliqua mensura determinata, secundum quam usus praedictarum rerum humanae vitae est conveniens, quae quidem mensura, si praetermittatur, fit homini nocivum, sicut apparet in sumptione inordinata ciborum. Sunt igitur aliqui actus humani *naturaliter convenientes*, et aliqui *naturaliter inconvenientes*.... Est autem homini *naturale* quod sit sociale. Quod ex hoc ostenditur, quia unus homo solus non sufficit ad omnia, quae sunt humanae vitae necessaria. Ea igitur, sine quibus societas humana conservari non potest, sunt homini *naturaliter convenientia*. Huiusmodi sunt unicuique quod suum est conservare et ab iniuriis abstinere. Sunt igitur aliqua in humanis actibus *naturaliter recta*.... Denique unicuique *naturaliter conveniunt* ea quibus tendit in suum finem naturalem; quae autem e contrario se habent sunt *naturaliter inconvenientia*. Homo *naturaliter* ordinatur in Deum, sicut in finem. Ea igitur, quibus homo inducitur in cognitionem et amorem Dei, sunt *naturaliter recta:* quae autem e contrario, sunt *naturaliter homini mala*. Patet igitur quod *bonum et malum in humanis actibus non solum sunt secundum legis positionem, sed secundum naturalem ordinem*. Hinc est quod in Ps. 18., 10. dicitur quod *iudicia Dei* sunt *vera et iustificata in semetipsis*. Per hoc autem excluditur positio dicentium quod iusta et recta sunt secundum legem posita »; scilicet sunt in humanis actibus aliqua recta *secundum naturam*, et non solum quasi lege posita, ut in titulo Capitis habetur.

27. An moralitas seu moralis bonitas vel malitia in interiori tantum voluntatis actu reperiatur, an etiam in actu exteriori? — Duplex in exteriori actu distingui potest bonitas seu malitia moralis. Primo enim considerari potest bonitas vel malitia moralis *obiectiva* actus exterioris, quam actus ille ex se habet, nempe ex proprio obiecto et circumstantiis, quibus obiective afficitur; secundum rectum rationis ordinem. Huiusmodi bonitas seu malitia, quam habet actus exterior secundum se propter debitam vel indebitam materiam et debitas vel indebitas circumstantias, a ratione derivatur, prout nempe rectitudinem rationis vel deviationem a recto rationis ordine illud obiectum illaeque circumstantiae exhibent. Haec obiectiva bonitas seu malitia actus exterioris prior est quam bonitas seu malitia actus voluntatis. Et sic actus exterior est *obiectum* voluntatis, in quantum proponitur voluntati a ratione, ut quoddam bonum apprehensum et ordinatum per rationem, vel ut ab hoc ordine desciscens; et bonitatem seu malitiam moralem in voluntate causat. Secundo considerari potest in actu exteriori bonitas vel malitia moralis, in ordine ad finem, secundum quod iste exterior actus substat interiori actui voluntatis. Finis enim proprium voluntatis obiectum est. Et sic ratio boni vel mali, quam habet actus exterior ex ordine ad finem per prius invenitur in actu voluntatis, et ex eo derivatur ad actum exteriorem. Itemque in

quantum exterior actus consistit in executione operis, est effectus voluntatis, et sequitur voluntatem. Voluntas tunc comparatur ad actum exteriorem, sicut causa efficiens, unde bonitas vel malitia moralis actus voluntatis est forma exterioris actus sicut in causa agente existens. S. Th. 1. 2. q. 20. a. 1. Quare « bonitas finis ex voluntate redundat in actum exteriorem, et bonitas materiae et circumstantiarum redundat in actum voluntatis ». S. Th. 1. 2. q. 20. a. 3.

28. Bonitas ergo vel malitia moralis exterioris actus considerari potest in ordine intentionis, ut mere volita, ut *obiectum,* et in ordine executionis, quatenus praedictus actus a voluntate *imperetur,* ut executio vel effectus. Primo modo bonitas vel malitia actus exterioris bonitatem vel malitiam tribuit moralem actui interiori voluntatis, ut obiectum illum specificans. Bonitas igitur et malitia, quae est in illo obiective transfunditur in actum formaliter, ita ut obiectum nihil habet obiective quod non sit in actu formaliter. Ergo actus exterior ut *obiectum* non habet aliquam bonitatem vel malitiam distinctam a bonitate vel malitia actus interioris, cum sit utrinque eadem, cum hac differentia quod sit obiective in actu exteriori, ut in obiecto et motivo voluntatis, et in actu interiori formaliter, ut in subiecto. Secundo modo actus exterior suam habet bonitatem vel malitiam moralem ab actu voluntatis, a quo habet quod voluntarius sit et humanus. Actus exterior, praecise ut executio vel effectus actus interioris, nullam habet bonitatem vel malitiam moralem intrinsecam, sed est bonus vel malus extrinsece, denominative tantum a bonitate vel malitia actus interioris. « Sicut a sano, quod est in animali, derivatur sanum ad medicinam et urinam....; hoc modo a bonitate voluntatis derivatur bonitas actus exterioris ». S. Th. 1. 2. q. 20. a. 3. ad 3. Manifesta ratio est, quia *formalis moralitas* sita est in praecognita et libere volita conformitate cum fine et lege, seu cum regula morum, quae voluntatis libera volitio nonnisi in interiore est ipsius voluntatis actu.

29. Iam vero actus exterior et interior voluntatis prout considerantur in genere moris sunt unus *actus humanus,* S. Th. q. 20. a. 3. Si ita adaequate consideratur *humanus actus, formalis* bonitas vel malitia moralis *actus humani* solum est intrinsece in interiori actu voluntatis, in exterioribus vero solum per denominationem tantum extrinsecam. Moralitas enim *humani actus formaliter* inspecta non reperitur nisi in actu *libero*, libertas autem formaliter nonnisi in voluntate est. Item formalis moralis bonitas ex ordine ad finem est. « Cum autem finis sit proprium obiectum voluntatis manifestum est, quod ista ratio boni vel mali, quam habet actus exterior ex ordine ad finem per prius invenitur in actu voluntatis, et ex eo derivatur in actum exteriorem ». S. Th. q. 20. a. 1. Unde patet, quod in exteriori actu huiusmodi moralis bonitas, quae est *secundum ordinem ad*

finem tota dependet a voluntate. S. Th. ib. a. 2. Illa vero « bonitas actus exterioris, quam habet ex materia et circumstantiis, est alia a bonitate, quae est ex fine: non autem alia a bonitate voluntatis, quam habet ex ipso actu volito, sed comparatur ad ipsam ut ratio et causa eius ». S. Th. l. c. a. 4. ad 2. Confirmatur; « nam quantumvis actus exterior ex se bonus et conformis videatur rationi, si tamen a malo interno actu seu prava intentione et electione imperetur, non est bonus, quatenus actus humanus est. Ergo signum est *in ratione actus humani* solum esse bonum per denominationem ab interiori actu. Simile argumentum est, quia actus exterior praecise et per se sumptus non addit homini formalem bonitatem moralem, nec reddit illum magis studiosum, si enim intelligamus aliquem existimantem, se posse exequi exteriorem actum virtutis, habere efficacem voluntatem exercendi talem actum, is rectus est et studiosus, sive possit revera exequi sive non possit, quia virtus non pendet ex facultate, quae nobis invitis deesse potest, sed ex voluntate, supposito quod voluntas aequalis sit... Doctrina haec de actibus externis eodem modo procedit in actibus intellectus et appetitus sensitivi ». Suarez D. 10. S. 1.; Becanus Tr. 1. C. 6.

30. Hinc alia exurgit quaestio: an actus externus moralitatem aliquo modo addat actui interno. — « Dicendum est primum, actum exteriorem *per se* non ferre augmentum bonitatis vel malitiae, si caetera sint paria, in actu interiori: ita D. Th. 1. 2. q. 20. a. 4..... quia actus exterior non habet bonitatem distinctam ab interiori, et necessario sequitur ex illo, si est in nostra facultate, si autem non est in nostra facultate non minuit bonitatem voluntatis.... Secundo dicendum est, actionem externam interdum esse necessariam ad bonitatem voluntatis, vel ad talem bonitatem, hoc intendit etiam D. Th. illo a. 4.; nam quando est in potestate hominis exequi actionem externam, non potest habere interiorem voluntatem perfectam, nisi exteriorem actionem exequatur, quia actus exterior est terminus et finis interioris, et quia voluntas absolute perfecta est quae operatur cum potest.... Tertio dicendum, per accidens exteriorem actum posse augere bonitatem, vel malitiam simpliciter. Ita D. Th. supra cit., et patet facile. Nam 1.° propter exteriorem actum saepe homo magis durat et perseverat in interiori, imo etiam saepe multiplicat interiores actus, et hoc modo moraliter peius est occidere. 2.° Quia ipsa exterior actio et accendit affectum, et ita facit ad actum interiorem, quo modo vocalis oratio conferre solet ad interiorem devotionem. 3.° Sunt utiles actiones externae ad moderandas passiones et habituandum corpus, ut facilius iustitiae deserviat.... Addendum est etiam esse actus externos bonos utiles ad affectum satisfactionis pro poena temporali debita pro peccato, quia satisfactio non tantum sumitur ex bonitate, sed maxime ex poenalitate actus: actus autem exterior per se affert

propriam poenam et dolorem. Denique addendum est exteriores actus esse necessarios ad aliquos effectus gratiae, qui vel ex opere operato, vel ex speciali privilegio conferuntur; ut sunt effectus sacramentorum et effectus martyrii, et si qui alii sunt similes, quia, cum hi effectus non pendeant ex sola mente operantis, promissi sunt exercenti tale opus non solum in affectu sed etiam in effectu: et eodem modo e contrario actus mali externi, vel etiam effectus eorum sunt necessarii ad incurrendas aliquas poenas vel censuras, quae per solum interiorem actum non incurruntur ». Suarez D. 10., S. 2.; Becanus l. c. Hinc actus exterior non addit bonitatem vel malitiam actus interioris, sed eam quasi extendit et consummat, vel potius ostendit perfectionem actus interioris. Agitur, uti patet, de actu interiori *per se efficaci*. Nam, si actus interior *per se inefficax* est, ut e. g. velle peragere totum bonum possibile, vel totum malum possibile, non contrahit quis eandem bonitatem vel malitiam, ac si omne possibile bonum vel malum exsequeretur. Cf. Comment. 4. n. 7. 8.

31. Haec idem S. Th. cit. q. 20. a. 4.: « Dicendum, quod si loquamur de bonitate exterioris actus, quam habet *ex bonitate finis*, tunc actus exterior nihil addit ad bonitatem, nisi contingat ipsam voluntatem secundum se fieri meliorem in bonis, vel peiorem in malis. Quod quidem videtur posse contingere tripliciter: uno modo *secundum numerum*, puta cum aliquis vult aliquid facere bono fine vel malo, et tunc quidem non facit, postmodum autem vult et facit; duplicatur actus voluntatis, et sic fit duplex bonum vel duplex malum. Alio modo *quantum ad extensionem:* puta cum aliquis vult facere aliquid bono fine vel malo, et propter aliquod impedimentum desistit; alius autem continuat motum voluntatis, quousque opus perficiat, manifestum est quod huiusmodi voluntas est diuturnior in bono vel malo; et secundum hoc est peior vel melior. Tertio *secundum intensionem;* sunt enim quidam actus exteriores, qui in quantum sunt delectabiles vel poenosi nati sunt intendere voluntatem vel remittere. Constat autem, quod quanto voluntas intensius tendit in bonum vel malum, tanto est melior vel peior. Si autem loquamur de bonitate actus exterioris, quam habet *secundum materiam et debitas circumstantias*, sic comparatur ad voluntatem ut terminus et finis, et *hoc modo* addit ad bonitatem vel malitiam voluntatis: quia omnis inclinatio vel motus perficitur in hoc quod consequitur finem vel attingit terminum. Unde non est perfecta voluntas, nisi sit talis, quae opportunitate operetur. Si vero possibilitas desit, voluntate existente perfecta, ut operaretur si posset, defectus perfectionis, quae est ex actu exteriori, est simpliciter involuntarius. Involuntarium autem sicut non meretur poenam vel praemium in operando bonum aut malum, ita non tollit aliquid de praemio vel de poena, si homo involuntarie simpliciter deficiat ad faciendum

bonum vel malum ». Hic agitur de bonitate et malitia actuum respectu praemii vel poenae *essentialis*, nam actus exterior *addit ad praemium accidentale,* ut inquit idem A. D. 2. Dist. 40. a. 3. Cf. 1. 2. q. 13. a. 5. ad 1.

32. Et eadem q. 20. a. 5. loquens A. D. de eventu sequenti, « utrum huiusmodi eventus aliquid addat de bonitate vel malitia ad exteriorem actum, » respondet: « Dicendum quod eventus sequens aut est praecogitatus (*praevisus* nempe et *intentus* sive directe sive indirecte, q. 73. a. 8. ad 1.), aut non. Si est praecogitatus manifestum est, quod addit ad bonitatem vel malitiam. Cum enim aliquis cogitans, quod ex opere suo multa mala possunt sequi, nec propter hoc dimittit; ex hoc apparet *voluntas* eius *magis inordinata.* Si autem eventus sequens non sit praecogitatus, tunc distinguendum est, quia si per se sequitur ex tali actu, et ut in pluribus, secundum hoc eventus sequens addit ad bonitatem, vel malitiam actus. Manifestum est enim meliorem actum esse ex suo genere, ex quo possunt plura bona sequi; et peiorem, ex quo nata sunt plura mala sequi. Si vero per accidens, et ut in paucioribus, tunc eventus sequens non addit ad bonitatem vel malitiam actus. Non enim datur iudicium de re aliqua secundum illud quod est per accidens, sed solum secundum illud, quod est per se ». Effectus *per accidens* sequens, bonitatem et malitiam non addit actui interiori, nisi sit intentus, vel nisi sit saltem aliquo modo praevisus, et quis possit et debeat illum impedire. Effectus solus *per se* sequens, etiamsi non sit intentus nec praevisus bonitatem et malitiam addit actui interiori, vel potius signum est perfectionis illius; quia quod per se sequitur actum est virtualiter et implicite volitum.

33. Quaestio etiam movetur: utrum idem actus exterior possit esse bonus et malus? — « Dicendum, quod nihil prohibet aliquid esse unum, secundum quod est in uno genere, et esse multiplex secundum quod refertur ad aliud genus... Et secundum hoc nihil prohibet aliquem actum esse unum secundum quod refertur ad genus naturae, qui non est unus secundum quod refertur ad genus moris... Ambulatio enim continua est unus actus secundum genus naturae, potest tamen contingere quod sint plures secundum genus moris, si mutetur ambulantis voluntas, quae est principium actuum moralium. Si ergo accipiatur unus actus prout est in genere moris, impossibile est, quod sit bonus et malus bonitate et malitia morali; et tamen si sit unus unitate naturae et non unitate moris, potest esse bonus et malus ». S. Th. 1. 2. q. 20. a. 6.

34. De passionibus autem in particulari quaeritur: « Utrum bonum et malum morale possit in passionibus animae inveniri? — Dicendum, quod passiones animae dupliciter possunt considerari: uno modo,

secundum se ; alio modo, secundum quod subiacent imperio rationis et voluntatis. Si igitur secundum se considerentur, prout scilicet sunt motus quidam irrationalis appetitus ; sic non est in eis bonum vel malum morale, quod dependet a ratione, ut supra dictum est, q. 19. a. 3. Si autem considerentur secundum quod subiacent imperio rationis et voluntatis, sic est in eis bonum vel malum morale. Propinquior enim est appetitus sensitivus ipsi rationi et voluntati quam membra exteriora ; quorum tamen motus et actus sunt boni vel mali moraliter, secundum quod sunt voluntarii ; unde multo magis et ipsae passiones, secundum quod sunt voluntariae possunt dici bonae vel malae moraliter. Dicuntur autem voluntariae, vel ex eo quod a voluntate imperantur, vel ex eo quod a voluntate non prohibentur », S. Th. 1. 2. q. 24. a 1., cum nempe possint et debeant prohiberi. Non oportet ergo quod passiones semper declinent ab ordine naturalis rationis. In quantum sunt praeter ordinem rationis, inclinant ad peccatum ; in quantum sunt ordinatae a ratione, pertinent ad virtutem, S. Th. ib. a. 2. Hinc idem A. D. art. 3. ait : « Si passiones simpliciter nominemus omnes motus appetitus sensitivi (et non solum motus inordinatos), sic ad perfectionem humani boni pertinet, quod etiam ipsae passiones sint moderatae per rationem. Cum enim bonum hominis consistat in ratione, sicut in radice, tanto istud bonum erit perfectius, quanto ad plura, quae homini conveniunt, derivari potest. Unde nullus dubitat, quin ad perfectionem moralis boni pertineat, quod actus exteriorum membrorum per rationis regulam dirigantur. Unde cum appetitus sensitivus possit obedire rationi, ut supra dictum est, q. 17. a. 7., ad perfectionem moralis sive humani boni pertinet, quod etiam ipsae passiones animae sint regulatae per rationem. Sicut igitur melius est quod homo et velit bonum, et faciat exteriori actu ; ita etiam ad perfectionem boni moralis pertinet, quod homo ad bonum moveatur, non solum secundum voluntatem, sed etiam secundum appetitum sensitivum, secundum illud quod Ps. 83. 8. dicitur, *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum*, ut *cor* accipiamus pro appetitu intellectivo, *carnem* autem pro appetitu sensitivo ». Quare ut exteriores actus ita passiones dupliciter considerari possunt, uno modo secundum quod sunt in genere naturae, et sic bonum vel malum morale non pertinet ad speciem actus vel passionis. Alio modo secundum quod referuntur ad genus moris, prout scilicet participant aliquid de voluntario et de iudicio rationis ; et hoc modo bonum et malum morale pertinet ad speciem actus vel passionis. Iam vero sicut de exterioribus actibus dictum est, quod sunt secundum se boni vel mali ex obiecto, et quod sunt boni vel mali ex fine ; ita de passionibus dicendum est. Ac ut sunt exteriores actus boni vel mali vel indifferentes ex obiecto,

quia aliquid prae se ferunt rationi consonum vel dissonum, vel neutraliter se habens, ut orare Deum et subvenire pauperi, furtum et adulterium, ambulare et loqui: ita pari modo passiones sunt quaedam rationi consonae, et quaedam dissonae, et quaedam neutrae, ut misericordia et verecundia, quae est timor rei turpis, invidia, quae est tristitia de bono alterius, ira, quae ordinatae vel inordinatae vindictae appetitus esse potest. Itemque ut sunt actus exteriores boni vel mali moraliter ex fine voluntatis, ita etiam passiones, ut cum quis ex rationis iudicio eligit affici aliqua passione, ut promptius, cooperante appetitu sensitivo, bene vel male operetur. Et sic passio addit ad bonitatem vel malitiam moralem actus. S. Th. 1. 2. q. 24. a. 4. a. 3. ad 1. — Cf. Opusc. *de Essentia boni malique moralis* Augusti Ferretti, qui de essentia moralitatis adversus hodiernos errores egregie scripsit.

COMMENTARIUS DECIMUS

DE MORALI BONITATE ET MALITIA ACTUUM HUMANORUM

1. Actus humani seu *morales*, ut iam in praec. Comm. dictum est, in duas *species* dividuntur, alii enim sunt moraliter *boni*, alii moraliter *mali*. Etenim differentiae, *per se* tales, diversificant speciem. Bonum et malum, utpote id quod est secundum naturam vel contra naturam, secundum nempe convenientiam vel exigentiam naturae, vel contra hanc convenientiam et exigentiam, differentiae sunt *per se*, et consequenter *species* constituunt diversas. Unicuique enim rei est bonum, quod convenit ei secundum suam formam; et malum, quod est ei praeter ordinem suae formae. Unde malum definitur communiter privatio formae debitae. Quare, quemadmodum *in rebus naturalibus bonum* et *malum*, quod est *secundum* naturam et *contra* naturam, diversificant *speciem naturae*, corpus enim mortuum et corpus vivum non sunt eiusdem speciei, similiter *in moralibus bonum* in quantum est *secundum* rationem, et *malum* in quantum est *contra* rationem *speciem moris* diversificant: siquidem actus dicuntur *morales* in quantum a ratione sunt: ratio principium est moralium actuum. S. Th. 1. 2. q. 18. a. 5., q. 19. a. 1. ad 3. — Confirmatur: « bonum et malum sunt *per se* differentiae actus voluntatis. Nam *bonum* et *malum per se* ad voluntatem pertinet, sicut *verum* et *falsum* ad rationem, cuius actus *per se* distinguuntur *veri* et *falsi*, prout dicimus opinionem esse veram, vel falsam. Unde voluntas *bona* et *mala* sunt actus differentes *secundum speciem* ». S. Th. 1. 2. q. 19. a. 1. Enimvero differentia *speciei* in actibus est secundum obiecta. Etenim omnis actus speciem habet a suo obiecto; unde oportet, quod aliqua differentia obiecti faciat diversitatem speciei in actibus. Haec autem illa est, quae *per*

se et non *per accidens* est, respectu facultatis unde actus procedit: quia nihil quod est *per accidens* constituit speciem, sed solum quod est *per se*. Et sic cognitio *soni* et *coloris* respectu intellectus non differunt *per se*, neque consequenter actus sunt specie diversi: sed differunt *per se* respectu sensus, et consequenter per comparationem ad sensum actus sunt specie diversi. Differentiae autem boni et mali sunt differentiae *per se* per comparationem ad voluntatem; nam *bonum*, quod est obiectum voluntatis *proprium*, est quod est conveniens rationali voluntati, malum, quod rationali voluntati disconvenit; quod nempe convenit voluntati secundum rationem, vel ei secundum rationem disconvenit. « Bonum hominis est secundum rationem esse, malum autem quod est praeter rationem ». S. Th. 1. 2. q. 18. a. 5., q. 19. a. 1.

2. Questio hic movetur, utrum dentur actus humani *indifferentes*, i. e. qui neque *boni* moraliter, neque *mali* moraliter sint, neque honesti neque turpes. — Si actus humani considerentur *in abstracto*, seu secundum *suam speciem*, quam intrinsece habent a proprio obiecto, praecisione facta a fine et a circumstantiis determinantibus, tunc actus profecto dantur indifferentes, qui nempe ex specie sua neque *mali* neque *boni* sint, sicut homo secundum se, seu secundum suam speciem neque virtuosus neque vitiosus est. Et ratio est, quia omne obiectum aliquam habet bonitatem vel malitiam saltem naturalem; non tamen semper importat bonitatem vel malitiam moralem, quae consideratur per comparationem ad rationem, ad ordinem nempe rationis. Non omne enim obiectum actus humani includit aliquid pertinens ad hunc rationis ordinem: non omnes quidem actiones sunt per se necessario connexae cum ultimo fine, neque omnes praecipiuntur a lege, aut prohibentur a lege, sed plures mere permittuntur, sicut ambulare, ire ad campum, levare festucam de terra, et huiusmodi. Tales ergo actus secundum speciem suam sunt indifferentes. S. Th. 1. 2. q. 18. a. 8. — Si vero actus humani *in individuo*, seu concrete considerentur, prout nempe et a particularibus circumstantiis et a fine determinentur, Scotistae affirmant dari actus indifferentes *in individuo*. Ratio est, quia nulla certa lex iubet dirigere eos in ultimum humanae vitae finem, nempe Deum, neque semper agere ex altiori motivo honestatis et virtutis; sed attenta humana fragilitate et infirmitate, Deus ipse permittit, ut homo agat ex hac ipsa infirmitate et fragilitate propter necessitatem et commodum ipsius naturae, ut e. g. lautius aliquando comedere, convivia instituere, recreari aspectu coeli, campi, etc. Ergo hae et aliae similes actiones exerceri possunt ex fine mere indifferenti. Thomistae e contrario negant dari actus indifferentes *in individuo*, et verius. Atque haec profecto est A. D. sententia. Ratio est, quia aut quis facit rem necessariam, utilem, convenientem naturae ra-

tionali, nempe animae, corpori, rebus ipsis exterioribus, quae ad utrumque ordinantur, aut rem facit inutilem prorsus et otiosam. Si primum, actio haec tendit ad finem naturaliter bonum, et bona est. Si secundum, rem facit naturae rationali disconvenientem, utpote saltem superfluam: ratio enim dictat non multiplicanda entia sine necessitate, aut utilitate, aut convenientia aliqua. S. Th. 1. 2. q. 18. a. 9. par. *Sed contra,* 2. D. 40. q. 1. a. 5. Praeterea, cum rationis hoc proprium sit, humanos actus, qui ex deliberatione fiunt, dirigere et ordinare ad debitum finem; aut humanus actus est reapse ad debitum finem ordinatus, et habet rationem *boni;* aut non est ad debitum finem ordinatus, et tunc ex hoc ipso *rectae rationi* repugnat, et habet rationem *mali.* S. Th. q. 18. a. 9.; Suarez D. 9. S. 3. Atque ex adducta ratione luculenter patet, actus illos indifferentes Scotistarum tales revera non esse, sed esse moraliter honestos; si enim fiant propter necessitatem, utilitatem, convenientiam, secundum ordinem rationis sunt, et consequenter moraliter honesti. Neque vero necesse est alium extrinsecum honestum finem intendere, praeter finem huiusmodi actibus intrinsecum, uti honeste quis agat. Enimvero et lautius aliquando comedere et convivia instituere, et animo ac corpore recreari, actus secundum rationem sunt, si intra debitos limites haec contineantur. Sunt ergo isti actus revera facti ex motivo honestatis et virtutis, licet fiant ex naturali fragilitate, necessitate, utilitate convenientia: siquidem in hoc est honestas et virtus, quod rectitudo rationis servetur. Sunt praeterea etiam ad Deum ordinati, saltem implicite, licet non explicite, ut mox magis explicabimus, siquidem, eo ipso quod secundum rationem sint et boni, ad Deum natura sua referuntur. S. Th. 1. 2. q. 18. a. 9. ad 3., q. 39. a. 2., 2. 2. q. 23. a. 3., q. 141. a. 6. ad 2., q. 145. a. 1. 2. 3., q. 168. a. 3. ad 3., S. q. 49. a. 2. ad 6., q. 169. a. 1. ad. 1., 2. D. 39. q. 3. a. 3. ad 6., D. 40. q. 1. a. 5., 4. D. 16. q. 2. a. 2. q. 1., C. G. l. 2. C. 29., de Caritate q. un. a. 7. ad 13. ad 14.; Suarez D. 4. S. 1. n. 12.

3. Quaestio alia hic exurgit: an ad moralem bonitatem actuum humanorum, necesse sit dirigere omnes actiones in gloriam Dei? — Communior et verior sententia affirmat. Ratio luculentissime patet ex dictis: siquidem omnis moralis actio, ut sit bona, necesse est, ut tendat in ultimum finem, et in eum a ratione ordinetur. Atqui, si humana actio ad ultimum finem tendit et ordinatur, iam ad Dei gloriam dirigitur. Ergo tam necessarium est actiones omnes dirigere ad Dei gloriam, quam necessarium est esse eas moraliter bonas. « Bonitas voluntatis dependet ex intentione finis: finis autem ultimus voluntatis humanae est summum bonum, quod est Deus. Requiritur ergo ad bonitatem humanae voluntatis, quod ordinetur ad summum bonum ». S. Th. 1. 2. q. 19. a. 9. « Totum quod homo est, et quod

potest et habet, ordinandum est ad Deum », S. Th. 1. 2. q. 22. a. 4. ad 3. Hinc satis est eas in Deum dirigere *virtualiter* ex parte operis, seu *actu ipso exercito,* agendo nempe ob finem alicuius virtutis, seu honestum, et naturae rationali consentaneum; talis enim actus ex intrinseca natura sua in Dei gloriam tendit. Ad rem S. Th. 1. 2. q. 8. a. 3. ad 2.: « Quandocumque quis vult ea, quae sunt ad finem, vult eodem actu finem: non tamen e converso ». Et q. 21. a. 4.: « Qui facit actum malum *non referibilem* in Deum, non servat honorem Dei, qui ultimo fini debetur ». Caietanus in eand. q. 8. a. 3. « semper appetens, ait, quod est ad finem, appetit finem, non *habitualiter,* sed *actualiter,* ut extendit se ad *actualiter* et *virtualiter.* Est enim *virtualiter,* uti aliquo infra latitudinem actualis usus: alioquin nunquam impleretur illud praeceptum; *Omnia in gloriam Dei facite:* facere enim actualiter operari importat ». Multo magis satis praeterea est actiones omnes in Deum dirigere *virtualiter* ex parte ipsius operantis, qui per caritatis actum totam vitam suam in Deum ordinavit, et in habituali manet caritate. Haec Caietanus in 1. 2. q. 8. a. 3.: « Inter motum voluntatis in aliquid *habitualiter* et *actualiter,* medium est motus voluntatis in illud *virtualiter*.... Cum enim habens caritatem peccat venialiter, habitualiter quidem diligit Deum, sed non actualiter, ut patet, nec virtualiter, quia peccatum *non est dirigibile in Deum.* Cum autem habens caritatem ambulat vel praedicat, et quidquid aliud *non malefacit,* quamvis de Deo non cogitet actualiter, actus tamen ille non solum talis virtutis est, sed caritatis, et voluntas tunc *virtualiter* fertur in Deum, et non solum *habitualiter,* quod convenit dormienti, et peccanti venialiter ».

4. Ex omnibus, quae hactenus dicta sunt, patet discrimen inter actum humanum *bonum* et *malum; rectum* et *peccaminosum; laudabilem* et *culpabilem.* — Actus humanus, ex eo quod *formam* sibi *convenientem habeat,* vel *forma* e contra sibi *convenienti careat,* ex eo nempe quod sit secundum ordinem rationis, vel praeter hunc ordinem, *bonus* vel *malus* est. Actus enim humanus dicitur secundum quod a ratione dirigente et ordinante est. « In actibus (humanis) bonum et malum dicitur per comparationem ad rationem; quia, ut Dionysius dicit, *bonum hominis est secundum rationem esse, malum autem quod est praeter rationem.* Unicuique enim rei est bonum, quod convenit ei secundum suam formam, et malum, quod est ei praeter ordinem suae formae. Patet ergo, quod differentia boni et mali circa obiectum considerata comparatur per se ad rationem, scilicet secundum quod obiectum est ei conveniens, vel non conveniens. Dicuntur autem aliqui actus humani vel morales, secundum quod sunt a ratione ». S. Th. 1. 2. q. 18. a. 5.

5. Porro huiusmodi ordo rationis est ordo legis aeternae, et

ordo humanorum actuum *in finem*. Et sic actus humanus bonus vel malus rationem habet *rectitudinis* et *peccati* secundum hunc ordinem ad legem et ad finem. « Quandocumque ergo actus hominis *procedit in finem* secundum ordinem rationis et legis aeternae, tunc actus est *rectus;* quando autem *ab hac rectitudine obliquatur,* tunc dicitur *peccatum*. Manifestum est autem ex praemissis, q. 19. a. 3. et 4., quod omnis actus voluntarius est malus per hoc quod recedit ab ordine rationis et legis aeternae, et omnis actus bonus concordat rationi et legi aeternae. Unde sequitur, quod actus humanus ex hoc quod est *bonus* vel *malus* habet rationem rectitudinis vel *peccati* ». S. Th. 1. 2. q. 21. a. 1. Quare *malum* communius est quam *peccatum, bonum* communius quam *rectum*.

6. Actus humanus *bonus* vel *malus*, secundum quod a voluntate libere procedit, rationem habet *laudabilis* vel *culpabilis*. Actus enim laudabilis, vel culpabilis, actus est agenti ad *laudem* vel *culpam* imputabilis; quod esse nequit, nisi agens sit illius actus auctor, seu causa illum in suo esse determinans. Unde patet, quod si peccatum sumitur pro qualicumque actus defectu, vel pro deviatione actus a fine, *peccatum* communius est quam *culpa*. Si vero peccatum non sensu mere obiectivo sumatur, sed subiective et moraliter, peccatum idem est ac culpa, et ita communiter sumitur a theologis. Hinc S. Th. inquit: « Dicendum quod sicut *malum* est in plus quam *peccatum,* ita *peccatum* est in plus quam *culpa*. Ex hoc enim dicitur actus culpabilis vel laudabilis, quod imputatur agenti; nihil enim est aliud laudari vel culpari quam imputari alicui malitiam vel bonitatem sui actus. Tunc autem actus imputatur agenti, quando est in potestate ipsius, ita quod habeat dominium sui actus. Hoc autem est in omnibus actibus voluntariis, quia per voluntatem homo dominium sui actus habet, ut ex supra dictis patet q. 1. a. 1. et 2. Unde relinquitur, quod *bonum* vel *malum* in solis actibus *voluntariis* constituit rationem *laudis* vel *culpae,* in quibus idem est *malum, peccatum* et culpa ». 1. 2. q. 21. a. 2.

7. Ex omnibus hactenus dictis patet etiam, quod *morale bonum* idem re est ac *honestum*. Nam *morale bonum* est, quod *secundum ordinem rationis* est; ac *honestum* dicitur, quod homini quatenus homo est convenit, et quod propter se appetitur *appetitu rationali*. S. Th. 2. 2. q. 145. a. 3. ad 1. Ratione tamen differunt. Nam *honestum* dicitur, in quantum habet quemdam decorem ex convenientia cum natura rationali et ex ordinatione rationis. S. Th. l. c. a. 3. Etenim *honestas* dicitur quasi *honoris status*. Unde ex hoc dicitur aliquid *honestum,* quod est honore dignum. Honor excellentiae debetur. Hominis autem excellentia secundum virtutem est, quae est dispositio quaedam alicuius convenienter se habentis secundum modum suae naturae, seu

dispositio perfecti ad optimum. S. Th. l. c. a. 1. et 1. 2. q. 71. a. 1. Insuper ad rationem decori sive pulchri concurrit et claritas et debita proportio. Unde pulchritudo corporis in hoc consistit, quod homo habeat membra corporis bene proportionata, cum quadam debita coloris claritate. Et similiter pulchritudo spiritualis in hoc consistit, quod conversatio hominis sive actio eius sit bene proportionata, secundum spiritualem rationis claritatem. Eaque hominem honore dignum reddit. S. Th. 2. 2. q. 145. a. 2. Gloria autem est effectus honoris. Ex hoc enim quod aliquis honoratur vel laudatur redditur clarus in oculis aliorum. Et ideo sicut idem est honorificum et gloriosum ; ita etiam idem est *honestum* et *decorum*. S. Th. l. c. a. 2. ad 2.

8. Ut *morale bonum* idem re est ac *honestum,* licet ratione distinguatur, ita *morale bonum* ac *honestum* idem re est ac *delectabile* et *utile,* licet ratione distinguantur. Illud enim quod est *morale bonum* ac *honestum*, seu secundum rationem ordinatum, est naturaliter conveniens homini. Unumquodque autem naturaliter delectatur in suo convenienti. Et ideo honestum est naturaliter homini delectabile. Non tamen omne delectabile est honestum, quia potest etiam aliquid conveniens esse secundum sensum, et non secundum rationem. Sed hoc delectabile est praeter hominis rationem, quae perficit naturam ipsius. Insuper ipsa etiam virtus, quae secundum se honesta est, refertur ad aliud sicut ad finem, scilicet ad felicitatem. « Et secundum hoc idem subiecto est *honestum* et *utile* et *delectabile*. Sed ratione differunt; nam *honestum* dicitur secundum quod aliquid habet quamdam excellentiam, dignam honore propter spiritualem pulchritudinem ; *delectabile* in quantum quietat appetitum ; *utile* autem in quantum refertur ad aliud. In plus tamen est delectabile quam utile et honestum; quia omne utile et honestum est aliqualiter delectabile, sed non convertitur ». S. Th. l. c. a. 3. Nihil autem « potest esse simpliciter et vere utile, quod repugnat honestati, quia oportet quod repugnet ultimo fini hominis, quod est bonum secundum rationem: quamvis possit forte esse utile secundum quid, respectu alicuius finis particularis ». S. Th. l. c. ad. 3. Unde patet, quod ut non omne delectabile pertingit ad rationem honesti, ita etiam non omne utile pertingit ad rationem honesti, sed illud tantum quod est delectabile et utile secundum rationem.

9. Quare *morale bonum* est semper *bonum honestum*. Nam bonum morale est bonum secundum rationem, et bonum honestum aliud non est quam bonum conveniens naturae rationali, adeoque secundum rationem. *Bonum* vero *morale* semper non est *bonum utile* et bonum *delectabile*, sed quando rectam rationis servant normam.

COMMENTARIUS UNDECIMUS
DE OBIECTO ACTUUM HUMANORUM

1. Ut iam dictum est, moralitas actuum humanorum, eorumque moralis bonitas vel malitia ex habitudine est ad ultimum humanae vitae finem et legem, ex convenientia vel disconvenientia cum eodem fine et lege. Porro ista habitudo, ista convenientia vel disconvenientia in humano actu ex triplici capite intrinsece exoriri potest, nempe ex eiusdem actus *obiecto, ex fine*, ex *circumstantiis*. Hinc communiter dici solet, obiectum, finem et circumstantias tres esse in humano actu moralitatis fontes, ac humanum actum ex hoc triplici capite desumere suam bonitatem vel malitiam moralem; particularem nempe specificam et individuam bonitatem vel malitiam: non omnes enim actus *boni* sunt in eadem specie, nec omnes actus *mali* in eadem pariter specie. Tum autem obiectum, tum circumstantiae, tum finis, ordinem et diversum ordine habere possunt ad ultimum hominis finem et legem. In hoc autem ordine humanorum actuum ad ultimum finem et legem moralitas consistit.

2. Per *obiectum* actus humani non intelligitur hic quidquid voluntati obiicitur: sic enim, et *finis*, et *circumstantiae* forent etiam eius obiectum: sed intelligitur res illa, quam quis immediate seu directe et per se vult. — Obiectum non consideratur hic *physice*, nempe prout est existens quaedam res. Circa *idem obiectum physice consideratum*, possunt versari actus morales *specie diversi*. Circa eamdem uxorem, e. g., possunt haberi actus coniugalis honestus, et actus adulterii turpis. Obiectum consideratur hic *moraliter*, nempe prout subest regulae morum, seu legi, praecipienti, prohibenti, permittenti. Et sic obiectum furti non est res aliena, praecise prout *res est*, sed quatenus recta ratio vetat, ne auferatur, invito domino. Hinc A. D. inquit 1. 2. q. 18. a. 8: « Actus humanus, qui dicitur moralis, habet speciem ab obiecto *relate ad principium actuum humanorum, quod est ratio* ». Et ib. a. 2. ad 1. « dicendum, ait, quod licet res exteriores sint *in seipsis* bonae, tamen non semper habent *debitam proportionem* ad hanc vel illam actionem ». Ac ib. a. 5. ad 3.: « Actus coniugalis et adulterium, secundum quod comparantur *ad rationem*, differunt *specie*; et habent *effectus specie differentes*; quia unum eorum meretur laudem et praemium, aliud vituperium et poenam. Sed secundum quod comparantur ad *potentiam generativam* non differunt *specie*. Et sic habent *unum effectum secundum speciem* ». Et q. 19. a. 2. ad 3.: « Dicendum, quod bonum per rationem repraesentatur voluntati, ut obiectum, et *in quantum cadit sub ordine rationis pertinet ad genus moris*,

et causat bonitatem moralem in actu voluntatis ». Cf. q. 18. a. 5., S. q. 41. a. 3. ad 5.

3. Actus humani ab obiecto primam et essentialem bonitatem aut malitiam moralem desumunt. — Ratio est, quia ex obiecto intrinsece specificantur actus. Ergo ut ab obiecto habent speciem, ita habent etiam bonitatem et malitiam. « Bonum et malum actionis, ait S. Th. 1. 2. q. 18. a. 2., sicut et caeterarum rerum, attenditur ex plenitudine essendi, vel defectu ipsius. Primum autem, quod ad plenitudinem essendi pertinere videtur, est id, quod dat rei speciem. Sicut autem res naturalis habet speciem ex sua forma ; ita actio habet speciem ex obiecto ; sicut et motus ex termino. Et ideo sicut prima bonitas rei naturalis attenditur ex sua forma, quae dat speciem ei, ita et prima bonitas actus moralis attenditur ex obiecto convenienti. Unde et a quibusdam vocatur *bonum ex genere,* puta uti re sua. Et sicut in rebus naturalibus primum malum est, si res generata non consequitur formam specificam ; puta si non generetur homo, sed aliquid loco hominis ; ita primum malum in actionibus moralibus est, quod est ex obiecto, sicut accipere aliena. Et dicitur malum *ex genere,* genere pro specie accepto, eo modo loquendi, quo dicimus *humanum genus* totam humanam speciem ». Et q. 18. a 5.: « Omnis actus speciem habet ex suo obiecto ». Ac q. 19. a. 1.: « Differentia autem speciei in actibus est secundum obiecta ». Itemque ib. a. 2.: « Bonitas voluntatis ex solo uno illo dependet, quod *per se* facit bonitatem in actu, scilicet *ex obiecto,* et non *ex circumstantiis,* quae sunt quaedam accidentia actus ». Primus enim moralitatis fons in humano actu eius obiectum est. Ex obiecto, quasi ex principio formali humanus actus habet suum esse, et primum quod in unaquaque re occurrit eius esse est.

4. Neque vero obiicere valet, primam et essentialem bonitatem moralem desumendam esse ex fine, qui primum omnis moralitatis fundamentum est, et quia omne obiectum volitum propter finem volitum est, et consequenter prius volitus est finis, quam obiectum. Etenim actus humanus respicit utique primo finem, sed finem operis qui est finis intrinsecus et coincidit cum ipso obiecto, quod conse, quenter ab eo intrinseco fine ad ultimum finem ordinatur, et humanum actum primo et essentialiter ordinat ad eundem ultimum finem.

5. Ut actus sit moraliter malus, sufficit quod malitia sit indirecte, virtualiter vel implicite volita in alio, cui est annexa. Ratio, quia aliter malitia intendi non potest. Nemo intendens malum operatur; sed malum quis non appetit, nisi ratione alicuius boni, quod in eo apprehendit. Sufficit ergo, quod quis appetat in re delectabilitatem, cui cognoscit malitiam esse annexam.

6. Verum, ut actus sit moraliter bonus, requiritur quod bonitas

sit formaliter et directe in se volita, saltem in actu exercito. Ratio, quia honestas in se appetibilis est. Ergo recta ratio dictat in se esse appetendam. Non autem necesse est, quod in actu signato intendat quis honestatem, sed sufficit quod quis intendat id quod videt esse honestum. Et sic non est necessarium, ut faciens eleemosynam intendat eius honestatem, sed sufficit quod velit miseriam proximi sublevare. « Malum contingit, ait S. Th. q. 19. a. 7. ad 3., ex singularibus defectibus, bonum autem ex tota et integra causa. Unde sive voluntas sit eius, quod est secundum se malum et sub ratione boni, sive sit boni sub ratione mali semper est mala. Sed ad hoc quod sit voluntas bona, requiritur quod sit boni sub ratione boni, id est quod velit bonum et propter bonum ».

7. An actus bonus sit, si obiectum sit bonum, sed malus finis? — R. Negative. Qui enim malo fine agit, licet velit bonum, illud tamen vult sub *ratione mali,* et ideo prout est volitum ab ipso est malum. Honestas tunc medii nullatenus revera appetitur ; sed appetitur tantum medium pravi finis assequendi. « Cum aliquis vult dare eleemosynam propter inanem gloriam, hic est unus actus voluntatis, et hic actus totus est malus, licet non ab omni eo quod in eo est malitiam habeat ». S. Th. 2. D. 38. q. 1. a. 4. ad 4., 1. 2. q. 19. a. 7. Ac S. Alph. ait: « Si obiectum sit bonum. finis vero operantis sit malus, actus humanus est *totus* malus ex malitia finis, quae destruit omnem bonitatem ». Tr. de Act. hum. n. XXXVIII.; Suarez D. 6. S. 1. 2., D. 8. S. 1. n. XIII.

8. An actus bonus sit, si obiectum sit malum, sed bonus finis? — R. Negative. Et sane Apostolus damnat dicentes: « Faciamus mala, ut eveniant bona ». Rom. 3., 8. Ratio autem est, quia intentio finis boni, utpote extrinseca ipsi obiecto volito, si hoc malum est, non impedit quominus quis *malum* reapse *velit.* Suarez D. 4., D. 8. S. 1. n. XX. seqq.

COMMENTARIUS DUODECIMUS

DE FINE ACTUUM HUMANORUM

1. Per *finem* hic proprie intelligitur id quod per talem vel talem actum agens ulterius intendit, tamquam ratio *propter quam* operatur. Hic est ille finis, qui dicitur *operantis.* « Dicendum, ait S. Th. 2. Dist. 36. q. un. a. 5. ad 5., quod actus aliquis habet duplicem finem, scilicet proximum finem, qui est obiectum eius, et remotum, quem agens intendit. » Si autem agens non intendit alium finem diversum ab ipso fine intrinseco actionis, quam facit, tunc *finis operantis* coincidit cum *fine operis,* ut apparet in illo, qui vult furari, ut furetur,

i. e. ut ex alieno ditescat. Finis *operis* ab operante excludi omnino non potest, si operis naturam ipse cognoscat, nam *operi* ille finis intrinsecus est. Iam vero *finis operantis* dupliciter considerari potest 1.° respectu *intentionis* voluntatis, h. e. respectu actus voluntatis, intendentis ipsum, 2.° respectu ipsius actus, *qui imperatur*, tamquam medium ad illum finem. Sub prima consideratione, finis est proprie voluntatis *obiectum*, imo praecipuum; cum finis sit, qui movet voluntatem ad media. Sub secunda consideratione finis est mera *circumstantia* actus imperati, et sic inter circumstantias solet annumerari. Ille, qui furatur e. g. ut committat adulterium, praecipue *vult* adulterium, hoc *intendit* et efficaciter procurat. Et ex hoc adulterio est principalis voluntatis malitia. Actus autem, ideo imperatus ab adulterii voluntate, nempe furtum e. g., substantialem malitiam sibi propriam habet a proprio obiecto, id est ab acceptione rei alienae, invito domino; quod autem referatur extrinsece ab operante ad talem vel talem finem, hoc ipsi accidentale omnino est, non ex propria natura, sed ex operantis arbitratu. Finis ergo qui est *actus* circumstantia, non est ipse finis *operis*, qui *dat speciem actui*, sed aliquis finis *adiunctus:* sicut quod fortis fortiter agat propter bonum fortitudinis non est *circumstantia;* sed si fortiter agat propter liberationem civitatis, vel propter Christum, vel aliquid huiusmodi. S. Th. 1. 2. q. 7. a. 3. ad. 3., q. 18. a. 6. ad 2.

2. Finis *operantis* alius esse potest primarius, alius secundarius. Primarius finis ille est, quem quis imprimis sibi proponit, et causa simpliciter actionis est. Finis secundarius ille est, qui accedit primario, et causa simpliciter actionis non est, sed tantum cum primario fine impellit, ut melius, id est alacrius, facilius, iucundius, etc. fiat.

3. Actus humani *ex fine* bonitatem aut malitiam moralem desumunt. Etenim finis considerari potest, tamquam circumstantia et tamquam obiectum humani actus. Si consideretur, tanquam circumstantia, finis, non secus ac aliae circumstantiae potest dicere ordinem conformitatis vel difformitatis ad rationem. Sic rationi conforme est, non solum dare eleemosynam, sed etiam eam dare in satisfactionem peccatorum; sicut rationi repugnat, non solum furari, sed etiam furari ad se inebriandum. Ergo, ut circumstantiae tribuunt humano actui bonitatem vel malitiam moralem, ita etiam finis. Ac uti circumstantiae de se non tribuunt nisi accidentalem bonitatem et malitiam, ita etiam finis. Si vero finis consideretur, tanquam obiectum, tunc humani actus ex fine tamquam ex obiecto speciem sumunt, adeoque ex eo non tantum bonitatem aut malitiam moralem desumunt, verum etiam ex eo desumunt essentialem bonitatem aut malitiam moralem.

4. « Idem actus numero, secundum quod semel egreditur ab agente, non ordinatur nisi ad unum finem proximum, a quo habet

speciem, sed potest ordinari ad plures fines remotos, quorum unus est finis alterius. » Dicitur prout *semel egreditur ab agente*, nam plures esse possunt eius actus fines, prout hic continuetur et repetatur; puta alienum sumere, ut quis ex alieno ditescat; alienum retinere, vel iterum sumere, ut illud domino conservetur. Dicitur *a quo habet speciem:* nam plures esse possunt *fines*, etiam proximi, *operis*, unius eiusdemque actus, sed unus est *finis operis* primarius a quo est *species* velut substantialis actus, caeteri autem accidentales et naturam potius circumstantiarum inducunt. Sic e. g. si quis peregrinationem instituat, ut celebret Missam in Sanctuario SSmi Cordis Iesu, Missae sacrificium est finis *operis* proximus, a quo intrinsece speciem sumit ipsa celebratio Missae: in illo vero Sanctuario celebrare ad onorem SSmi Cordis Iesu finis *operis* etiam proximus est ipsius celebrationis, sed quasi extrinseca quaedam circumstantia non dans speciem actui. Finis autem remotus *operantis*, ad quem actus ordinatur, et ipse speciem actui dare potest; immo si sit finis in ea serie ultimus ipse est, qui potissimum speciem actui dat, quia ipse est qui est prior in intentione, et a quo omnes aliis fines dependent, siquidem illi omnes sunt subordinati. Et sic ille qui moechatur, ut furetur, furatur, ut homicidium committat; potius homicida est, quam moechus et fur: quia homicidium est ratio formalis et motiva aliorum actuum. « Quando multi actus specie differentes ordinantur ad unum finem, est quidem *diversitas speciei* ex parte exteriorum actuum, sed *unitas speciei* ex parte actus interioris. » S. Th. 1. 2. q. 18. a. 6. « Possibile tamen est, quod *unus actus secundum speciem naturae* ordinetur *ad diversos fines voluntatis*. Sicut hoc ipsum quod est occidere hominem, quod est idem secundum speciem naturae, potest ordinari sicut in finem ad conservationem iustitiae, et ad satisfaciendum irae. Ex hoc erunt diversi actus secundum *speciem moris*, quia uno modo erit actus virtutis, alio modo erit actus vitii. » S. Th. 1. 2. q. 1. a 3. ad 2.

5. « Finis est obiectum voluntatis, non autem aliarum virium. Unde quantum ad actum voluntatis non differt bonitas, quae est *ex obiecto* a bonitate quae est *ex fine*, sicut in actibus aliarum virium; nisi forte per accidens, prout *finis* dependet ex fine et *voluntas* ex voluntate; » S. Th. 1. 2. q. 19. a. 2. ad 1., quando nempe *plures fines* per se subordinati et voliti sunt simul, ut cum quis vult medicinam sanativam propter adeundam militiam, propter victoriam, formalis bonitas obiecti. puta esse sanum, differt a bonitate alterius finis puta militiae; et quando *voluntas* unius finis, puta adulterii, dependet ex *voluntate* alterius finis, puta furti; ut cum quis vult adulterari, ut furetur, malitia quoque obiecti, puta adulterii, differt a malitia finis, puta furti. Utrumque autem est *per accidens*, accidit enim fini, quod alteri subordinetur, et voluntati etiam accidit quod ab alia dependeat, secus

enim hoc omni fini et omni volitioni conveniret. Caietan. in l. c. Insuper humanus actus, in tantum humanus est, in quantum voluntarius. In actu autem voluntario duplex invenitur actus, actus interior voluntatis, et actus exterior. Horum autem uterque proprium obiectum habet. « Finis autem est proprie obiectum voluntatis. Id autem, circa quod est actio exterior est obiectum eius. Sicut igitur actus exterior accipit speciem ab obiecto, circa quod est, ita actus interior voluntatis accipit speciem a fine sicut a proprio obiecto. Id autem, quod est ex parte voluntatis, se habet ut formale ad id quod est ex parte exterioris actus, quia voluntas utitur membris ad agendum, sicut instrumentis, neque actus exteriores habent rationem moralitatis, nisi in quantum sunt voluntarii. Ed ideo *actus humani species formaliter consideratur secundum finem*, materialiter autem secundum obiectum exterioris actus. Unde Philos. dicit, quod ille qui furatur, ut committat adulterium, est, per se loquendo, magis adulter quam fur. » S. Th. 1. 2. q. 18. a. 6.

6. Iamvero actus *imperatus* considerari potest secundum se et specificative sumptus, et potest considerari formaliter et reduplicative ut imperatus. Si primo modo consideratur, suam essentialem et specificam bonitatem vel malitiam desumit ab obiecto, accidentalem a fine. Finis extrinsecus operantis actui advenit iam in sua specie constituto ex proprio obiecto. Ac omnino accidentale est tali actui, *secundum se considerato*, quod ad talem finem ordinetur. Sic volitio dandi eleemosynam imperata a poenitentia primario et immediate respicit honestatem eleemosynae seu misericordiae, secundario tantum et mediate honestatem poenitentiae. Si altero modo actus imperatus sumatur, i. e. formaliter et reduplicative, ut imperatus, essentialem habet speciem a fine, quia actus imperans et imperatus, unus reputantur actus, cuius principale obiectum tunc finis est, quem uterque respicit.

7. Actus ergo humani *ex fine* bonitatem aut malitiam moralem desumunt quia, quatenus *actus*, ex fine tanquam ex obiecto *speciem* recipiunt. Idque aliter etiam ostendi potest. Etenim actus humani considerari possunt per modum *actionum* et per modum *passionum*, eo quod homo per ipsos *movet* seipsum, et *movetur* a seipso. Actio autem a *principio* agendi, passio vero a *termino* motus speciem sortitur. Et sic calefactio *actio* nihil aliud est quam motio quaedam *a calore* procedens: calefactio *passio* nihil aliud est quam motus *ad calorem*; definitio autem manifestat rationem *speciei*. Enimvero unumquodque speciem sortitur secundum actum, et non secundum potentiam; adeoque motus qui per actionem et passionem distinguitur, prout est *actio*, speciem sumit ab actu, qui est principium agendi; prout vero est *passio*, speciem sumit ab actu, qui est terminus motus. Porro

« actus dicuntur humani, in quantum *procedunt a voluntate deliberata, obiectum* autem *voluntatis est bonum et finis*. Et ideo manifestum est quod principium humanorum actuum, in quantum sunt humani, est finis ». S. Th. 1. 2. q. 1. a. 3. *Finis* enim est non solum *finis,* sed etiam *obiectum voluntatis*, et est per hoc, loco formae, quae est *principium* agendi. *Finis* autem est *obiectum* voluntatis, et ipsi ratio agendi est, praecise quatenus *finis* est; est enim illud quod *per se appetitur;* et sic finis, bonum est, et « bonum habet rationem finis ». S. Th. ib. a. 4. ad 1. « Voluntatis motivum et obiectum est finis... finis etsi non sit de substantia actus (nempe imperati), est tamen causa actus (praedicti) principalissima, in quantum movet agentem ad agendum. Unde et maxime actus moralis speciem habet ex fine ». S. Th. 1. 2. q. 7. a. 4. c. ad 2. « Finis est primum in intentione rationis, secundum quam accipiuntur moralium actuum species ». S. Th. 1. 2. q. 18. a. 7. ad 2. « Finis secundum quod est prior in intentione, secundum hoc pertinet ad voluntatem. Et hoc modo dat speciem actui humano sive morali ». S. Th. 1. 2. q. 1. a. 3. ad 2. « Et similiter (finis) est terminus eorundem (actuum). Nam id, *ad quod terminatur* actus humanus est id, quod voluntas intendit, tanquam finem ». Nimirum actus humanus *a fine* est, *ad finem* est: *a fine* tanquam actio, *ad finem*, tanquam passio: *a fine*, tanquam obiecto, forma intrinseca actus, principio actus, *quo* voluntas agit; *ad finem* tanquam terminum actus, *propter quem* agit. S. Th. 1. 2. q. 1. a. 3.

8. Quare actus humani praeter bonitatem vel malitiam absolutam et intrinsecam; quam habent ex proprio *obiecto*, bonitatem habent vel malitiam *a fine,* a quo dependent. « Etenim eadem est dispositio rerum in bonitate et in esse. Sunt enim *quaedam*, quorum esse ex alio non dependent. Et in his sufficit considerare ipsum eorum esse absolute. Quaedam vero sunt, quorum esse dependet ab alio, unde oportet, quod considerentur per considerationem ad causam, a qua dependent. Sicut autem esse rei dependet ab agente, et forma, sic bonitas rei dependet a fine ». S. Th. 1. 2., q. 18. a 4., q. 72. a. 3. — Atque hinc illud intelligitur: *bonum et finis convertuntur*. S. Th. 1. 2. q. 2. ad 2. Voluntas enim quidquid vult et facit, vult et facit tanquam bonum et propter bonum.

9. Utrum *intentio* extrinseci finis naturam *operis* exterioris intrinsece immutare possit? — R. Alii affirmant, alii negant. Horum sententia unice vera nobis videtur. Ratio est, 1.° quia natura mutari non potest; 2.° quia intentio operantis operi nihil addit, imo illud ne attingit quidem, cum illi prorsus extrinseca sit. Quare bona nostra intentio nequit opus malum reddere bonum, neque mala nostra intentio potest quod bonum est malum reddere, nec quod malum est in aliam malitiae speciem intrinsece transferre. Hoc autem non impedit, uti

patet, quominus ubi agatur de obiecto de se indifferenti, possit finis extrinsecus operantis bonitatem vel malitiam moralem tribuere. Hoc enim non est immutare naturam intrinsecam ipsius operis exterioris, sed determinare eius intrinsecam indifferentiam, quatenus opus humanum est; quae determinatio in moralibus nonnisi ab intentione est. Et sic licet prava intentio iudicis reo nocendi *iustae* sententiae naturam immutare intrinsece non possit, et eam constituere *iniustam* damnificationem: intentio tamen accipiendi alienum, ipsam acceptionem determinat, prout nempe quis rem alienam accipiat, ut eam domino conservet, vel ut eam sibi accipiat et furetur. S. Alph. l. 3. n. 584. 636. — Si quis ergo sine vi et fraude, sed ex odio, vel etiam ut noceat alteri, hunc impedit a consecutione boni, ad quod nullum ius habet, e. g. si quis testatorem impediat, ne relinquat haereditatem alicui, qui ad illam nullum ius habet, ad restitutionem minime tenetur. Peccat enim vel tantum contra caritatem, vel etiam contra iustitiam, sed *affective* tantum, non autem *effective*. Cf. S. Alph. l. 3. n. 584.

10. An actus bonus sit, si duplicem habeat finem, alium bonum alium malum? — R. 1.° Affirmative, si finis *malus* mere antedenter vel consequenter se habeat, h. e. mere praecedat totum actum, vel accedat actui iam praeexistenti, vel etiamsi se habeat mere concomitanter, h. e. nihil influat in esse ipsius actus, sed illi tantum adiungatur. Ratio est, quia tunc est prorsus extrinsecus actui in toto suo esse constituto. Non est enim *ratio propter quam* ipsius actus; sed ratio tantum est e. g. simplicis cuiusdam complacentiae, quae praecedit, concomitatur, aut consequitur actum deliberatum. Haec autem simplex complacentia potest, quin actum inficiat, suum exercere influxum, ut facilius quis moveatur ad actum bonum, e. g. si alicui proponeretur eleemosyna tanquam conferens ad vitam aeternam, et huic simplex complacentia *adiungatur* existimationis inde habendae apud homines. S. Th. 1. 2. q. 19. a. 7. Nonnunquam, bonum exequendo opus, sensus quidam et affectus imperfectus animum cuiusquam tangit, quamvis nullatenus sit finis, quem sibi proponit. Quidquid culpae in hoc reperiatur, non ideo perit bonitas operis quod quis agit. — 2.° Negative, si finis malus se habeat vere causative, et influat in substantiam actus. Ratio, quia tunc vult quis bonum saltem inadaequate sub ratione mali, quod est malum velle. « Ad hoc quod sit voluntas bona, requiritur quod sit boni, sub ratione boni, i. e. quod velit bonum et propter bonum ». S. Th. q. 19. a. 7. ad 3. — Excipe, nisi sit finis *leviter* tantum malus. Ratio, quia tunc finis leviter tantum malus influit non in ipsum esse substantiale actus, sed tantum in esse accidentale actus, adeoque manet bona tota substantia actus. Et sic bona erit eleemosyna, etiamsi in illum actum levis ostentatio

obrepserit, et vere influxerit. S. Th. 1. 2. q. 18. a. 4. ad 3., de Malo q. 2. a. 4. ad 2.; Suarez D. 8. S. 1. n. XIV. seqq. Agitur, ut patet de actu exteriore, qui sit unus in genere naturae, et multiplex in genere moris. « Si accipitur unus actus, prout est in genere moris, impossibile est, quod sit bonus et malus bonitate et malitia morali; si tamen sit unus unitate naturae, et non unitate moris, potest esse bonus et malus ». S. Th. 1. 2. q. 20. a. 6.

11. An peccet qui propter delectationem agat? — R. Affirmative, si agat propter *solam* delectationem; ulteriorem nempe honestum operis finem positive *excludendo,* et hoc peccatum per se loquendo, veniale non excedit. Negative, si simpliciter propter delectationem agat. Ratio primi est, quia delectatio est propter operationem, non viceversa, ut nempe homo alliciatur ad operationes humanae vitae necessarias, vel utiles. Ergo delectatio non est finis actionis, « sed medium ad actionem constantius, facilius, melius exercendam ». S. Th. 1. 2. q. 4. a. 2. Confirmatur ex prop. 8. damn. ab Innoc. XI.: « Comedere et bibere usque ad satietatem propter solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui ». Ratio secundi est, quia cum delectatio per se non sit mala, sed bona, nisi quis in ea constituat suum ultimum finem, quod procul dubio grave esset, non habetur gravis in humana actione deordinatio. Ratio tertii est, quia delectatio per se non est mala, sed bona, ipsique ordini naturae consentaneum est, ut homo alliciatur a delectatione ad operandum. S. Th. C. G. l. 3. C. 26. n. 6. 7., 1. 2. q. 4. a. 2. ad 2. Secus, dicendum esset peccare etiam, qui ad honeste agendum moveretur ex caelesti delectatione. Insuper *principalius* quidem natura intendit ipsam operationem, cui delectatio adiuncta est. Verum *secundario* eadem natura intendit, ut homo ex appetitu delectationis, quaerat operationem. Delectatio ergo ut finis intendi potest, dummodo non intendatur, ut finis ultimus vel praecipuus. Si quis ergo, licet nihil expresse cogitet de ulteriori fine honesto, moveatur a delectatione ad actionem, quam apprehendit naturae consentaneam, vel in qua nihil invenit rationis ordini contrarium, e. g. ad cibum sumendum, ludendum, etc., nihil omnino peccat. S. Th. 2. 2. q. 141. a. 1. ad. 1.

COMMENTARIUS DECIMUSTERTIUS
DE HUMANORUM ACTUUM CIRCUMSTANTIIS

1. Per *circumstantias* actus humani intelliguntur rationes illae omnes, quae *obiecto* volito *accessoriae* sunt, et quasi *substantiae* actus *accidentales,* et volitae dumtaxat sunt *concomitanter* vel *consequenter.* « Nomen *circumstantiae,* ait S. Th. q. 7. a. 1., ab his quae in loco sunt

derivatur ad actus humanos. Dicitur autem in localibus aliquid circumstare, quod est quidem extrinsecum a re, tamen attingit ipsam, vel appropinquat ei secundum locum. Et ideo quaecumque conditiones sunt extra substantiam actus, et tamen attingunt aliquo modo actum humanum. *circumstantiae* dicuntur. Quod autem est extra substantiam rei, ad rem ipsam pertinens, accidens eius dicitur. Unde *circumstantiae* actuum humanorum accidentia eorum dicendae sunt ». Ut obiectum, ita circumstantiae non considerantur hic prout sunt *accidentia* quaedam *physice afficientia* actum, sed prout sunt accidentia actus humani; ipsum *in esse morali,* iam *ex obiecto constitutum, moraliter afficientia. In esse morali iam ex obiecto constitutum,* quia si daret primam et essentialem speciem moralem, iam non esset circumstantia, sed transiret in conditionem obiecti et differentiae essentialis. *Moraliter afficientia,* h. e. quatenus ad mores pertinent. Enimvero ad *esse morale* actus nihil refert, quod quis e. g. alapam alteri dederit, vel furatus sit manu dextera vel sinistra. Aliter autem circumstantias considerant Iurisconsulti ac Theologi. Illi enim potius quatenus societatem perturbant, isti quatenus Deum gravius offendunt eas considerant. Cf. Suarez Tr. 2. D. 5.

2. Humani actus desumunt etiam suam bonitatem et malitiam moralem *ex circumstantiis.* — Etenim cum in obiectum tendant non *abstractum* sed *concretum,* seu suis individuantibus circumstantiis determinatum, ut desumunt specificam bonitatem et malitiam moralem ab obiecto, ita etiam bonitatem et malitiam moralem accidentalem desumunt ex circumstantiis; et varias ex eis induunt accidentales qualitates: sicut homo ab anima habet rationem suae speciei, aliquid vero accidentale convenit homini individuo secundum accidentia eius individualia. Et sane, cum *bonum* convertatur cum *ente,* sicut *ens* dicitur secundum substantiam et secundum accidens, ita et *bonum* attribuitur alicui et secundum esse suum substantiale, et secundum esse accidentale, tam in rebus naturalibus, quam in actionibus moralibus. Quare, quemadmodum « in rebus naturalibus non invenitur tota plenitudo perfectionis, quae debetur eis ex forma substantiali, quae dat speciem; sed multum superadditur ex supervenientibus accidentibus; sicut in homine ex figura, ex colore, et sic de aliis, quorum si aliquod desit ad decentem habitudinem, consequitur malum: ita etiam est in actione. Nam plenitudo bonitatis eius non tota consistit in sua specie, sed aliquid additur ex his, quae adveniunt tanquam accidentia quaedam. Et huiusmodi sunt circumstantiae debitae. Unde si aliquid desit quod requiratur ad debitas circumstantias, erit actio mala ». S. Th. 1. 2. q. 18. a. 3. 9.

3. Enimvero ideo actus humanus desumit bonitatem vel malitiam ab obiecto, quia obiectum dicit habitudinem convenientiae vel discon-

venientiae ad rectam rationem. Atqui circumstantiae etiam possunt importare habitudinem convenientiae vel disconvenientiae ad rectam rationem: sic v. g. non solum est disconveniens rationi furari, sed etiam furari in loco sacro. Billuart de Act. hum. Diss. 4. art. 2. § 2.

4. « Sic igitur in actione humana *bonitas* quadruplex considerari potest. Una quidem secundum *genus,* prout scilicet est *actio*; quia quantum habet de *actione* et *entitate*, tantum habet de *bonitate.* Alia vero secundum *speciem,* quae accipitur secundum *obiectum* conveniens. Tertia secundum *circumstantias,* quasi secundum *accidentia* quaedam. Quarta autem secundum *finem*, quasi secundum habitudinem ad bonitatis causam. » S. Th. 1. 2. q. 18. a. 4. « Nihil prohibet actioni habenti unam praedictarum bonitatum deesse aliam, et secundum hoc contingit, actionem, quae est bona secundum *speciem* suam, vel secundum *circumstantias* ordinari ad *finem malum*, vel e converso. Non tamen est actio bona simpliciter, nisi omnes bonitates concurrant: quia quilibet singularis defectus causat malum; bonum autem causatur ex integra causa. » S. Th. 1. 2. q. 18. a. 4. c. et ad 3.

5. Actus ergo humanus triplicem bonitatem vel malitiam moralem habere potest, sive intra eamdem speciem, sive etiam diversae speciei. Sic. e. g. si quis rem sacram furaretur, ut eam dono daret meretrici ad fornicationem ab ea obtinendam, talis actus ex *obiecto* esset *furtum,* ex *circumstantia sacri sacrilegium,* ex *fine fornicatio;* adeoque triplicem malitiam specie diversam haberet. Verum bonitas seu malitia moralis intrinseca et essentialis actus desumitur ex obiecto. Ex obiecto enim voluntas primo et per se seu directe movetur ad actum. Hinc licet, ut actus humanus sit bonus simpliciter, requiratur, ut nullam habeat circumstantiam malam, non requiritur tamen ut semper habeat obiectivas circumstantias proprias, a quibus accidentalem bonitatem, seu augmentum bonitatis accipiat, ut patet in actu circa obiectum omnino simplex, qualis est amor Dei. Dicitur *circumstantias obiectivas*, seu ex parte obiecti, nam circumstantiae ex parte ipsius actus semper aliquae saltem reperiuntur, quae illi conferant bonitatem aliquam vel malitiam. Et sic semper, saltem moraliter loquendo, quod satis est in praesenti materia, est in actu aliqua *intensio*, pertinens ad circumstiam *quomodo,* ratione cuius habet actus aliquam bonitatem vel malitiam, quae potest dici accidentalis, quatenus sine illa posset servari species actus. Ut autem circumstantiae suam actui conferant bonitatem vel malitiam moralem, debent esse volitae vel per modum obiecti, vel saltem per modum actus, quia obiectum non confert actui humano moralem bonitatem vel malitiam, nisi quatenus intentum et volitum. Circumstantiae obiectivae, h. e. quae se tenent ex parte obiecti, debent esse volitae per modum obiecti, quia huiusmodi circumstantiae afficiunt ipsum obiectum, et actus indivisibiliter attingit

obiectum, non quasi nudum, sed suis quasi circunstantiis vestitum. Circumstantiae vero, quae se tenent ex parte actus, debent esse volitae vel per modum obiecti, si illa circumstantia sit extrinseca ipsi actui, uti est e. g. circumstantia *quis,* potest enim operans seipsum respicere, ut obiectum suae voluntatis et velle dignitatem seu conditionem suae personae ad opus applicare, vel per modum actus, si illa circumstantia sit intrinseca ipsi actui, uti est e. g. circumstantia *quomodo* vel *quando*, et sic ut bonitas vel malitia actus voluntatis augeatur ex intensione vel duratione, satis est ut intensio et duratio sit voluntaria per modum actus, quatenus nempe voluntarius sit ipsimet actus intensus, diuturnus, etc. Cf. S. Th. C. G. l. 3. c. 138., 1. 2. ll. cc.; Suarez D. 4. D. 5. D. 6. S. 3.

6. Utrum circumstantia naturam operis exterioris, et interioris actus intrinsece immutare possit? — R. Affirmative. Ratio est, quia circumstantia est intrinseca ipsi operi vel ipsi actui, minime vero extrinseca, uti est finis operantis respectu operis exterioris. Ergo ipsum opus externum et internum actum *modificare potest.* Non enim quaelibet circumstantia externum opus, ita semper modificat, ut eius etiam naturam intrinsece immutet. Et sic, si parochus breviarium recitat, tempore, quo deberet moribundo sacramenta ministrare, recitationis breviarii intrinseca natura non mutatur. Unde sufficit etiam confiteri tantum praedictam omissionem administrationis sacramentorum. Neque vero ita illa *intrinseca* modificatio intelligenda est, ut opus externum ex *propria sibi intrinseca natura* indifferens, bonum vel malum, vel in tali specie, ratione nempe proprie obiecti, evadat ex indifferenti, natura sua, bonum vel malum, ex malo bonum, ex bono malum, vel in alia specie. Circumstantia enim, cum sit quid obiecto accessorium, si obiectum, ratione sui, indifferens vel bonum vel malum est et in tali specie, indifferens bonum malum, et in tali specie manet sub illo respectu, licet intrinsece etiam evadere possit malum, immutari in malum et aliam mali speciem assumere ratione circumstantiae. Sic e. g. comedere actio de se est indifferens, sed comedere die ieiunii post aliam sumptam refectionem, grave peccatum est, adeoque actio est mala non ratione comestionis, sed ratione diei ieiunii, et *hac circumstantia temporis* mala evadit. Matrimonio uti actio honesta est; sed matrimonio uti post votum castitatis actio graviter peccaminosa est, non ratione ipsius usus matrimonii, sed voti; et hac voti circumstantia in malam ex bona immutatur. Furari actio est mala contra iustitiam; sed furari, rem sacram, actio est mala etiam contra religionem ex illa rei sacrae circumstantia, unde malitiae furti malitia additur sacrilegii.

7. Iamvero quaedam circumstantiae sunt, quae naturam operis vel actus immutant *mere accidentaliter,* intra eamdem nempe speciem,

bonitatem vel malitiam moralem augent vel minuunt: et ideo *aggravantes* vel *minuentes* appellantur. Huiusmodi circumstantiae sunt illae omnes, quae non habent bonitatem vel malitiam *secundum se,* sed *per ordinem ad aliam conditionem actus,* quae illam bonitatem vel malitiam secundum se habet. Unde praedictam bonitatem vel malitiam augent vel imminuunt. Et sic e. g. intensio et remissio actus, mora longa vel brevis actus, non habent secundum se moralem bonitatem vel malitiam, sed per ordinem tantum ad actum bonum vel malum, cuius consequenter non nisi accidentalem diversitatem constituunt. Sic etiam tollere aliquid in maiori vel minori quantitate, non respicit *secundum se* ordinem rationis in bono vel malo, sed *praesupposita* aliqua alia conditione, per quam actus habet malitiam vel bonitatem, puta, hoc quod est *esse alienum,* quod secundum se rationi repugnat. Unde tollere alienum in maiori vel minori quantitate non diversificat speciem peccati. Circumstantiae, quae aggravando peccatum de veniali mortale reddunt, *in infinitum aggravantes* dicuntur.

8. Circumstantiae aggravantes, aliae sunt notabiliter, aliter leviter aggravantes. Censetur notabiliter aggravans in materia quantitativa, seu quae consistit in numero, pondere et mensura, quando seorsim sumpta et ab actu separata sufficeret ad peccatum mortale; ut qui ultra quinque vel sex libellas, constituentes in casu peccatum mortale, furaretur alias quinque vel sex, decem nempe vel duodecim. In aliis autem materiis censeretur notabiliter aggravans, quando notabiliter excedit modum ordinarium peccandi in huiusmodi materiis: ut si quis totam noctem transigeret impudicitiis cum muliere, si quis per menses et annos perseveraret in odio fraterno, si quis inimicum occidisset, membratim concidendo, etc. Si neutrum ex his occurrat censetur leviter aggravans, puta quod fur surripiat septem vel octo libellas, in eodem casu materiae gravis quinque vel sex libellarum, quod post rixam quis iratus, aliquantulo tempore, in odio permanserit. Billuart de Act. hum. Diss. 4. art. 2. § 2.

9. Aliae vero sunt circumstantiae, quae *essentialiter* naturam operis et actus immutant et *mutantes speciem* vocantur. Huiusmodi circumstantiae sunt illae, quae *secundum se* specialem ordinem rationis respiciunt. Sic e. g. tollere alienum habet speciem *ex ratione alieni,* ex hoc enim constituitur *in specie* furti. Et si consideretur super hoc ratio loci, vel temporis, se habebit in ratione circumstantiae. Sed quia ratio etiam de loco vel de tempore et aliis huiusmodi ordinare potest, contingit conditionem loci circa obiectum accipi ut secundum se contrariam ordini rationis, puta quod ratio ordinat iniuriam non esse faciendam loco sacro: unde tollere aliquid alienum de loco sacro addit specialem repugnantiam quoad ordinem rationis. Et

ideo locus, qui prius considerabatur ut simplex *circumstantia*, nunc consideratur ut *principalis conditio* obiecti rationi repugnans.

10. Neque vero repugnat quod *actus moralis* in mutiplici specie constitutus reperiatur. Etenim *ens naturale* non potest esse, nisi in una tantum specie, quia eius esse est *physice determinatum:* nec potest esse physice processus naturae in infinitum, unde necesse est sistere in aliqua ultima forma, ex qua sumatur specifica differentia, post quam alia differentia specifica esse non possit. Et inde est quod in rebus naturalibus id, quod est accidens alicui rei, non potest accipi, ut differentia constituens speciem; siquidem supervenit rei in sua specie iam constituta. Verum ens morale potest in multiplici specie constitui, nam actuum moralium species constituuntur ex formis prout sunt apprehensae a ratione. Processus autem rationis non est determinatus ad aliquid unum: sed, quolibet dato, potest ulterius procedere. Et ideo, quod in uno actu accipitur, ut *circumstantia* superaddita obiecto, quod determinat speciem actus, potest iterum accipi a ratione ordinante, ut *principalis conditio obiecti* determinantis speciem actus. Et sic in furto, si mera consideratur ratio loci, illa se habet ut circumstantia; sed si consideratur illa ratio loci sacri e. g. ut contraria rationi ordinanti, quia ratio ordinat reverentiam debitam loco sacro, eique nullam faciendam iniuriam, iam illa ratio non consideratur amplius ut mera circumstantia, sed ut principalis quaedam obiecti conditio, unde ut ab obiecto, ita etiam ab ea accipit actus speciem, quasi quaedam specifica differentia eius.

11. Hinc S. Th. 1. 2. q. 18. a. 10. ad 2. « circumstantia, ait, manens in ratione circumstantiae, cum habeat rationem accidentis, non dat speciem: sed in quantum mutatur in principalem conditionem obiecti, secundum hoc dat speciem ». Enimvero actus utpote totus quantus est in obiectum tendat, *ab obiecto* quidem specificatur. Cum autem in *obiectum concretum* tendat, eius etiam *circumstantias* attingit, et varias ipsemet induit inde accidentales qualitates. Cum vero illae *circumstantiae* aliquam important consonantiam vel dissonantiam ad rationem, et in principalem quamdam obiecti conditionem immutantur; tunc actus, qui obiectum attingit uti est, secundum illam nempe, quam reapse habet, conditionem, et ab obiecto specificatur, ab illa obiecti conditione etiam speciem sumit. Scilicet illa *circumstantia,* constituens principalem conditionem obiecti, *obiectum* actus et ipsa evadit; ita ut sit quasi duplex actus, vel unus actus virtualiter duplex, unus circa *obiectum* actus, alter circa *obiectum* circumstantiae, ut in furto in loco sacro apparet; scilicet acceptio rei alienae, *obiectum* actus furti, et iniuria loco sacro irrogata *obiectum* circumstantiae furti. Et sic stat adhuc principium: actus ab obiecto specificari: est enim revera duplex *obiectum* quod ab actu attingitur:

siquidem *obiectum* hic non est simpliciter res haec vel illa; sed *prout ordinem rationis refert:* porro rationis ordini consonare vel dissonare poterit; tum obiectum actus proprie tale, tum illius obiecti circumstantia.

12. Apposite Caietanus in q. 18. a. 10. et 11.: « Adverte et diligenter considera, quod sicut in naturalibus quaedam accidentia sunt *secundum se formae*, ut *albedo* et *dulcedo*, quaedam autem sunt solummodo *conditiones praesuppositarum formarum*, ut *magis*, *minus*, *maius fortiter*, *velociter*, et alia huiusmodi: ita in moralibus circumstantiae duplices, quaedam *secundum se bonitates vel malitiae*, ut sunt omnes actus virtutum et vitiorum: quaedam *conditiones* tantum *suppositarum virtutum vel malitiarum*, ut maius et minus, magis et minus, et his similia. Differentia inter istas circumstantias manifesta est; quia istae nunquam faciunt actum bonum vel malum; quamvis augeant vel minuant bonitatem vel malitiam. Primae autem faciunt actum bonum vel malum: et ratio est in promptu: quia primae *apponunt ex se bonitatem vel malitiam;* secundae non. Differentia rursus inter eas est, quod primae *secundum se* sunt species quaedam moralium habentes *propria obiecta*, *convenientia vel disconvenientia rationi*, ut patet de furto, facto in loco sacro. Actui namque *furti*, adiungitur *iniuria loci sacri*, quae habet propriam *speciem* ex loco sacro, obiecto rationi, ut iniuriam patiente: est namque *obiectum hoc secundum se rationi dissonans*. Secundae autem non sunt secundum se *species* moralium, nec habent propria *obiecta:* et ex hoc sequitur, quod primae dant speciem actui, quem circumstant, quoniam actus est circa illud circumstantiae *obiectum* ».

13. Aliter adhuc res explicari potest. « Dicendum, quod secundum substantiam suam non potest aliquid esse in duabus speciebus, quarum una sub altera non ordinetur. Sed secundum ea, quae rei adveniunt, potest aliquid sub diversis speciebus contineri. Sicut hoc pomum secundum colorem continetur sub hac specie, scilicet albi; et secundum odorem sub specie bene redolentis. Et similiter actus, qui secundum substantiam suam est in una specie naturae, secundum conditiones morales supervenientes ad duas species referri potest ». S. Th. 1. 2. q. 18. a. 8. ad 1.

14. Quaenam generatim sint circumstantiae *mutantes speciem?* — « Circumstantia quandoque sumitur, ut differentia essentialis obiecti, *secundum quod ad rationem comparatur:* et tunc potest dare *speciem* actui morali. — Et hoc oportet esse quandocumque circumstantia transmutat actum *de bonitate in malitiam*, non enim circumstantia faceret actum *malum*, nisi per hoc quod *rationi repugnat* ». S. Th. 1. 2. q. 18. a. 6. ad 4. Hoc idem oportet esse quandocumque circumstantia transmutat actum de indifferenti in bonum vel malum, tri-

buendo nempe primam et essentialem speciem bonitatis vel malitiae. — Sic e. g., si quis post votum castitatis matrimonio utatur: ex illa voti circumstantia transmutatur actus de bonitate in malitiam: si quis recreationis causa vellet in Ecclesia equitare, vel nuptiale convivium in Ecclesia instituere; vel parva quantitate die ieiunii comedere post plures alias parvas refectiones; ex circumstantia loci et ieiunii actus ex indifferenti malus evadit, et in determinata *specie* malitiae constituitur. — Etenim, ex hoc quod circumstantia *secundum se rationi repugnat* vel *convenit*, *malitiam* vel *bonitatem secundum se importat*, et obiectum prae se fert rationi repugnans vel conveniens; et per hoc in propria *specie* actum ponit, quem in malum transmutat de bono, vel in bonum sive in malum de indifferenti transmutat. Constitutio enim actus in esse mali vel boni ex obiecto est. Constat autem transmutationem actus de bono in malum, de indifferenti in malum vel bonum, constitutionem esse *in esse mali vel boni*.

15. Patet ex dictis 1.° circumstantias mutantes *speciem* tripliciter esse posse; quia *novam speciem* bonitatis vel malitiae *praecedenti speciei* ex obiecto actui tribuunt; quia transmutant actum de bono in malum; quia actui primam moralem bonitatem vel malitiam tribuunt. 2.° Duae adsunt generales regulae de circumstantiis dantibus *speciem* moralibus actibus. Prima est, quod quandocumque circumstantia facit actum de bono malum, aut de indifferenti bonum aut malum dat speciem actui. Secunda est, quod quandocumque circumstantia respicit specialem, *secundum se*, proprium ordinem rationis, dat iterum speciem actui. Specialem autem proprium ordinem rationis respicit quando ipsa per se exhibet aliquid rationi congruum vel dissonum. S. Th. 1. 2. q. 72. a. 8. 9., q. 73. a. 7., q. 88. a. 5.; de Malo q. 2. a. 6. ad 2., a. 8.

16. An actus sit bonus, si circumstantia sit mala? — R. 1.° Affirmative, si agatur de uno eodemque actum *in genere naturae*, et qui multiplex est *in genere moris*, e. g. quis horas canonicas in choro decantet, vel Missam conventualem cantet et aliquando vanae gloriae de sua pulchra voce inter cantum consentiat, etc. Ratio est, quia tunc huiusmodi mala circumstantia extrinseca omnino est ipsi actui bono, celebrationi e. g. divinorum officiorum, etc. Et sic in celebratione missae, sacerdos consecrans in statu gratiae, actum ponit bonum, deinde graviter peccans adhaerendo turpi cogitationi, et sacrilegam sumens Communionem actum ponit malum. — 2.° Negative, si agatur de uno eodemque voluntatis actu *in genere moris*. Ratio est, quia actus voluntatis, qui haec omnia simul complectitur, nempe obiectum et circumstantias unus simplicissimus actus est, adeoque, si non ex omni parte sit bonus, malus erit. « Et ideo, ait S. Th. 2. D. 36. q. un. a. 5., contingit actum habere bonitatem ex materia, et

tamen eum *male fieri propter indebitas circumstantias* ». Et 1. 2. q. 18. a. 1. huiusmodi actus dicitur a S. D. bonus *secundum quid*, et malus *secundum quid;* et generatim *in quantum a bonitate deficit,* sic dicitur *malus:* « puta, si deficiat ei vel determinata quantitas secundum rationem, vel debitus locus, vel aliquid huiusmodi ». Et q. 19. a. 2. ad 2. « dicendum, ait. quod supposito quod voluntas sit boni, nulla circumstantia potest eam facere malam. Quod ergo dicitur, quod *aliquis vult aliquod bonum, quando non debet,* potest intelligi dupliciter. Uno modo ita, quod ista circumstantia referatur ad volitum. Et sic voluntas non est *boni*, quia velle facere aliquid, quando non debet fieri, non est *velle bonum.* Alio modo, ita, quod referatur ad actum volendi. Et sic impossibile est, quod aliquis velit bonum, quando non debet; quia semper homo debet velle bonum: nisi forte per accidens, in quantum aliquis volendo hoc bonum, impeditur ne tunc velit aliquod bonum debitum. Et tunc non incidit malum ex eo quod aliquis vult illud bonum; sed ex eo quod aliquis non vult aliud bonum. Et similiter dicendum est de aliis circumstantiis ». — Hinc, si sit circumstantia tantummodo *leviter* mala, et *extrinseca* obiecto, quam voluntas concomitanter amplectitur, haec circumstantia *leviter* mala actum bonum non corrumpit, cum substantiae actus in se constituti accidentalis omnino sit. Id quidem in naturalibus contingit, idem in moralibus multo magis esse debet. Suarez D. 8. S. 1. n. VII. seqq. « Et sic affectus ad peccatum mortale in Communione, hanc substantialiter corrumpit et reddit sacrilegam; affectus ad peccatum veniale in Communione, hanc non corrumpit in sui substantia, licet minus fructuosam reddat ». Verum, si circumstantia etiam *leviter* mala *intrinseca* sit ipsi obiecto, tunc totus actus malus est; quia illa circumstantia ultima obiecti moralis determinatio est; et sic mala est tota actio Religiosi dandi eleemosynam, contra votum paupertatis vel contra praeceptum Superioris, quamvis prohibitio ratione voti, vel ratione praecepti Superioris nonnisi levis sit.

17. Quot humanorum actuum circumstantiae numerentur? — R. Septem, eaeque sunt: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.* « Ratio huius adnumerationis sic accipi potest. Nam circumstantia dicitur quasi extra substantiam actus existens; ita tamen, quod aliquo modo attingit ipsum, contingit autem hoc fieri tripliciter. Uno modo, in quantum attingit ipsum *actum.* Alio modo, in quantum attingit *causam* actus. Tertio modo, in quantum attingit *effectum.* Ipsum autem actum attingit vel *per modum mensurae*, sicut tempus et locus; vel per modum *qualitatis* actus, sicut modus agendi. Ex parte autem effectus, ut cum consideratur *quid* aliquis fecerit. Ex parte vero causae actus, quantum ad causam *finalem,* accipitur propter quid; ex parte autem causae *materialis* sive obiecti, accipitur

circa quid (quod comprehenditur sub quid); ex parte vero *agentis principalis,* accipitur quis egerit; ex parte vero causae *agentis instrumentalis,* accipitur quibus auxiliis ». S. Th. 1. 2. q. 7. a. 3.

18. Quomodo sint praefatae circumstantiae considerandae? — R. Eae accipiendae non sunt, quatenus ab ipsis dependet substantia actus, sed quatenus ipsum accidentaliter afficiunt. Secus iam rationem circumstantiarum non haberent. Quare: 1.° *Quis* non significat substantiam operantis, sed eius qualitatem seu conditionem, e. g. quod sit voto ligatus, matrimonio coniunctus, publicus magistratus, etc. Ad hanc circumstantiam revocat Lugo, de Poen. D. 16. n. 200., consuetudinem peccati; per eam enim explicatur qualiter quis sit dispositus ad facilius peccandum. Circumstantia personae, generatim loquendo, peccatum in aliam speciem non transfert, nisi peccatum *coniunctioni, officio* specialem afferenti obligationem, *voto* vel *statui eius directe* adversetur, ut si sacerdos fornicetur, in sacrilegium transit, si autem blasphemet, solius blasphemiae reus est, sicut alius blasphemans. S. Th. 2. 2. q. 65. a. 4., q. 110. a. 4. ad 5. 2.° *Quid* et *circa quid* non exprimit item substantiam effectus, seu obiecti, sed eius *qualitatem* vel *quantitatem,* v. g. in furto non denotat, quod res furtiva sit aliena, hoc enim pertinet ad ipsam substantiam actus; sed quod sit sacra vel profana, magnae vel parvae quantitatis; cum damno inde pauperis, pupillorum, puellarum nubilium, cum scandalo plurium, etc. Circumstantia *quid* et *circa quid* facile *mutans speciem* esse potest. *Quid* autem, i. e. effectus, quando est *praevisum* et *volitum* trahit in ipsius speciem, ut si mulier, pergens ad Ecclesiam, scit se ibidem adamandam, et *hoc vult,* quamvis non propterea vadat, sed propter audiendam Missam, actus ille ex illo effectu malo speciem trahit. Ad hanc circumstantiam revocari potest *quoties,* seu actuum multiplicatio. Illam tamen S. Th. inter circumstantias non computavit. Et ratio est, quia circumstantiae circa eumdem sunt actum. Numerus autem operationum non circumstat unam et eamdem operationem. Non enim secundum furtum est circumstantia primi, aut e converso; nec tertium secundi, et sic deinceps. Ex quo sequitur, quod, quia non minus tenetur quis confiteri secundum peccatum, quam primum, et non minus centesimum, quam quodcumque aliud, non sufficit dicere, quod pluries furatus est, sed oportet explicare quoties furatus est, si numeri meminerit; et si non meminerit, exprimere debet quam frequenter, sic ut verisimilis numerus habeatur. 3.° *Ubi* non significat nudum locum; certum enim est quemlibet actum hominis alicubi fieri; sed qualitatem loci, e. g. quod sit publicus, unde scandalum exoriatur; quod sit sacer, unde sacrilegium habeatur, etc. Circumstantia loci sacri, quamvis omnia aggravet peccata per accidens, illa tamen sola ad sacrilegii speciem trahit, quae sanctitati loci directe

opponitur, aut annexae immunitati, ut effusiones sanguinis, vel seminis humani, aliaeque actiones quae ex iure impediunt exhibendum ibidem divinum cultum, ad quem directe sanctificatur locus, et violentae ex eo reorum extractiones. 4.° *Quibus auxiliis* significat accidentalia instrumenta, seu media, quibus usus est operans, v. g. si quis vasis sacris usus fuerit ad veneficium, opem daemonis adhibuerit, alios homines iussu vel consilio ad peccati executionem induxerit. Licet haec circumstantia mere materialiter aliquando videatur se habere ad peccatum; aliquando tamen speciem etiam mutat. 5.° *Cur* denotat non finem intrinsecum operis, hic enim non differt ab obiecto, et pertinet ad substantiam actus, sed extrinsecum et operantis, uti si quis furetur ad se inebriandum. Finis vero extrinsecus *operantis* cum intrinseco *operis* coincidere potest. *Cur* manifeste aliam speciem actui dare potest. 6.° *Quomodo* designat accidentalem modum, quo fit interior voluntatis actus, v. g. intense vel remisse, ex contemptu, ex levitate, ex ignorantia, ex metu, ex passione. Designat etiam modum exterioris actionis, quod occideris veneno, gladio, cum crudelitate et saevitia, etc. *Quomodo* licet sit ordinarie aggravans vel imminuens peccatum, aliquando etiam speciem dare potest. 7.° *Quando* significat qualitatem vel quantitatem temporis, e. g. die festo, Communionis, hebdomadae sanctae; diu, brevi tempore. Circumstantia temporis sacri est aggravans peccatum, non tamen apponens speciem sacrilegii, nisi fiat in contemptum temporis sacri. Lessius in q. 7., Caietanus in e. q., S. Alph. l. 6. n. 923., S. Th. 4. Dist. 32. q. 1. a. 5. q. 4. Sol. 2.ª

COMMENTARIUS DECIMUSQUARTUS
DE MERITO

1. Actus humanus, secundum quod est in potestate voluntatis, rationem habet *laudabilis* vel *culpabilis*, prout bonus vel malus est. Secundum ordinem, quem habet ad finem, ad eum ducens vel ab eo devians, rationem habet *rectitudinis* vel *peccati*. Secundum vero quod est *in profectum vel nocumentum alterius*, rationem habet *meriti* vel *demeriti*. « Mereri primo in servitiis videtur, quibus mercedem merentur, in quibus primo merces nominata apparet. Verum a servitiis ad obsequia et beneficia extensum experimur, dum et obsequentes et benefacientes benemeritos de nobis seu republica vocamus ». Caietan. in 1. 2. q. 114. a. 1. Meritum vel demeritum consequenter est operis valor, ratione cuius ei correspondet praemium vel poena, secundum retributionem iustitiae. Retributio enim secundum iustitiam fit alicui ex eo quod agit in profectum vel nocumentum alterius. S. Th. 1. 2. q. 21. a. 3. Iustitia tunc intervenit, cuius est reddere unicuique suum. Enim-

vero « *meritum* et *merces* ad idem referuntur. Id enim *merces* dicitur, quod alicui recompensatur pro retributione operis vel laboris, quasi quoddam pretium ipsius. Unde sicut reddere iustum pretium pro re accepta ab aliquo est actus iustitiae; ita etiam recompensare mercedem operis vel laboris est actus iustitiae. ». S. Th. 1. 2. q. 114. a. 1. « Exhibitio meriti et redditio mercedis actus ad alterum sunt, secundum aequalitatem rei ad rem, scilicet meriti ad mercedem et e converso. Ideo ad rationem meriti exigitur ratio iusti, quamvis non sufficiat », quia praeterea « ad rationem meriti exigitur voluntarium ». Caietan. in 1. 2. q. 114. a. 1.

2. Meritum ergo vel demeritum habetur ex eo quod quis agat in bonum vel malum alterius, scilicet *Communitatis*, vel *alterius singularis personae*. « Cum vero aliquis agit quod *in bonum propriium vel malum* vergit, etiam debetur ei retributio, in quantum etiam hoc vergit in commune, secundum quod ipse est pars collegii; licet non debeatur ei retributio, in quantum est bonum vel malum singularis personae, quae est eadem agenti, nisi forte a seipso, secundum quandam similitudinem, prout est iustitia hominis ad seipsum. ». S. Th. 1. 2. q. 21. a. 3.

3. Meritum generatim proprietas est humanorum actuum, vi cuius aliqua digni sunt retributione. Indifferens de se est ad bonum et ad malum: sed usu iam receptum est, ut *meritum*, simpliciter dictum, pro merito praemii sumatur, et meritum poenae *demeritum*, vel *malum meritum*, vel *meritum supplicii* appelletur.

4. Meritum, de quo agimus, meritum nempe praemii, generatim definitur: obsequium, alteri praestitum, potens de se illum movere ad retributionem. Differt ab *impetratione* et a *satisfactione*: nam impetratio movet per modum submissae petitionis, satisfactio per modum compensationis iniuriae illatae, meritum vero per modum obsequii. Obsequii nomine venit opus cedens in utilitatem vel honorem alicuius. Unde patet actum humanum, in quantum bonum vel malum, rationem meriti vel demeriti habere posse non solum apud homines; verum etiam apud Deum. Licet enim actus nostri nullam Deo secundum se utilitatem, nullum ei profectum vel nocumentum afferre possint, nihil enim Deo accrescere vel deperire potest: attamen homo, in quantum in se est, aliquid subtrahit Deo vel ei exhibet, cum servat vel non servat ordinem, quem Deus instituit; eique ordinem servando honorem et gloriam praestat. Et ideo aliquid dumtaxat meremur, in quantum propter eius gloriam operamur, nostris nempe bonis operibus suam manifestando bonitatem. S. Th. 1. 2. q. 21. a. 4. ad 1.

5. Meritum apud Deum aliud est *naturale*, aliud *supernaturale*. Naturale est, quod bonis operibus naturalis ordinis invenitur. Bona enim opera meritoria apud Deum sunt alicuius praemii. Apposite

S. Th. 1. 2. q. 21. a. 4.: « Dicendum quod actus alicuius hominis habet rationem meriti vel demeriti, secundum quod ordinatur ad alterum vel ratione eius vel ratione communitatis. Utroque autem modo actus nostri boni vel mali habent rationem meriti vel demeriti apud Deum. Ratione quidem ipsius, in quantum est ultimus hominis finis; est autem debitum, ut ad finem ultimum omnes actus referantur; unde qui facit actum malum, non referibilem in Deum, non servat honorem Dei, qui ultimo fini debetur. Ex parte vero totius communitatis universi; quia in qualibet communitate ille qui regit communitatem praecipue habet curam boni communis; unde ad eum pertinet retribuere pro his, quae bene vel male fiunt in communitate. Est autem Deus gubernator et rector totius universi, et specialiter rationalium creaturarum. Unde manifestum est, quod actus humani habent rationem meriti vel demeriti per comparationem ad ipsum; alioquin sequeretur, quod Deus non haberet curam de actibus humanis ».

6. Meritum *supernaturale* illud est, quod supernaturali gratia perficitur, et supernaturali dignum praemio est. Supernaturale nostrorum humanorum actuum meritum dividitur in meritum *de condigno* et *de congruo*. Meritum *de condigno* illud est, quod aequalitatem quandam habet cum praemio, et hoc illi debetur ex aliqua iustitia, saltem Dei promissione accedente. Meritum *de congruo* habetur, cum vel non adest aequalitas, vel non habetur promissio, ita ut tantum decentia, convenientia, congruitas praemii habeatur ex praemiantis liberalitate. S. Th. 2. D. 27. q. 1. a. 3.

7. Aequalitas meriti cum praemio in opere meritorio *de condigno* non est aequalitas *absoluta* rei ad rem; haec aequalitas illa est quam res ad rem habet ex sua intrinseca quantitate seu entitate, seorsim ab aliis omnibus estrinsecis personarum circumstantiis. Hinc aequalitas ista invariabilis est, invariata rei utilitate aut honestate. Talis est aequalitas inter pretium et mercedem in emptione, itemque inter laborem mercenarii et mercedem, qua ille labor compensatur. Aequalitas enim habetur ex intrinseca quantitate valoris rei emptae vel mercedis collatae cum intrinseca quantitate valoris illius pretii, illius laboris; quatenus utraque sit tanta vel tanta; seorsim ab omni aestimatione dignitatis personae vendentis, et ementis; laborantis, et laborem illum acceptantis. Haec aequalitas dicitur etiam aequalitas *entitativa, quantitativa* vel *arithmetica. Mereri* apud aliquem non est *emere* praemium ab illo. — Aequalitas requisita ad meritum de condigno inter opus et praemium alia est ab hac prorsus distincta, aequalitas nempe *respectiva*. Est enim aequalitas secundum rectam quandam aestimationem, qua non absolute confertur et comparatur res cum re secundum se spectata, sed meritum cum praemio respective confertur, attento ipso opere meritorio et praemio; ac ipsa di-

gnitate operantis, a qua illud opus dignificatur, et opulentia atque munificentia praemiantis, ita ut tale praemium conferre respectu praemiantis, non sit maius aut difficilius quam respectu merentis tale meritum praestare.

8. Haec ergo aequalitas illa est quam meritum et praemium sortiuntur ex ipso opere meritorio et praemio et respectu ad conditionem et dignitatem personae merentis, et praemiantis. Cum enim actiones sint suppositorum; hinc una eademque res vel operatio prout est a persona digniori vel minus digna crescit vel decrescit in suo valore. Et sic opus quod factum a duce totius exercitus meritum esset de condigno alicuius principatus a rege obtinendi; idem factum a simplici milite ad summum meritum est de congruo; et praemium quod condigne daretur illi, huic nonnisi congrue largiretur. Aequalitas haec *respectiva* ut patet aequalitas *proportionis* est, quatenus nempe aequaliter se habet meritum ad merentem ac praemium ad praemiantem: secus enim vel maius quid, vel quid minus retribueretur. Ad rem S. Th. 2. D. 27. q. 1. a. 3.: « Secundum aequalitatem proportionis ex condigno meremur vitam aeternam. Attenditur enim aequalitas proportionis, quando aequaliter se habet hoc ad illud, sicut aliud ad alterum. Non autem est maius Deo vitam aeternam tribuere, quam nobis actum virtutis exhibere; sed sicut hoc congruit huic, ita illud illi: et ideo quaedam proportionis aequalitas invenitur inter Deum praemiantem et hominem merentem ».

9. Iamvero sedulo animadvertendum est hanc aequalitatem *respectivam* seu *proportionis*, quae et *geometrica* dicitur, praesupponere ex parte meriti et praemii quandam utriusque inter se convenientiam et connexionem: meritum enim habet intrinsecum quendam valorem praemii quo meritum illud retribuitur. Et sic S. Thomas l. c. statim pergens ait: « dum tamen praemium referatur ad idem genus, in quo est meritum; ut si praemium est quod omnem facultatem humanae naturae excedit, sicut vita aeterna, meritum etiam sit per talem actum in quo refulgeat bonum illius habitus, qui divinitus infunditur Deo nos consignans ». Quare opera naturalia condigne mereri nullo modo possunt praemium supernaturale. S. Th. 1. 2. q. 114. a. 2.

10. Aequaliter se habet meritum ad merentem ac praemium ad praemiantem. Non enim, ut ait S. Th. l. c., « maius est Deo vitam aeternam tribuere, quam nobis actum virtutis exhibere, sed sicut hoc congruit huic ita illud illi ». Et sane, licet vita aeterna sit bonum longe maius quam meritum hominis iusti; et sic inter illam et istud non detur aequalitas arithmetica et quantitatis; respectu tamen Dei hominem iustum tanquam eius filium adoptivum et amicum diligentis non est quid maius huic vitam aeternam h. e. eius beatitudinem et felicitatem communicare; quam respectu hominis iusti filii Dei ado-

ptivi et amici, obsequium et honorem supernaturalibus actibus praestare. *Aequaliter se habet hoc ad illud, sicut aliud ad alterum;* nam aequum omnino est, ut hominem iustum operantem, secundum dignitatem et excellentiam suae virtutis supernaturalis, Deus etiam recompenset secundum excellentiam suae virtutis.

11. Praedictam proportionem explicat iterum Angelicus Doctor 1. 2. q. 114. a. 3. per *aequalitatem in virtute*, et eam aperte desumit ex duplici capite, dignitatis operis, et dignitatis operantis, eamque explicat comparatione seminis relate ad arborem, pignoris relate ad debitum, fontis relate ad aquam fluentem. « Dicendum quod gratia Spiritus Sancti, quam in praesenti habemus, etsi non sit aequalis gloriae in actu, est tamen aequalis in virtute, sicut semen arboris, in quo est virtus ad totam arborem. Et similiter per gratiam inhabitat hominem Spiritus Sanctus, qui est sufficiens causa vitae aeternae; unde dicitur esse pignus haereditatis nostrae, 2. ad Cor. 1. Dicendum quod opus meritorium hominis dupliciter considerari potest. Uno modo, secundum quod procedit ex libero arbitrio, alio modo, secundum quod procedit ex gratia Spiritus Sancti. Si consideretur secundum substantiam operis, et secundum quod procedit ex libero arbitrio, sic non potest ibi esse condignitas propter maximam inaequalitatem; sed est ibi congruitas propter quandam aequalitatem proportionis. (Tunc nempe adest meritum de congruo). Videtur enim congruum, ut homini operanti secundum suam virtutem Deus recompenset secundum excellentiam suae virtutis. Si autem loquamur de opere meritorio, secundum quod procedit ex gratia Spiritus Sancti, sic est meritorium vitae aeternae ex condigno. Sic enim valor meriti attenditur secundum virtutem Spiritus Sancti moventis nos in vitam aeternam, secundum illud Ioann. 4., 14., *fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* Attenditur etiam pretium operis secundum dignitatem gratiae, per quam homo consors factus divinae naturae adoptatur in filium Dei, cui debetur haereditas ex ipso iure adoptionis, secundum illud ad Rom. 8., 17., *si filii et haeredes* ».

12. Iamvero quamvis in merito de condigno praedicta habeatur proportionis aequalitas, et possit homo aliquid de condigno a Deo mereri, id tamen non potest secundum absolutam iustitiae rationem, sed tantum secundum quid. Absoluta enim iustitiae ratio in aequalitate est, et eius est reddere unicuique quod suum est. « Manifestum est quod inter Deum et hominem est maxima inaequalitas, in infinitum enim distant, et totum quod est hominis bonum est a Deo. Unde non potest hominis ad Deum esse iustitiam, secundum absolutam aequalitatem, sed secundum proportionem quandam, in quantum scilicet uterque operatur secundum modum suum ». S. Th. 1. 2. q. 114. a. 1.

13. Meritum *de congruo*, aliud est infallibile ob divinam promis-

sionem, ut ultima dispositio ad primam gratiam sanctificantem, quam peccator infallibiliter meretur; aliud vero est quod adiunctam non habet divinam promissionem, et cui praemium ex quadam solum decentia debetur, ut sunt remotae ad iustificationem dispositiones. Suarez de Gratia l. 12. C. 36. n. 4.-7. Quamvis in merito de congruo infallibili divina habeatur promissio, non ideo habetur meritum de condigno. Cum divina enim promissione adhuc remanet in eo merito defectus condignitatis operis, secundum aequalitatem proportionis. Suarez de Grat. l. 12. C. 36. n. 4. « Mereri ex condigno, ait Caietanus in 1. 2. q. 114. a. 3., est mereri sic, ut secundum iustitiam sibi debeatur; ita quod iniustum esset non reddi mercedem merito ex condigno. Unde et nomen accepit ab *aequa dignitate* meriti ad mercedem ».

14. Meritum proprie dictum *prius* est *natura* et *causalitate* praemio; causat autem praemium *quia est,* per modum causae *efficientis moralis*, minime vero illud causat per modum causae finalis, seu *ut sit.* Remunerator enim a *merito* movetur ad praemium largiendum in retributionem et compensationem illius meriti. Meritum ergo prius natura est vel absolute existens, vel absolute praevisum, ut remunerantem moveri possit ad illius meriti retributionem, quod consequenter causat *quia est,* non *ut sit.* « Meritum, inquit S. Th., est causa praemii, non quidem per modum finalis causae; sic enim magis praemium est causa meriti; sed magis, secundum reductionem ad causam efficientem, in quantum meritum facit dignum praemio, et per hoc ad praemium disponit ». De Verit. q. 29. a. 6. 15.

15. Si meritum de congruo cum merito de condigno comparetur; licet utrumque verum meritum sit, ratio tamen meriti principaliter et perfecte est in merito de condigno, secundario et imperfecte in merito de congruo. Utrumque verum meritum est; nam utrumque praemium obtinet titulo ipsius operis; in utroque, operis intuitu praemium remunerator retribuit. Meritum autem de *condigno* perfecte meritum est, quia condignitatem et aequalitatem affert operis meritorii cum praemio. Meritum vero *de congruo* minus perfecte meritum est, quia ille operis titulus non attingit ad hanc condignitatem et aequalitatem; sed huius defectum suppleri debet a remuneratoris largitate et liberalitate. Unde meritum de condigno praemium exigit ex aliqua iustitia, meritum vero de congruo praemium exigit ex liberalitate dantis. Notio ergo meriti analoga est, non quidem analogia extrinseca et metaphorica, sed intrinseca per imperfectam quandam meriti participationem in merito de congruo, per perfectam vero in merito de condigno. Quare meritum de congruo per habitudinem ad meritum de condigno cognosci debet, cuius quaedam participatio est ab illius perfectione deficiens.

16. Cum meritum supernaturale ex gratia intrinsece pendeat,

augmentum et diminutio meriti ex triplici capite exoritur; ex maiori vel minori voluntarietate, quia meritum, actus liber est, ex maiori obsequio Dei, quia meritum obsequium est alteri praestitum, ex maiori gratia, cum qua quis agit, quia meritum apud Deum supernaturale est. « Cum meritum, ait S. Th. non consistat in habitu, sed in actu, nec in actu quolibet, sed in eo qui per habitum gratiae informatur, actus autem omnis meritorius ex voluntate procedat; oportet quod meritum aliquid habeat a gratia, et aliquid a voluntate et aliquid etiam ab obiecto actus, unde species actus trahitur; et ideo ex his tribus efficacia merendi mensurari potest, ex gratia, voluntate et obiecto. Quanto enim maiori caritate et gratia actus informatur, tanto magis est meritorius: similiter etiam quanto magis est voluntarius, plus habet de ratione meriti et laudabilis: similiter etiam quando magis obiectum est arduum, tanto magis est actus meritorius... Quod autem aliquod arduum augmentet rationem meriti, non habet ex difficultate laboris, sed ex bonitate; quia quanto aliquid melius est, tanto supra vires hominis operantis est magis elevatum... nisi per accidens, in quantum videlicet in id quod difficile est, maiori attentione aliquis consurgit, et cum maiori conatu voluntatis ». 2. D. 29. q. 1. a. 4.

17. Iamvero, sive sit meritum *de condigno*, sive sit meritum *de congruo*, ex parte *operis meritorii* sequentes requiruntur conditiones: — 1.° Ad meritum praemii apud Deum requiritur proprius et positivus actus voluntatis. — Nam meritum proprie dictum continet ordinem ad retributionem propter obsequium alteri praestitum, i. e. propter opus in utilitatem vel in honorem et gloriam eius factum. Atqui hoc obsequium sine aliquo actu positivo non fit. S. Th. 1. 2. q. 91. a. 5., 2. 2. q. 79. a. 1.; Suarez de Grat. l. 12. cap. 2.

18. 2.° De ratione actus meritorii est, ut sit liber a necessitate. — Enimvero Sacrae Litterae et Patres praemium non adscribunt, nisi operibus libere factis. Insuper ex merito vel demerito humanorum actuum, humanae voluntatis libertas deducitur. Ergo meritum vel demeritum agendi libertatem includit. S. Th. 1. 2. q. 21. a. 3. q. 114. a. 3.; Suarez l. c. cap. 3.

19. 3.° Opus meritorium moraliter bonum esse debet. — In Sacris Litteris et apud Patres nunquam legitur Deum praemio remuneraturum actus indifferentes, et multo minus malos; sed solum actus bonos et supernaturales. Insuper opus malum non dignum praemio, sed poena est. Actus autem indifferens, vel in individuo non datur, vel si datur, natura sua non exigit potius praemium quam poenam. Postremo meritum est obsequium alteri praestitum, de se aptum ad aliquid obtinendum per modum retributionis seu mercedis. Atqui nonnisi opus moraliter bonum in obsequium Dei, in eius honorem et gloriam redundare potest. Suarez l. c. cap. 4.

20. 4.° Ad opus meritorium habendum nullo pacto requiritur, ut sit opus supererogationis, seu ut opus sit sponte factum sine praecepti obligatione. — Sacra Scriptura et Patres passim docent observationi praeceptorum promissam esse vitae aeternae mercedem. Praeterea homo non meretur apud Deum ex eo quod aliquid faciat, quod Deo sit utile, sed in quantum propter eius gloriam operatur. Atqui operatur propter eius gloriam etiam in rebus praeceptis. Tandem praeceptum neque tollit, neque minuit hominis libertatem; neque tollit, neque minuit operis honestatem; neque tollit, neque minuit rationem obsequii, imo potius auget, cum addat operi virtuoso circumstantiam formalis vel virtualis obedientiae. S. Th. 1. 2. q. 114. a. 1. ad 1.; Suarez l. c. cap. 5.

21. 5.° Requiritur ad meritum theologicum, ut actus sit supernaturalis, seu ex auxilio gratiae procedens. — Nam ex Sacra Scriptura et Patribus omnia merita nostra sunt dona Dei. S. Augustinus Ep. 194. C. 5. n. 19.: « Cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat quam munera sua ». Ratio est, quia meritum et praemium debent esse eiusdem ordinis, ita ut si praemium excedit vires naturae, etiam meritum eas excedat; nam inter meritum et praemium proportio esse debet. S. Th. 2. D. 27. q. 1. a. 3., 1. 2. q. 109. a. 5.; Suarez l. c. cap. 33.

22. 6.° Ut actus sit meritorius probabilius requiritur, ut sit ex aliquo supernaturali motivo. — Nam Sacra Scriptura, cum promittit vitam aeternam operibus moralibus, aliquid addit quod significat illa debere fieri ex motivo supernaturali. Vitam aeternam promittit operibus factis *propter Christum, propter nomen Christi, in nomine Christi*, etc. Insuper Scriptura et Patres docent iustum ex fide vivere, fidem esse initium, radicem, fundamentum iustificationis et consequenter hominem non mereri nisi per opera facta ex fide. Atqui fides finem supernaturalem operibus nostris proponit. Sane meritum supernaturale ad Deum finem hominis supernaturalem habitudinem habere debet. Unde Apostolus ad Hebr. 11., 6.: « Iis qui.... gloriam et *incorruptionem* et honorem *quaerunt* vitam aeternam (reddet) ». Scilicet iis, qui gloriam et honorem *apud Deum*, et incorruptibilia seu *supernaturalia* bona suis operibus intendunt, retribuet Deus vitam aeternam. Actus praeterea meritorii vitae aeternae illi sunt, qui eliciuntur virtutibus infusis. Atqui virtutes infusae distinguuntur specie a virtutibus acquisitis, secundum ordinem ad ultimum finem, et secundum propria obiecta. « Bonum opus intentio facit, intentionem *fides* dirigit ». S. August. in Psalm. 31. n. 4. « Sed, quia quod non ex *fidei* procedit fonte; ad praemia aeterna non pervenit, alia est conditio operum coelestium, alia terrenorum ». S. Leo Magnus Serm. 7. de Quadrag. cap. 3.;

S. Th. 1. 2. q. 63. a. 4.; Suarez l. c. cap. 10.; Maur. l. 6. q. 92.; Struggl par. 8. Cf. hic n. 6. seqq.

23. 7.° Requiritur tandem ad meritum theologicum actus in aliqua temporis differentia absolute existens. — Id clare evincunt verba Christi, Luc. 10., 13.: « Si in Tyro et Sidone factae fuissent virtutes, quae factae sunt in vobis; olim in cilicio et cinere sedentes poeniterent ». Merita habentur hic conditionate existentia, sed tamen absque praemio; nam v. seq. idem iudicium in has urbes ac in Sodomam futurum asseritur. Et sane causa efficiens, licet moraliter, uti meritum est, praesupponi suo effectui debet, secundum realem existentiam saltem ordine naturae. Quod autem sub conditione numquam existente futurum esset, nec est, nec futurum est, nec fuit. Atque hinc realem non habet existentiam.

24. Ex parte *personae merentis*, ut actus sit meritorius requiritur status viatoris. — Status viae positive est status huius vitae mortalis, quae secundum communem et ordinariam legem in hoc mundo agitur; negative est status, in quo nondum quis Dei visionem et fruitionem adeptus sit, sed *per fidem* ad illam tendit. — Enimvero Sacra Scriptura aperte docet tempus vitae tantum esse tempus meriti; tempus mortis esse tempus retributionis. Idem etiam docent Patres. Ratio a priori est sola voluntas Dei; ratio congruentiae est, quia meritum habet rationem viae, praemium rationem termini. Vita praesens vero, in qua *ambulamus per fidem*, est status viae respectu vitae futurae, in qua facie ad faciem Deum videbimus, et quae rationem habet termini respectu prioris. Hinc Beati in coelo non merentur: itemque neque animae purgantes merentur, sed solum satispatiuntur. S. Th. 1. p. q. 62. a. 9., 3. p. q. 19. a. 3.; Suarez cap. 15. 34. — Beati « non sunt in statu acquirendi secundum aliquid sui; et ideo nec sibi nec aliis merentur; quia quod impetrant modo nobis, contingit ex hoc, quod prius, dum viverent, meruerunt, ut hoc impetrarent ». S. Th. 3. D. 18. q. 1. a. 2. ad 2., 1. p. q. 62. a. 9.

25. Ex parte *Dei remunerantis*, ad meritum theologicum requiritur, ut adsit *divina ordinatio* meriti ad mercedem, saltem *consequens*, seu talis, qua opus acceptetur in meritum actuale et efficax determinati praemii. — Distinguenda est *ordinatio* talis vel talis meriti ad tale vel tale praemium ex voluntate divina, a rigorosa *promissione*, qua Deus se obligaverit ad dandum tale praemium sic operanti. Theologi vix inter utramque distinguunt; verum melius videtur distinguendum esse cum Suaresio; « nam posset esse ordinatio sine promissione, statuendo conditiones sufficientes ad meritum, et nihilominus non se obligando ad dandum praemium, sed liberalitati suae hoc reservando; quamvis e contrario non possit esse promissio praemii sine praevia ordinatione meriti ». Suarez l. c. cap. 17. n. 1. Illa *ordinatio* dupliciter

intelligi potest primo *antecedenter*, et est voluntas antecedens ipsum opus, illud, si fiat acceptandi ad tale praemium; secundo *consequenter* et est voluntas subsequens ipsum opus, illud iam actu positum ad tale praemium acceptans. Meritum ita comparatur ad hanc divinam *institutionem* et *ordinationem*, ut ab ea habeat quod sit efficax et actuale, ut sic dicamus. Licet enim ante eam ordinationem et acceptationem divinam actus dici possit *de se* meritorius, seu in actu primo et aptitudine, in esse tamen actualis meriti et in efficacia sua per illam ordinationem et acceptationem consummatur. Quare distinguendum est meritum in actu primo et aptitudine praemii obtinendi; et ita meritum aliud non est quam opus condignum et aequale praemio, vel eidem obtinendo conveniens et congruum tantum : et meritum in actu secundo et efficacia praemii, et est exigentia quam meritum habet praemii, quae illi non adest nisi ex positiva ordinatione et promissione. Hinc ad meritum in actu primo non requiritur ordinatio, et promissio, sed haec ad meritum in actu secundo requiritur. Necessaria ad meritum Theologicum quaedam Dei *ordinatio* est, quia Deus, qui suaviter et sapienter omnia disponit, nec aliquid addit superfluum, ita de facto disposuit, ut indicat nota illa sententia : « Tanta est misericordia Dei, ut nostra voluerit esse merita, quae sunt dona sua ». Coelest. Papa Ep. ad Episc. Gall. c. 9. Praeterea *proportio* dignitatis vel congruitatis, quae in ipso opere est, nisi vel lex vel pactum vel certe positiva aliqua ordinatio habeatur, non sufficit ad relationem perfectam habendam inter meritum et praemium, ut ex ipsis humanis rebus constat. Illa operis dignitas vel congruitas nonnisi eius fundamentum esse potest. Suarez l. c. cap. 17.

26. Ad meritum de condigno quod attinet, ex parte *ipsius operis meritorii,* ut actus supernaturalis hominis iusti sit condigne meritorius praemii substantialis, non requiritur, ut a charitate *eliciatur* aut *imperetur*. — Etenim Conc. Trid. S. 6. C. 16. indiscriminatim omnibus bonis operibus *in Deo factis* meritum tribuit vitae aeternae. « Principalitas merendi, ait S. Th. 3. D. 30. a. 5. est in charitate, *in aliis* autem, *secundum quod charitate informantur* ». Radix igitur requiritur caritatis; quum opera esse debeant *in Deo facta*, sed non requiritur ut a charitate eliciantur vel a charitate formaliter imperentur. S. Th. 2. 2. q. 24. a. 8., 2. D. 40. q. 1. a. 5. ad 3.; Suarez de Grat. l. 12. l. c. cap. 8. 9. 10. 12.; Strugll q. 2. a. 4.

27. Ad meritum de condigno habendum, ut iam dictum est, Cf. n. 9., requiritur in opere fundamentum condignitatis et proportionis cum praemio. — Nam « meritum et demeritum dicuntur in ordine ad retributionem, quae fit secundum iustitiam ». S. Th. 1. 2. q. 21. a. 3. Atqui ratio iustitiae aequalitatem quamdam rerum inter se importat. S. Th. 2. D. 27. a. 3.; Suarez l. c. cap. 17.

28. Ad meritum de condigno, *ex parte personae merentis,* necessarius est status gratiae. — Id clare evincitur ex Sacra Scriptura, quae nonnisi adoptivis filiis Dei vitam promittit aeternam. Et ratio patet, nam tunc homo peccator, si secus esset, posset ante remissionem peccati per speciale Dei auxilium mereri vitam aeternam, dum simul mortem aeternam meretur, quia peccator. Meritum ergo de condigno non solum in operis praestantia, sed etiam in personae dignitate, et amicitia cum Deo fundatur. Ille praeterea, qui meritum habet de condigno habet ius ad vitam aeternam. Atqui hoc ius est tantum filiorum et amicorum vi gratiae sanctificantis. Ergo nonnisi qui sunt in statu gratiae meritum de condigno vitae aeternae habere possunt. Ac idem consequenter constat de merito de condigno gratiae habitualis, quae pignus gloriae est. Denique dignitas operis potissimum desumitur ex dignitate personae operantis; operationes enim sunt suppositorum. Atqui absque statu gratiae non habetur dignitas personae operantis respectu vitae aeternae; nam persona absque gratia manet in ordine naturali maxime distante a supernaturali beatitudine. S. Th. 1. 2. q. 114. a. 2.; Suarez l. c. cap. 14.; Bellarm. de Iustif. l. 5. cap. 12.

29. Actus ergo, qui cum supernaturali gratiae auxilio eliciuntur convenientiam tantum ex se habent ad aliquod supernaturale praemium. Condignitas vero in ipsis non habetur nisi ex ipsa personae dignitate. Condignitas sane meriti ex A. D. attenditur tum secundum virtutem Spiritus Sancti, qui principale principium est actus supernaturalis meritorii, tum secundum dignitatem gratiae, qua homo fit consors divinae naturae, proindeque operari potest digne Deo. Bene tunc apparet quomodo praemium vitae aeternae, quod est *haereditas propria filiorum Dei,* non servorum, tamquam *condignum praemium,* non servis, sed *filiis* detur, iis nempe qui sunt gratia sanctificante praediti, per quam filii Dei constituuntur. S. Th. 1. 2. q. 114. a. 3. Cf. hic n. 11.-35.

30. Etiamsi in operibus dignitas et proportio supponatur; nihilominus, ut sint actualiter meritoria de condigno talis praemii, necessaria est, *ex parte Dei remunerantis,* divina ordinatio, per quam gloria v. g. proposita sit ut praemium per talia opera consequendum, et qua statuerit Deus talia opera in meritum talis gloriae acceptare. — « Modus et mensura humanae virtutis est a Deo. Et ideo meritum hominis apud Deum esse non potest, nisi secundum praesuppositionem divinae ordinationis; ita scilicet, ut id homo consequatur a Deo per suam operationem, quasi mercedem, ad quod Deus ei virtutem operandi deputavit; sicut etiam res naturales hoc consequuntur per proprios motus et operationes, ad quod a Deo sunt ordinatae: differenter tamen, quia creatura rationalis seipsam movet ad agendum per libe-

rum arbitrium, unde sua actio habet rationem meriti, quod non est in aliis creaturis ». S. Th. 1. 2. q. 114. a. 1. Iamvero praeter intrinsecam ipsius gratiae ordinationem aliqua opus est extrinseca ordinatione iam supra initio huius num. exposita. Etenim meritum de condigno certe dicitur in ordine ad retributionem, quae fit secundum iustitiam. Atqui retributio secundum iustitiam haberi nequit, si alter non acceptet illud meritum. Nam retributio secundum iustitiam restituit aequalitatem. Atqui, nisi alter illud meritum acceptet, nulla exurgere potest inaequalitas inter merentem et remuneratorem ; haec inaequalitas tunc tantum exurgit, quando remunerator meritum acceptet. Ad meritum ergo de condigno requiritur divina ordinatio, qua tale meritum Deus acceptet, eaque tale proponat praemium consequendum. Suarez l. c. C. 17.

31. Sola admissa divina ordinatione, prout haec distinguitur a qualibet promissione et conventione, actus meritorius est ordinatus per gratiae semen a Deo ad causandam vitam aeternam, sicut alii actus naturales ordinantur ad suos terminos. Praeter hanc ordinationem negat Caietanus aliud pactum, vel promissionem, vel, ut ipse ait contra Scotum, aliam superadditam ordinationem. Quare actus per gratiam est meritorius ex hoc ipso solo quod est a gratia, quod est talis naturae, eique Deus mercedem negare non potest, cum non possit Deus qui eum ordinavit contra seipsum facere. Idque fundatur, ait Caietanus, in verbis Apostoli, *si filii, haeredes*. « Quia filio obedienti et ut filio operanti debetur haereditas paterna ex solo ipso iure stricto, ita quod nonnisi iniuste potest privari. Sed sola gratia constituit filios Dei, seclusa quacumque ordinatione. Ergo ». Et confirmatur, quia « actus humanus ex hoc quod est bonus vel malus moraliter, habet rationem meriti vel demeriti etiam apud Deum. Ex hoc namque sequitur, quod ex hoc ipso quod actus est bonus, est ordinatus a Deo ad praemium ». In 1. 2. q. 114. a. 3. Verum si sermo sit de intrinseca ordinatione gratiae, quatenus vi solius gratiae iustus est filius adoptivus Dei, habens ius ad vitam aeternam, eiusque opera digna sunt vita aeterna, absque alia promissione, id quidem verissimum est, sed nondum habetur proprie et formaliter meritum et praemium. Distinguendum enim est. « Nam aliud est opus esse dignum aliqua mercede seu praemio, aliud vero operi ex iustitia deberi talem mercedem seu praemium. Potest enim fieri, ut quis integro die laboret in alterius vinea, et labor ipsius dignus sit stipendio diurno, et tamen alter ex iustitia non teneatur illi stipendium persolvere, nisi cum eo pactus sit. Ita res habet in proposito. Opera hominis iusti et existentis in statu gratiae per se digna sunt, et proportionem habent cum vita aeterna, quia procedunt ex gratia, quae est semen gloriae ; nihilominus tamen Deus non tenetur ex iustitia compensare illa, secluso pacto et

promissione. Unde recte et breviter dici potest, eiusmodi opera, seclusa promissione, esse digna vita aeterna, non dignitate iustitiae, sed proportionis medii ad finem. At posita promissione, mereri vitam aeternam ex iustitia ». Becanus Tr. 4 de Mer. Cath. C. 5. q. 1. n. 12. « Sexta conditio (meriti), ait Billuart de Grat. Diss. 6. art. 1., est ordinatio seu promissio et pactum Dei ordinantis bonum opus ad praemium seu mercedem: non quod bonum opus valorem seu condignitatem suam intrinsecam habeat ab illa promissione; sed quia ultra dignitatem, quam totam habet ex gratia, necessaria sit promissio de mercede reddenda, ad hoc ut qui ex gratia est bene operatus habeat ius ad mercedem, et Deus obligetur illi reddere. Ita communiter ».

32. Meritum de condigno apud Deum praecedit revera divina promissio facta tali operi, vel, quod idem est, homini sub conditione talis operis. Id enim positive constat ex Sacra Scriptura et Patrum traditione, et melius rationi congruit. Meritum enim de condigno in actu secundo praeter condignitatem et aequalitatem importat ius actuale ad praemium ex parte merentis, et debitum ex parte praemiantis. Atqui Deus non potest obligari ab alio nisi a se ipso et a sua promissione. Hinc Conc. Moguntinum cap. 8. ait: Iustorum opera sunt digna remuneratione vitae aeternae, quia Deus bene operantibus mercedem misericorditer promisit. Bellarm. de Iustific. l. 5. C. 14. Ac si S. Thomas dicit Deum non esse *simpliciter* aliis debitorem, sed sibi, Angelicus Doctor attendit ad primam radicem illius debiti, quae nequit esse alia, nisi Deus ipse, suam interponens promissionem. Quia igitur « actio nostra non habet rationem meriti, nisi ex praesuppositione divinae ordinationis, non sequitur quod Deus efficiatur *simpliciter* debitor nobis, sed sibi ipsi, in quantum *debitum* est, ut sua ordinatio impleatur ». S. Th. 1. 2. q. 114. a. 1. ad 3. — Quare meritum hominis iusti coram Deo, non est utique de rigore iustitiae. Rigor iustitiae requirit talem contractum, ut inter contrahentes nulla intercedat gratia et liberalitas, in qua meritum fundetur. Hoc autem non fit inter Deum et hominem, quia totum meritum hominis fundatur in gratia et liberalitate Dei, praesertim in gratia iustificante, quae illi gratis datur, et in liberali promissione Dei, qua voluit praemium retribuere meritis nostris, quae multis titulis ipsi debita sunt. Accedit etiam, secundum communem Scholasticorum sententiam, Deum remunerari opera iustorum supra condignum. — Reddere tamen praemium meritis condignum ad iustitiam utique pertinet, secundum *aequalitatem* seu *proportionem* servandam inter praemium et meritum. Verum haec iustititia seu aequalitas servanda potest inniti tantum in sapienti Communitatis Gubernatione, ut eruitur ex S. Th. 1. 2. q. 21. a. 4., adeoque in iustitia legali; potest inniti in gratuita omnino promissione, adeoque in fidelitate; et potest inniti etiam in aliqua conventione et

pacto, adeoque in iustitia aliquo saltem modo commutativa. Hinc praemium meritis condignum reddere erit opus iustitiae etiam, si spectetur *debitum* et eiusdem *obligatio*. Sunt qui in merito theologico omnem denegant iustitiae debitum in Deo, etiam Dei promissione supposita, et admittunt solam fidelitatis obligationem, quatenus nempe foret Deus infidelis, si promissum non servaret, sed nemini faceret iniuriam. Verum sunt etiam qui *debitum* admittunt *iustitiae* ex divina promissione, qua non solum debito fidelitatis, verum etiam debito iustitiae, promissam remunerationem reddere Deus tenetur. — Lugo de Incarn. D. 3. S. 1. 2.; Suarez l. c. cap. 18.; Bellarm. de Iustif. l. 5. cap. 17.

33. Supposita hac liberali Dei promissione, vitae aeternae, « quam repromisit Deus diligentibus se » Iac. 1., 12.; consequitur Deum *debere nobis* seu meritis nostris praemium vitae aeternae, ex aliqua iustitia, neque illud *sibi soli debere*, ex mera sua liberalitate et fidelitate, ut communissima sententia est. « Impetratio orationis, ait S. Th. 1. 2. q. 114. a. 6. ad 2., innititur misericordiae; meritum autem condigni innititur iustitiae; et ideo multa orando impetrat homo ex divina misericordia, quae tamen non meretur secundum iustitiam ». Cf. etiam ib. a. seq. ad 1. Unde idem S. Th. in 2. D. 27. a. 3. in priore resp. ad 4. inquiens quod « Deus non efficitur debitor nobis », addit: « Nisi forte ex promisso; quia ipse bona operantibus praemium repromisit, et ideo non est inconveniens, si ab ipso quis mereri possit, ex quo aliquo modo debitor est ». Et S. Scriptura aperte ait vitam aeternam esse *coronam iustitiae*, quam reddet Dominus *iustus iudex*, 2. ad Tim. 4., 7. 8.; eam reddi *secundum debitum*, ad Rom. 4., 4.; eam esse *mercedem*, Sap. 5., 16.; Matth. 5., 12.; *retributionem*, ad Col. 3., 23. 24.; *remunerationem*, ad Hebr. 10., 35.; retributionem; quae debetur *ex conventione*, Matth. 20. Quare vita aeterna plus quam ex simplici fidelitate debetur, sed ex aliqua vera iustitia. « Non est iniustus Deus, qui iustos fraudat mercede iustitiae ». S. Aug. contra Iulian. l. 4. C. 3., Bellarm. de Iustif. l. 5. C. 14. 18. Ratio patet. Nam, ut recte arguit Sylvius in 1. 2. q. 114. a. 3. quaer. 5. concl. 1., « promissio sub conditione operis condigni inducit obligationem ex iustitia, si ea fuerit acceptata, et opus illud praestetur; Deus autem promisit vitam aeternam sub conditione boni operis; quod quando ex gratia proficiscitur in homine iusto, habet condignitatem; et non dubium est, iustum eam promissionem sive explicite sive implicite acceptasse. Ergo inde nascitur obligatio iustitiae. Atqui Deus est, qui promissionem illam fecit. Ergo Deus est, qui debet. Ille namque est mercedis debitor, qui operarium conduxit et mercedem promisit ».

34. Haec iustitia de iustitia commutativa simul et distributiva participat. Etenim formalis commutativae iustitiae ratio in commu-

tatione dati et accepti sita est, rei ad rem servans aequalitatem, ac ius suum cuique tribuens. Iam age inter meritum et retributionem vera intercedit commutatio et dati et accepti; nam unum pro alio reapse datur. Deus autem meritoria opera remunerans aequalitatem illam servat. Qui enim « reddit unicuique secundum opera eius » Matth. 16. 27., ad Rom. 2., 6.; Qui « facit locum unicuique secundum meritum operum suorum » Eccl. 16., 15.; Qui « unicuique mercedem dat secundum suum laborem » 1. ad Cor. 3., 8.; praemium meritis aequale plane retribuit. Insuper herus vineae « ex denario convenit cum operariis suis », Matth. 20., 14., ac singulis quod *suum* est tribuit. « Tolle, inquiens, *quod tuum est* et vade ». Ac Apostolus « *depositum suum* » ex iustitiae aequitate a iudice expostulat iustissimo. « Certus sum, quia potens est *depositum meum* servare in illum diem iustus iudex ». 2. ad Tim. 1., 12. Ius sane praemii propriis laboribus et aequalibus operibus partum, ac in pacto « dabo si feceris » remunerantis fundatum, ius proprium est, quod morali existimatione possessioni ipsi, seu iuri in re aequiparatur. Quapropter, si vera, in iustitia Dei praemium meritis retribuentis, adest *dati* et *accepti* commutatio, si praemii et meriti *aequabilitas* non desideratur, si *ius proprium hominis* respectu Dei, utut in Dei pacto tamquam in solido ac firmissimo fundamento superstructum, abunde deprehenditur, profecto ea iustitia commutativae iustitiae veram ac formalem rationem continet. Hinc Conc. Trid. S. 6. C. 16. postquam dixerit vitam aeternam bonis operibus et meritis iustorum *fideliter* reddendam, prout *fidelitas* generalis est omni promissioni, statim eam specificans addit: « Haec est enim illa *corona iustitiae,* quam post suum certamen et cursum *repositam sibi* esse aiebat Apostolus, a iusto iudice *sibi reddendam*, non solum autem sibi, sed et omnibus qui diligunt adventum eius ». Suarez de Grat. 12. cap. 30.

35. Aequalitatem meriti condigni ad praemium agnoscit Angelicus Doctor 2. D. 27. a. 3. et 1. 2. q. 114. a. 3., ubi ad 3.um ait: « Dicendum quod gratia Spiritus Sancti, quam in praesenti habemus, etsi non sit aequalis gloriae in actu, est tamen aequalis in virtute, sicut semen arboris, in quo est virtus ad totam arborem. Et similiter per gratiam inhabitat hominem Spiritus Sanctus, qui est sufficiens causa vitae aeternae, unde et dicitur esse pignus haereditatis nostrae, 2. ad Cor. 1. ». Ius in homine ib. in c. agnoscit S. Th. inquiens: « Attenditur etiam pretium operis secundum dignitatem gratiae, per quam homo consors factus divinae naturae adoptatur in filium Dei, cui debetur haereditas ex ipso iure adoptionis, secundum illud ad Rom. 8., 17.: *si filii et haeredes* ». Commutationem item dati et accepti, adeoque commutativam iustitiam explicite agnoscit idem Angelicus Doctor: « Forma divini iudicii attenditur secundum rationem commu-

tativae iustitiae, prout scilicet recompensantur praemia meritis et supplicia peccatis ». S. Th. 2. 2. q. 61. a. 4. ad 1. « Retributio proportionalis pertinet ad iustitiam commutativam, quando attenditur secundum debitum legale, puta si pacto firmetur ut tantum pro tanto retribuatur ». S. Th. 2. 2. q. 106. a. 1. ad 2., 3. p. q. 85. a. 3.

36. Non omnem vero commutativam iustitiam removet Angelicus Doctor a Deo, sed iustitiam tantum commutativam proprie dictam, quae includit *aequalitatem quantitatis*, seu *perfectam aequalitatem*, non iustitiam commutativam minus proprie talem, quae sistit in aequalitate respectiva et proportionis. « Hoc autem pertinet, ait S. Th., *ad modum commutativae iustitiae*, non quidem secundum aequalitatem quantitatis servatae, secundum quod requiritur in commutativa iustitia proprie dicta, sed servatae secundum aequalitatem proportionis; quia scilicet ita se habet Deus ad id quod superabundanter facit sicut creatura ad id quod deficit... Inter dominum et servum non potest esse iustitia commutativa proprie dicta; non enim potest aliqua aequalitas secundum quantitatem inter eos constitui, cum totum quod est servi sit domini; servatur tamen aliquis modus iustitiae commutativae, prout inter eos invenitur aequalitas proportionis. Unde etiam Philosophus distinguit dominativum iustum a iusto politico, quod est proprie dictum; et per hunc etiam modum potest esse iustitia Dei ad creaturas ». 4. D. 46. q. 1. a. 1. q. 3. c. ad 4.

37. De iustitia distributiva vero vitae aeternae retributio participat eo ipso quod unusquisque praemium suis meritis aequale recipit. Prout enim maiora vel minora erunt merita, maius vel minus erit praemium, debitam cum illis servans proportionem non ex insufficientia praemii, sed ex ipsa rei natura, quia ex una aequalitate necessario resultat alia, supponita personarum multitudine et praemiorum varietate. Suarez de Grat. l. 12. C. 32. « In redditione praemii ad merita *magis servatur forma distributionis*, cum ipse unicuique secundum opera sua reddat, *quam commutationis*, cum Deus a nobis nihil accipiat ». S. Th. 2. D. 27. q. 1. a. 3. Nihil quidem Deus accipit a nobis, et nobis tamen debitor factus est Deus, ut iam dictum est, sua promissione. Unde August. Serm. 16. de Verbis Domini ait: « Debitor nobis factus est Deus non aliquid accipiendo, sed quod placuit promittendo ». Et S. Bernard. in lib. de Grat. et libero arbitrio in fine: « Promissum quidem ex misericordia, sed tamen ex iustitia persolvendum ». Ac iustitiae formam et proportionem opus inter et praemium servat Deus, ut indicatur Matth. 7., 2.; 10., 41. et 1. ad Cor. 3., 8. « Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem ». In retributione ergo vitae aeternae servatur forma iustitiae commutativae et distributivae. Nam Deus non solum dat unuicuique tantum praemium, quantum meritus est, quae est forma

iustitiae commutativae, in qua servatur aequalitas rei ad rem seu dati et accepti; sed etiam servat hanc proportionem inter merita et praemia, ut quo quisque maiora habet merita, eo maiora praemia recipiat. Becanus Tr. 4. de Merito Cathol. C. 5. Q. 8. n. 6.

38. Opus meritorium ex gratia et Spiritu Sancto procedens potest comparari ad Deum retributorem. Et sic sola ratio iusti dominativi seu paterni habetur. Etenim inter Deum et creaturam quamcumque multo minus quam inter patrem et filium potest esse iustum simpliciter. Nam homo in gratia creatura pura est, et filius adoptivus non plus iusti sortitur apud patrem, quam filius simpliciter. Et confirmatur ex illo Apostoli 2. ad Tim. 4.: *Quam reddet Dominus, iustus iudex*. Si autem referatur ad mercedem, scilicet ad vitam aeternam, sic est ratio iusti simpliciter et aequalitas, aequalitas tamen non in actu, sed in virtute, sicut est semen arboris, in quo est virtus ad totam arborem, fons ad aquam salientem, pignus ad debitum. « Circa rationem iusti, ait Caietan. in 1. 2. q. 114. a. 1., inventam in merito hominis apud Deum, adverte, quod meritum tale ultra respectus quos habet ad hominem merentem et Deum ut praeordinantem, habet duos alios: alterum ad mercedem, alterum ad redditorem mercedis. Et quidem si comparetur meritum hominis ad Deum, nunquam invenietur iustum simpliciter. Sed si comparetur meritum hominis ad mercedem debitam secundum se, sic non inconvenit aequivalere meritum praemio reddendo, et ordinari a Deo actum tanti valoris ad aequivalens praemium. Et quoniam merces reddenda a Deo, quantumcumque secundum se sit aequivalens merito, ut tamen redditur a Deo, excedit meritum hominis, cuius ad Deum non potest esse aequalitas simpliciter in aliquo; ideo simpliciter hominis ad Deum non potest esse meritum simpliciter, sed secundum proportionem, quamvis hominis ad ipsam mercedem absolute possit esse meritum simpliciter et iustum ».

39. Ad meritum de condigno requiritur tandem, ut quis sibi mereatur. — « Opus nostrum habet rationem meriti ex duobus: primo quidem ex vi motionis divinae, et sic meretur aliquis ex condigno; alio modo habet rationem meriti, secundum quod procedit ex libero arbitrio, in quantum voluntarie aliquid facimus; et ex hac parte est meritum congrui: quia congruum est, ut dum homo bene utitur sua virtute, Deus secundum superexcellentem virtutem excellentius operetur. Ex quo patet quod merito condigni nullus potest mereri alteri primam gratiam, nisi solus Christus: quia unusquisque nostrum movetur a Deo per donum gratiae, ut ipse ad vitam aeternam perveniat; et ideo meritum condigni ultra hanc motionem non se extendit. Sed anima Christi mota est per gratiam non solum, ut ipse perveniret ad gloriam vitae aeternae, sed etiam ut alios ad eam adduceret, in

quantum est caput Ecclesiae, et auctor salutis humanae... sed merito congrui potest alteri mereri primam gratiam; quia enim homo in gratia constitutus implet Dei voluntatem, congruum est, secundum amicitiae proportionem, ut Deus impleat hominis voluntatem in salvatione alterius, licet quandoque possit habere impedimentum ex parte illius, cuius aliquis sanctus iustificationem desiderat. » S. Th. 1. 2. q. 114. a. 6.; Suarez l. c. C. 16.

40. Ad meritum de congruo sufficit, ut adsint conditiones ad meritum universim requisitae, et vel una desit ex requisitis ad meritum de condigno. — Etenim quod status gratiae non sit necessarius ad meritum de congruo communis theologorum sententia est inter quos est S. Th. 2. D. 27. q. l. a. 4., Suarez l. c. C. 34. n. 1.-3. Quod autem ad meritum de congruo non sit necessaria conditio illa sibi merendi communis etiam est theologorum sententia. Ita docet idem S. Th. 1. 2. q. 114. a. 6.; Suarez l. c. C. 35. Ad promissionem quod spectat, promissio praemii sub conditione talis operis non repugnat merito de congruo, neque continuo meritum reddit de condigno. Ad meritum enim de condigno habendum non sufficit sola promissio, etiam sub conditione operis, sed oportet ut supponat operis condignitatem, secundum aequalitatem proportionis. Cf. Suarez l. c. C. 24. n. 37., C. 36. n. 4.-6. Promissio vero non est necessaria ad meritum de congruo. Verum, prout meritum de congruo habeat adiunctam promissionem praemii vel illa careat, meritum de congruo aliud est infallibile h. e. habens infallibilem retributionem, quae saltem sine infidelitate negari non potest, aliud est fallibile h. e. cuius retributio suspendi, aut negari potest, quia non ex aliqua praecisa obligatione, sed solum ex quadam decentia, seu congruitate datur, quando retribuitur. — Porro ad meritum de congruo *requiruntur* conditiones ad meritum universim necessariae; nam meritum de congruo est verum meritum. *Sufficiunt:* nam 1°. potest deficere operis aequalitas, quia merito de congruo non ex iustitia, sed ex quadam tantum decentia praemium debetur. 2°. Potest deficere status iustitiae; quia deficiente statu iustitiae deficit ubique valor condignitatis operis cum praemio, non valor congruentiae etiam eiusdem operis cum praemio. 3°. Potest deficere Dei promissio, nam ut actus sit meritorium de congruo, sufficit quod in se habeat bonitatem quandam proportionatam, ita ut ratione talis operis seu eius intuitu possit Deus beneficium aliquod homini conferre. Atqui actus potest esse huiusmodi, licet non habeat promissionem talis praemii. Nam 1°. illa bonitas actus proportionata aliquo modo praemio illi intrinseca est; neque ullo pacto pendet a promissione, quae extrinseca illi est. 2°. Illa praemii redditio intuitu ipsius operis potest etiam fieri absque ulla promissione praevia, sed per gratuitam Dei acceptationem, opus consequentem. 3°. Potest deficere conditio

sibi merendi. Nam secundum legem amicitiae, congruum est ut amicus faciat honestam voluntatem amici. Atqui vera amicitia intercedit inter hominem et Deum. Ergo congruum est, ut Deus impleat hominis voluntatem in salvationem alterius. S. Th. 2. D. 27. q. 1. a. 3., ib. a. 4., 1. 2. q. 114. a. 6. — Meritum de condigno est meritum perfectum, meritum de congruo est meritum imperfectum. Ut ad omne perfectum exiguntur conditiones omnes, requisitae ita ad imperfectum sufficit vel unius conditionis requisitae defectus.

41. Postremo, quantum ad obiectum meriti; 1°. *prima gratia actualis* nullo modo sub merito cadit. — Etenim nonnisi naturae actibus eam mereremur, quod esse nequit.

42. 2°. *Secundam gratiam actualem*, sed *efficacem*, de condigno mereri non possumus. — Secus enim sequeretur vel iustum bene operantem ex vi sui meriti in gratia confirmari; vel lapsum post iustificationem in peccatum suum non habuisse meritum de condigno.

43. 3°. Possumus de congruo mereri alia gratiae auxilia, etiam efficacia. — Deus enim solet opera bona tum iusti tum peccatoris acceptare, ex sua bonitate et indulgentia, qua facienti ex viribus gratiae quod in se est non denegat gratiam ulteriorem saepe coniunctam cum effectu. Quare possumus nobis mereri gratias uberiores et efficaces ad tentationes vincendas, et ad gratiam sanctificantem recipiendam, conservandam, augendam.

44. 4°. Potest iustus de condigno mereri gratias actuales, quatenus ex se sufficientes sunt, ut possit illis cooperari et salvari, si velit. — Nam « omnia illa cadunt sub meritum de condigno, quae homini iusto, post acceptam primam gratiam necessaria sunt ad vitam aeternam consequendam. At eiusmodi sunt auxilia gratiae actualis. Ergo haec auxilia cadunt sub meritum de condigno. Et confirmatur... ab oppositio; quia si iustus non posset mereri auxilia gratiae, quae ipsi necessaria sunt ad consecutionem vitae aeternae, iam nec ipsam consecutionem vitae aeternae mereri posset, quod est absurdum ». Becanus de Grat. C. 5. q. 6. n. 2.; Valentia q. 6. de Grat. par. 4. assertion. 4. 5. Cf. hic n. 51.

45. 5°. Non possumus de condigno mereri *primam gratiam iustificantem*. Nam meritum de condigno non habetur sine statu gratiae. Conc. Trid. S. 6. C. 8., S. Th. 1. 2. q. 114. a. 5. — Possumus *primam gratiam iustificantem* de congruo mereri. « Et sic Deus dat gratiam indignis, quia his qui non sunt sufficienter ad hoc digni; sed tamen habent aliquam dispositionem ad recipiendum, ex quo dicuntur quodammodo ex congruo gratiam mereri, nec ex hoc sequitur quod sit *iniustus*, sed *liberalis* ». S. Th. 2. D. 27. q. 1. a. 4. ad 4. Dispositiones, quibus de congruo meremur praedictam gratiam sunt actus fidei, spei, charitatis, poenitentiae.

46. 6°. De fide est posse iustos mereri augmentum gratiae et gloriae, ex Conc. Trid. S. 6. can. 32. — Disputatur, utrum de condigno mereri possint etiam primam gloriam, ad quam ex vi gratiae sanctificantis primo infusae homo acceptatur. Alii negant, alii affirmant, inter quos est S. Th. 1. 2. q. 112. a. 2. ad 1. « Praeparatio hominis, ait S. D., ad gratiam habendam quaedam est *simul* cum ipsa infusione gratiae, et talis operatio est quidem meritoria, sed *non gratiae,* quae iam habetur, *sed gloriae*, quae nondum habetur », et quae prima gloria evidenter est. Suarez l. 12. C. 28. Sacra Scriptura promittens gloriam tanquam mercedem operibus bonis ac meritis, in sensu proprio et naturali ac usitato, non promittit partem tantum gloriae, et augmentum gloriae, sed gloriam simpliciter promittit, seu gloriam totam, eiusque substantiam. « *Si vis ad vitam ingredi*, serva mandata ». Matth. 19., 17. Itemque Conc. Trid. S. 6. C. 16. absolute tradit iustis « proponendam esse vitam aeternam, et tanquam gratiam filiis Dei per Christum Iesum misericorditer promissam, et tanquam mercedem ex Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis reddendam ». Et can. 32. sub merito recenset non solum *augmentum gloriae*, sed etiam simpliciter *vitam aeternam.* Dicendo enim primum simpliciter *vitam aeternam,* gloriam totam includit; addendo deinde *augmentum gloriae* aperte declarat per *vitam aeternam* intellexisse ipsam substantiam gloriae ab eius initio, quod idem est ac gloria prima. Actus ergo ille contritionis e. g. quo homo se praeparat et proxime disponit ad gratiam iustificantem, simul *tempore* est cum gratia sanctificante, gratia enim in instanti infunditur. Verum illa contritio in primo instanti naturae, cum sit actus personae nondum sanctificatae per gratiam sanctificantem, gratiam utique de congruo meretur, sed gloriam de condigno mereri non potest. In secundo autem instanti naturae, idem ille actus iam est per sanctificantem gratiam dignificatus, et de condigno primam gloriam meretur.

47. 7°. Non potest iustus sibi mereri de condigno reparationem post lapsum. — Etenim hoc ipso quod iustus peccat fit indignus vita aeterna, et dignus poena aeterna, et consequenter potest statim hac poena puniri, et nullo modo iterum disponi ad iustificationem et ad vitam aeternam. Conc. Trid. S. 6. C. 8., S. Th. 1. 2. q. 114. a. 7.

48. 8°. Potest probabiliter iustus de congruo reparationem post lapsum mereri. — Fundatur probabilitas huius assertionis in quadam decentia iustitiae divinae latius sumptae, ut Deus non obstante peccato superveniente recordetur praecedentium meritorum, illorumque intuitu excitet peccatorem ad resurgendum a peccato; praesertim, ubi merita insignia praecesserint, et peccatum subsequens ex vehementi aliqua tentatione, aut humana fragilitate committitur. Confirmatur, quia, experientia teste et Patribus sponsoribus, iustus facilius

resurgit a lapsu; et quia potest alteri etiam peccatori gratiam iustus de congruo mereri; ergo et sibi ipsi peccatori.

49. 9°. Perseverantiam finalem de condigno mereri non possumus. — Etenim ex Sacra Scriptura et Patribus incerta est perseverantia; adeoque eius non adest promissio, quae ad meritum de condigno necessaria est. Confirmatur ex eo quod constet iustos post excellentissima merita quandoque perseverantiam non esse consecutos.

50. 10°. Possumus de congruo mereri perseverantiam finalem. — Videtur enim omnino congruum, ut bene operans, Deumque frequenti oratione sollicitans, dum voluntarium obicem non ponit, obtineat gratiam salutis; partim quia id postulat suavissima Dei gubernatio et amor in suos; partim quia utilitas hominum requirit, ut proposito coelesti praemio acuantur ad bene et instanter tum orandum, tum operandum.

51. Hinc patet bene simul consistere posse meritum de congruo cum impetratione. Ratio, in hac, dona largiendi Dei misericordia est, et promissio propter Iesu Christi merita. Ratio vero, in illa, bona largiendi est simul Dei liberalitas et aliqua saltem dignitas operis Deo oblati, quam Deus sua respicit benignitate.

52. 11°. Temporalia bona, prout ad opera virtutum, quibus in vitam aeternam perducimur utilia sunt, sicut simpliciter bona dici possunt, ita etiam simpliciter ac directe sub merito cadunt. Prout vero secundum se considerantur, sicut simpliciter bona hominis non sunt; ita non simpliciter cadunt sub merito, sed secundum quid. — « Dicendum, ait S. Th. 1. 2. q. 114. a. 10., quod illud, quod sub merito cadit, est praemium vel merces, quod habet rationem ' alicuius boni. Bonum autem hominis est duplex, unum simpliciter, aliud secundum quid. Bonum hominis simpliciter est ultimus finis eius.... et per consequens omnia illa quae ordinantur, ut ducentia ad hunc finem; et talia simpliciter cadunt sub merito. Bonum autem secundum quid et non simpliciter hominis est quod est bonum ei ut nunc, vel quod ei est secundum quid bonum; et huiusmodi non cadunt sub merito simpliciter, sed secundum quid. Secundum hoc ergo dicendum est, quod si temporalia bona considerentur, prout sunt utilia ad opera virtutum, quibus perducimur in vitam aeternam, secundum hoc directe et simpliciter cadunt sub merito, *sicut et augmentum gratiae,* (quod de condigno meretur), et omnia illa, quibus homo adiuvatur ad perveniendum in beatitudinem post primam gratiam. Tantum enim dat Deus viris iustis de bonis temporalibus, et etiam de malis, quantum eis expedit, ad perveniendum ad vitam aeternam; et in tantum sunt simpliciter bona huiusmodi temporalia. Unde dicitur Ps. 33., 2.: *Timentes autem Dominum non minuentur omni bono;* et alibi Ps. 36., 25.: *Non vidi iustum derelictum*, etc. Si

autem considerentur huiusmodi temporalia bona secundum se, sic non sunt simpliciter bona hominis, sed secundum quid; et ita non simpliciter cadunt sub merito, sed secundum quid; in quantum scilicet homines moventur a Deo ad aliqua temporaliter agenda, in quibus suum propositum consequuntur, Deo favente; ut sicut vita aeterna est simpliciter praemium operum iustitiae per relationem ad motionem divinam,... ita temporalia bona in se considerata habeant rationem mercedis, habito respectu ad motionem divinam, qua voluntates hominum moventur ad haec prosequenda; licet interdum in his non habeant homines rectam intentionem ». Hinc iuxta mentem S. Th. non tantum iusti, verum etiam peccatores possunt per opera moraliter bona de congruo temporalia bona mereri. Bona autem temporalia non dantur iustis, secundum proportionem et quantitatem meritorum, sed prout magis vel minus conducunt ad vitae aeternae consecutionem. Unde fit, ut multi iusti relinquantur in paupertate, alii divitiis abundent, alii mediocriter temporalia bona obtineant, prout illis magis expedit ad salutem.

53. 12°. Meritum in alterius favorem soli Christo proprium est, tamquam capiti universorum, et de cuius plenitudine nos omnes accepisse testatur Ioann. 1., 16. Possumus tamen de congruo alii mereri etiam primam gratiam habitualem et auxilia gratiae actualia, et ipsam primam gratiam actualem, quam nobis mereri non possumus. Ratio iam indicata est n. 39. Huiusmodi tamen meritum infallibile non est, ut aperte constat ex ratione S. Th. cit. num. relata et ex Sacra Scriptura. Deus Samueli dixit: « Usquequo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum, ne regnet in Israel? » 1. Reg. 16., 1. Item Ezech. 14., 16.: « Tres viri isti (nempe Noe, Daniel et Iob) nec filios nec filias liberabunt; sed ipsi soli liberabuntur ». Et Ierem. 15., 1.: « Si steterit Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum ».

54. Ex eo vero quod opera nostra meritoria Deo pro aliis offerimus, non ideo meritum nostrum imminuitur, sed potius augetur. Cum enim charitas proximi nos impellit, ut aliorum salutem procuremus, meliora facimus opera, quibus vitae aeternae praemium abundantius nobis retribuetur. Unde meritum de congruo non excludit meritum de condigno operum bonorum iusti, quae praeter hanc vim meritoriam, vim etiam habent impetratoriam et satisfactoriam.

A. M. D. G.

INDEX COMMENTARIORUM
ANALYTICUS

Praenotiones. — Varia actuum humanorum consideratio in seipsis, in ordine ad eorum principium, in ordine ad eorum finem . . Pag. 3

I. DE VOLUNTARIO . . . . . » ib.

1. Voluntarii intrinseca natura num. 2. 3. Eius intrinseca elementa: cognitio 4. 5., voluntarietas 6. 7. Cognitio intellectualis praerequisita 8. Principium intrinsecum omnino essentiale 9. 11. Discrimen a volito 10., a naturali, a violento 11. Varia acceptio 12. seqq. Permissum 20. Involuntarium 21. 22. Voluntatis obiectum 23. seqq. Voluntatis motio 27. seqq. Actus ad voluntarium requisitus 43. seqq.

II. DE LIBERO . . . . . » 33

2. Liberi notio et existentia num. 1. 2. Activa potestas 2. Immunitas ab intrinseca necessitate 3. Activa ad agendum indifferentia 4. Doctrina S. Thomae 5. seqq. Libertatis fundamentum 11. 12. Iudicium praevium practicum eligibilitatis 13. Obiectum necessario voluntatem movens 14.

III. DE ACTIBUS VOLUNTATIS ELICITIS ET IMPERATIS . . . » 41

3. Varia partitio num. 1. seqq. 10. Amor 5. Odium 6.-8. Desiderium, fuga 8. 9. Delectatio, tristitia 8. 9. Spes, desperatio 9. 17. Audacia, timor 8. Ira 8. — Voluntas seu simplex volitio 11. 12. Intentio 13. seqq. Fruitio 21. seqq. Electio 28. seqq. Consilium 33. seqq. Consensus 41. seqq. Usus 45. seqq. Imperium 50. seqq.

IV. DE ALIIS VOLUNTARII PARTITIONIBUS . . . . . » 68

4. Voluntarium perfectum, imperfectum num. 1.-3. Simpliciter, secundum quid 4. seqq. Completum, incompletum 7. seqq. Directum, indirectum 9. seqq. In se, in causa 12. seqq. Actuale, habituale, virtuale, interpretativum 39. seqq. Expressum, tacitum, praesumptum de praesenti, de futuro 46. seq.

V. DE IGNORANTIA . . . . . » 92

5. Ignorantia antecedens, concomitans, consequens num. 2. seqq. Vincibilis, invincibilis 10. seqq. An sit peccatum 8. 13. 14. An sit causa peccati 15. seqq. An excuset a peccato 17. seqq. An diminuat peccatum 20. seqq. Species peccati ex ignorantia 26. seqq. Actiones ex contracto habitu 30. seq.

VI. DE CONCUPISCENTIA . . . . . Pag. 104

6. Concupiscentiae declaratio num. 1. seqq. An causet involuntarium 8. Antecedens, consequens 9. Illa minuit voluntarium 10. seqq. Ista praesupponit actum voluntarium, et reddit voluntarium, et magis voluntarium in causa, quo ipsa intensior est 13. seqq. An meritum et demeritum diminuat 15. seqq. An passio diminuat peccatum 17. seqq. An totaliter excuset a peccato 20. 21. An pravae concupiscentiae motus sint semper peccata 22. seqq. An consuetudo et habitus augeant voluntarium aut liberum 27. An gratia augeat voluntarium aut liberum 28. 29.

VII. DE METU . . . . . » 116

7. Metus declaratio num. 1. seqq. Partitio 5. seqq. An causet involuntarium 10. seqq. 15. An invalidet contractus 14. An preces importunae constituant metum gravem 16. An metus gravis excuset a culpa 17. seqq. An matrimonium validum reddere possit 20.

VIII. DE VI SEU VIOLENTIA. . . . . » 122

8. Violentiae declaratio num. 1. seqq. An voluntati violentia quoad actus elicitos inferri possit 6. seqq. An quoad actus imperatos 8. seqq. An causet involuntarium 11. seqq.

IX. DE MORALITATE HUMANORUM ACTUUM . . . . . » 126

9. Generica et specifica consideratio humanorum actuum num. 2. Variae appellationes 3. seqq. Moralitatis fundamentalis ratio 9. seqq. Eiusdem formalis ratio 14. seqq. Manifestatio per rationem 19. seqq. Regulae fundamentalis et formalis extensio et comparatio 22. seqq. Agere propter spem remunerationis vel ex poenarum metu 25. Lex positiva 26. Utrum moralitas. reperiatur tantum in interiori voluntatis actu, an etiam in exteriori actu 27. seqq. Utrum bonum et malum morale in passionibus animae inveniatur 34.

X. DE MORALI BONITATE ET MALITIA . . . . . » 146

10. Duae humanorum actuum morales species; boni, mali num. 1. An dentur actus humani indifferentes 2. An ad moralem bonitatem humanorum actuum necesse sit eos in Dei gloriam dirigere 3. Bonum et malum; rectum et peccaminosum; laudabile et culpabile; morale et honestum, utile, delectabile 4. seqq.

XI. DE OBIECTO ACTUUM HUMANORUM . . . . . » 152

11. Obiecti declaratio num. 2. Ab obiecto actus humani desumunt primam et essentialem bonitatem aut malitiam moralem 3. seqq. Obiectum bonum et malus finis 7. Obiectum malum et bonus finis 8.

XII. DE FINE ACTUUM HUMANORUM . . . . . » 154

12. Quid et quotuplex finis num. 1. 2. Actus humani ex fine moralem bonitatem aut malitiam desumunt 3. A fine desumunt etiam speciem 4. seqq. Comparatio bonitatis ex obiecto et ex fine quoad actus

internos et externos, elicitos et imperatos 5. seqq. An intentio extrinseci finis possit intrinsece immutare naturam operis exterioris 9. Duplex finis; alius bonus, alius malus 10. Propter delectationem agere 11.

XIII. DE CIRCUMSTANTIIS HUMANORUM ACTUUM . . . . . Pag. 160

13. Circumstantiae notio num. 1. Ex circumstantiis etiam desumunt humani actus bonitatem et malitiam moralem 2. Multiplex humani actus bonitas vel malitia moralis 4. 5. An circumstantia naturam operis exterioris et interioris actus intrinsece possit immutare 6. Aggravantes, imminuentes, in infinitum aggravantes 7. 8. Mutantes speciem 9. seqq. Quaenam generatim sint mutantes speciem 14. Tripliciter speciem mutare possunt 15. An actus sit bonus, si circumstantia sit mala 16. Quot humanorum actuum circumstantiae numerentur 17. Quomodo variae circumstantiae sint considerandae 18.

XIV. DE MERITO . . . . . » 170

14. Meriti notio num. 1. seqq. Distinctio ab impetratione et a satisfactione 4. Naturale, supernaturale 5. De congruo, de condigno 6. Aequalitas in merito de condigno 7. seqq. meritum de congruo, infallibile, fallibile 13. Meriti propria causalitas 14. Comparatio meriti de congruo et de condigno 15. Ex quo capite meritum augeatur 16. Conditiones requisitae ad meritum theologicum ex parte operis meritorii 17. seqq. Ex parte personae merentis 24. Ex parte Dei remunerantis 25. Conditiones requisitae ad meritum de condigno ex parte ipsius operis 26. 27. Ex parte personae merentis 28. Ex parte Dei remunerantis 30. seqq. Divina ordinatio et promissio 31 seqq. An condignum praemium meritis de condigno reddere pertineat ad iustitiam et qualem 32. seqq. Conditiones requisitae ad meritum de congruo 40. Varia meriti obiecta 41. seqq.

INDEX ALPHABETICUS RERUM

Actio: Actio, actus I. 3. — Quid agere ib. 33. — Agere propter finem ib. 2. 40. Praenot. 1. — Agere propter delectationem XII. 11. — Propter spem remunerationis et poenarum IX. 25.

Actus elicitus: Duplex partitio III. 4. 10. — Amor ib. 5. — Odium ib. 6. — Desiderium, fuga ib. 4. 9. — Delectatio, tristitia ib. 4. 9. — Spes, desperatio ib. 9. — Audacia, timor ib. 9. — Ira ib. 9. — Voluntas, intentio, consilium, consensus, electio, imperium, usus, fruitio ib. 10. seqq.

Actus humanus: Quid Praenot. 1. — Varii respectus ib. 2., I. 1. — Actus hominis et humanus I. 2. — Voluntarius, liber, moralis ib. 3. 4. — Necessaria cognitio ib. 4. — Actus in statu amentiae et somni ib. 4. — Actus varii necessarii ib. 6. 7. 18. 19. — An sufficiat ad actum humanum sensilis cognitio ib. 8. — Voluntarietas ib. 4. 9. — Internus, externus; naturalis, supernaturalis; elicitus, imperatus III. 2. 3. seqq. — Indifferens X. 2. — An in gloriam Dei dirigendus ib. 3. — Multiplex bonitas XIII. 4. 5.

Amor: Quid III. 4. 5. 8. 16.; VI. 3. 17. 21. — Propter finem I. 40. Finis, medii ib. 41. — Concupiscentiae, benevolentiae ib. 5. 7. 8.

Appetitus: Quid I. 23. — Naturalis, elicitus ib. 11. 12. — Obiectum ib. 23.

Audacia: Quid III. 9.

Beatitudo: An actus humanus I. 6. — An voluntaria ib. 18.

Bonum: Quid, Finis et ea quae sunt ad finem I. 23. — Bonum et malum morale X. 1. 4. — Rectum et peccaminosum X. 5. — Laudabile et culpabile ib. 6. — Honestum ib. 7. seqq. — Utile ib. 8. 9. — Delectabile ib. — Quomodo intendatur XI. 6.

Causa: Per se, per accidens V. 15.

Circumstantia: Quid XIII. 1. — Tributi bonitatem et malitiam moralem ib. 2. seqq. — Ex parte obiecti, ex parte actus ib. 5. — Utrum immutet naturam operis exterioris et actus interioris ib. 6. — Aggravantes, minuentes ib. 7. — In infinitum aggravantes ib. — Notabiliter, leviter aggravantes ib. 8. Mutantes speciem ib. 9. seqq. — An actus sit bonus, si mala sit circumstantia ib. 16. — Quot humanorum actuum circumstantiae numerentur ib. 17. — Quomodo singulae circumstantiae sint considerandae ib. 18.

Concupiscentia: Impedimentum actus humani VI. 1. — Quid ib. 2. seqq. — Antecedens, consequens ib. 9. — Antecedens minuit voluntarium ib. 10. 11. — Actum intensiorem et faciliorem reddit ib. 12. — Consequens est signum magis voluntarii unde procedit ib. 13. 14. — Auget, voluntarium quod ex ea procedit ib. 14. — An concupiscentia meritum et demeritum diminuat ib. 15. 16. — An diminuat peccatum ib. 17. 18. 19. — An passio totaliter excuset a peccato ib. 20. 21. — An primi concupiscentiae motus sint semper peccata ib. 22. 25. — Resistere, consentire, passive se habere ib. 22. 26.

Consensus: Actus voluntatis III. 41. 46. — Ab electione distinctio ib. 42. 43. — An solum ad superiorem animae partem pertineat ib. 44.

Consilium: Actus intellectus, mediorum inquisitionem et iudicium complectens III. 33. — Inquisitio et inventio mediorum necessaria ib. 34. 35 Iudicium discretivum ib. 36. — Versatur circa ea quae a nobis aguntur ib. 37. — Et quae in dubium veniunt ib. 38. — Non semper electionem praecedit ib. 39. — In pueris et amentibus ib. 40.

Consuetudo: An augeat voluntarium VI. 27.

Culpa: Eius propria notio X. 6.
Delectatio: Quid III. 4. 9., VI. 3. 22. Sensibilis, spiritualis ib. 27., VI. 5. 6. — Bonum delectabile X. 8. 9. — Agere propter delectationem XII. 11.
Desiderium: Quid III. 4. 8. 9. 16. 17. — Efficax, inefficax ib.
Desperatio: Quid III. 9.
Electio: Genesis, natura, obiectum III. 28. 30. — Distinctio ab intentione ib. — Actus voluntatis ib. 29. — Circa humanos actus versatur ib. 31. — Libera semper est ib. 32.
Error: Quid V. 8. 9.
Finis: Quid III. 14. — Agere propter finem I. 40. — Quid, quotuplex XII. 1. 2. — Pronitatem et malitiam tribuit humano actui ib. 3. — Moralem tribuit actui speciem ib. 4. seqq. — An intentio extrinseci finis naturam operis exterioris possit immutare ib. 9. — An actus bonus sit, si duplicem habeat finem, alium bonum alium malum ib. 10. — Agere propter delectationem ib. 11.
Fruitio: Natura III. 21. — Obiectum ib. 22. — An tantum ultimi finis ib. 23. — Amor amicitiae et concupiscentiae ib. 24. — Perfecta, imperfecta ib. 25. — Propria, impropria ib. 26.
Gaudium: Quid III. 4. 8. 9.
Gratia: An minuat voluntarium VI. 28.
Habitus: An imputabiles actiones ex habitu V. 30. — An augeat voluntarium VI. 27.
Honestum: Quid X. 7. seqq.
Ignorantia: Impedimentum actus humani V. 1. — Antecedens, concomitans, consequens ib. 2. — An causet involuntarium ib. 3. seqq. — An reddat actum nullum ib. 7. — An sit peccatum ib. 8. seqq. — Invincibilis, vincibilis, ib. 10. — Affectata, crassa, supina, pure vincibilis, per accidens ib. 11. — Oblivio, inconsideratio, inadvertentia ib. 12. — Iuris, facti ib. 16. — An ex toto a peccato excuset ib. 18. 19. — An diminuat peccatum ib. 20. seqq. — Species peccatorum ex ignorantia ib. 26. 27. — An ignorantia vincibilis legis sit peccatum per se speciale ib. 28. — Quanta malitia sit peccatorum ex ignorantia ib. 29. — An sint imputabiles actiones ex habitu factae ib. 30.
Imperium: Natura III. 50. — Quibus intellectus actibus reperiatur ib. 51. — Quibus actibus voluntatis contineatur ib. 52. — An *usus* sit imperium ib. 53. — Varia imperii elementa ib. 54. — An imperium et actus imperatus sint unus actus ib. 55.
Impetratio: Eius vis XIV, 4.
Intentio: Quid III. 13. 17. — Actus voluntatis ib. — Circa finem ib. 14. 15. — An unus vel duplex actus volitionis quoad finem et ea quae sunt ad finem III. 18. — An possit quis plura intendere ib. 19. — Quaenam intentio praevalens ib. — Propter finem I. 40.
Involuntarium: Quid I. 21. — Contrarie, privative, negative ib. — Non voluntarium ib. — Simpliciter, secundum quid ib. 22.
Ira: Quid III. 9.
Laus: Eius propria ratio X. 6.
Liberum: In humanis actibus II. 1. — Quid ib. 2. — Immunitas ab intrinseca necessitate ib. 3. — Activa indifferentia ib. 4. — S. Thomas ib. 5. 9. — Praedeterminatio ad unum ib. 5. 6. 10. — Praemotio ib. 6. 7. 10. — Libertatis fundamentum ib. 11. — Motus primo primi, secundo primi, actus deliberati ib. 12. — Iudicium practicum ib. 13. — A nullo obiecto quoad exercitium actus voluntas ex necessitate movetur ib. 14.
Luxuria: Parvitas materiae IV.
Matrimonium: Cum intentione dissolubilitatis III. 20. — Cum impedimento dirimente ignorato I. 25. — An initum sub metu gravi, eoque ad copulam cogente, convalidetur VII. 20.
Malum: Morale X. 1. 4. — Peccatum ib. 5. — Culpa ib. 6. — Quomodo intendatur XI. 5.
Meritum: Quid XIV. 1. seqq. — Naturale, supernaturale ib. 5. — De condigno, de congruo ib. 6. seqq. — Meritum de congruo infallibile ib. 13. — Relatio meriti ad praemium ib. 14. — Relatio meriti de congruo ad meritum de condigno ib. 15. — Augmentum et diminutio meriti ib. 16. — Conditiones ad meritum generatim requisitae ex parte operis meritorii ib. 17. seqq. Ex parte merentis ib. 24. Ex parte Dei remunerantis ib. 25. Conditiones ad meritum de condigno requisitae ex parte ipsius operis meritorii ib. 26. 27. Ex parte personae merentis ib. 28. 29. Ex parte

Dei remunerantis ib. 30. seqq. Divina ordinatio et promissio ib. Praemium ex aliqua redditur iustitia, et non tantum ex fidelitate ib. 33. seqq. Haec iustitia de iustitia commutativa simul et distributiva participat ib. 34. seqq. Conditiones requisitae ad meritum de congruo ib. 40. Obiectum meriti ib. 41. seqq.

Metus: Quid VII. 1. seqq. — Levis, gravis ib. 5. seqq. — Intrinsecus, extrinsecus ib. 7. 8. — Iustus, iniustus ib. 8. — Reverentialis ib. 9. — Operari cum metu, ex metu ib. 10. — Voluntarium, involuntarium ex metu ib. 11. — Operari ex metu, ex vi ib. 12. — Operari ex metu ex concupiscentia ib. 13. — Contractus ex metu validus, rescindibilis ib. 14. — Metus influens in voluntatem rei simpliciter bonae ib. 15. — An preces importunae constituant metum gravem ib. 16. — An metus gravis excuset a culpa 17. 18. — An virgo teneatur permittere potius occidi quam violari ib. 19. — An matrimonium metu gravi contractum, ipso metu deinde ad copulam cogente, convalidetur ib. 20.

Missa: Iterum applicata III. 20.

Moralitas: Generatim inspecta IX. 1. 2. — Quoad nomen ib. 3. 4. — Actus moraliter boni vel mali, honesti vel turpes ib. 6. 7. — Bonum morale, honestum, utile, delectabile ib. 8. — Quoad rem ib. 9. — Moralitatis ratio fundamentalis ib. 9. seqq. — Ratio formalis ib. n. 14. seqq. — Norma fundamentalis moralitatis omnes humanos actus complectitur ib. 22. Regula formalis moralitatis omnes item humanos actus complectitur ib. 23. — Utriusque regulae comparatio ib. 24. — Honestum est agere propter spem remunerationis et poenarum metum ib. 25. — Lex positiva nequit omnem humanum actum regere ib. 26. — Naturaliter honesta, naturaliter turpia ib. 26. — An moralitas in interiori tantum voluntatis actu reperiatur, an etiam in actu exteriori ib. 27. seqq. — An actus exterior moralitatem aliquo modo addat actui interno ib. 30. 31. — An effectus moralitatem addat ib. 32. — An idem actus possit esse bonus et malus ib. 33. — An bonum et malum morale in passionibus reperiatur ib. 34. — Obiectum XI. — Finis XII. — Circumstantiae XIII.

Motus: Quid I. 33. — Sese movere ib. 33. 34. 35. — Motor ex parte subiecti et obiecti ib. 36. 37. — Motus primo primi, secundo primi, actus deliberati II. 12.

Naturale: Quid I. 9. 11.

Obiectum: Humanorum actuum moralitatis fons XI. 1. — Quid ib. 2. — Dat primam et essentialem speciem actui humano ib. 3. 4. — Quomodo bonum et malum obiectum intendatur ib. 5. 6. — Obiectum bonum, et malus finis ib. 7. — Obiectum malum et bonus finis ib. 8.

Odium: Quid III. 4. 6. 9. — Abominationis, inimicitiae ib. 6. 7. 8.

Passiones: Concupiscibilis, irascibilis VI. 3. seqq. — An passio diminuat peccatum ib. 17. 18. 19. — An passio totaliter excuset a peccato ib. 20. 21.

Peccatum: Eius propria notio X. 5. — Culpa ib. 6. — Sine actu I. 44.

Potentiae: Duplicis ordinis I. 36.

Permissum: Quid I. 20.

Poena:: Quid III. 9.

Propositum: Quid III. 12.

Ratio: Superior, inferior III. 44.

Satisfactio: Eius vis XIV. 4.

Sextum Decalogi Praeceptum: Voluntarium in causa IV. 33. seqq. — Causae influentes ib.

Spes: Quid III. 9. 16. 17.

Spontaneum: Quid I. 12.

S. Thomas: Doctrina circa motionem voluntatis I. 30. seqq. — Circa libertatem II. 5. seqq.

Timor: Quid III. 4. 9.

Tristitia: Quid III. 4. 8. 9.

Usus: Actus voluntatis III. 45. 46. — Proprie de mediis est ib. 47. — Electionem sequitur ib. 48. — An ab electione distinguatur ib. 49.

Utile: Quid X. 8. 9.

Vindicta: Quid III. 9.

Violentia: Quid VIII. 1. seqq. — Totalis, partialis; absoluta, secundum quid ib. 3. 4. 5. — Stuprum ib. 5. — Vis illata voluntati quoad actus elicitos et imperatos ib. 6. seqq. — Voluntarium, involuntarium ib. 11. 12.

Vis: Cf. *Violentia.*

Volitum: Quid I. 10.

Voluntarium: Quid I. 9. 20. — Quotuplex ib. 12. — Requisita ib. 13. — S. Thomas ib. 13. 14. 15. 16. 17. Cognitio praerequisita ib. 4. 5. 15. — Secundum rationem imperfectam et perfectam ib. 13. 14. 15. Actus voluntarius et voluntatis ib. 16. — Voluntarius actus in naturali fundatur ib. 17. — Liberum et necessarium ib. 12. 16. 17. 18. — Sine actu ib. 43. 44. 45. 46. — Perfectum, imperfectum IV. 2. 3. seqq. — Simpliciter, secundum quid ib. 4. 5. — Completum, incompletum IV. 7. — Directum indirectum I. 43. 44. 45. 46. 47. 48., IV. 9. — Omissio, omissionis effectus ib. 9. 10. 11. — In se, in causa ib. 12. 13. 14. — Positivum, negativum ib. 13. — Quid requiritur, ut pravus effectus voluntarius in causa ad culpam imputetur ib. 15. 16. 17. 18. — Quandonam teneatur quis causam non ponere, ratione pravi effectus ib. 19. 20. 21. 22. 23. 24. — Quandonam non teneatur ib. 25. 26. 27. 28. — An effectus graviter malus sit semper imputabilis ad gravem culpam ib. 29. seqq. Voluntarium in alio *causaliter* et simul in se involuntarium *obiective* ib. 32. — Voluntarium in causa circa VI. Decalogi Praeceptum ib. 33. — Quoad confessionem ib. 37. — Quandonam effectus volitus in causa imputetur ib. 38. — Actuale, virtuale, habituale, interpretativum ib. 39. seqq. — Licentia interpretativa ib. 44. — Hominem operari propter finem actualiter, habitualiter, virtualiter, interpretative ib. 45. Voluntas expressa, tacita, praesumpta, interpretativa ib. 46. 47.

Voluntas: Circa bonum tantum versatur I. 23. — Apprehensum determinatum, possibile ib. 4. 8. 24. — Circa rem iure impossibilem ib. 25. — An moveatur ab intellectu ib. 26. — An moveatur ab appetitu sensitivo ib. 27. — S. Thomas ib. 28. — An moveatur de necessitate ab inferiori appetitu ib. 29. — An moveat seipsam ad actum ib. 30. — An moveat seipsam in volitione mediorum ib. 31. — An moveatur ab aliquo exteriori principio in volitione finis ib. 32. — Quid voluntatem se movere ib. 33. — Quomodo voluntas sese moveat et moveatur ib. 34. — S. Thomas ib. 35. — An indigeat duplici motore ex parte subiecti et obiecti ib. 36. 37. 38. 39. — Libere vult media et finem ib. 31. 40. — Non omnia explicite ordinat ad aliquem extrinsecum finem, neque omnia explicite vult sub ratione medii vel finis ib. 40. — Finis et medii ib. 41. — An Deus moveat voluntatem ib. 42. — Duplex ad volitum habitudo III. 10. — Duplex actuum voluntatis ordo III. 4. 9. 10. — Simplex volitio, circa finem, circa media III. 11. 12. 16. — Velleitas IV. 6. 7.

Votum: Contra propositum non vovendi III. 20.

IANUARII BUCCERONI
E SOCIETATE IESU

COMMENTARII

De Natura Theologiae Moralis

De Conscientia et De Probabilismo - De Quarto Decalogi Praecepto

De Sexto et Nono Decalogi Praecepto

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA PONTIFICIA IN INSTITUTO PII IX
(IUVENUM OPIFICUM A S. IOSEPH)
Via dicta: *S. Prisca*, 8, 9, súper Aventino Colle

1910

OPERIS APPROBATIO

Cum opus, cui titulus: *Commentarii de natura Theologiae Moralis* etc. P. Ianuarii Bucceroni S. I. aliqui e. S. Theologi recognoverint, et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis ad quos spectat videbitur.

Bononiae d. 13. Iulii 1909.

Aloisius Caterini
Praepositus Provinciae Romanae S. I.

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister

IMPRIMATUR

Ioseph Ceppetelli, Patr. Const., Vicesgerens

COMMENTARIUS PRIMUS

DE NATURA THEOLOGIAE MORALIS

1. Omnis tractatio et quaestio, ut rite *instituatur, evolvatur,* et tandem *absolvatur,* a rei pertractandae et inquirendae definitione, a divisione, et a via in ea tenenda, in antecessum stabilienda, exorditur. De his igitur brevi dicemus initio horum Commentariorum de universa Theologia Morali.

2. *Theologia* generatim definitur: Scientia de Deo ex divina revelatione comparata. Quare eius obiectum materiale sunt: res omnes divinae ex divina revelatione demonstrabiles; obiectum formale est: veritas ex eadem divina revelatione demonstrabilis; subiectum: Deus; finis: tum potissimum divinae veritatis contemplatio; tum etiam humana vita sanctificanda.

3. Enimvero *Theologia,* simpliciter dicta, antonomastice sumitur pro Theologia *sacra* seu *supernaturali;* eaque hic *definitur,* definitione nominali et reali. Dupliciter Deus cognosci potest: primo ex creaturis, secundum imperfectam quandam similitudinem, secundo ex seipso, secundum propriam naturam et proprium essendi modum. Prima cognitio Dei, naturalis est; naturali enim ratione habetur; eaque *Theologiam naturalem* constituit. Altera Dei cognitio soli Deo naturalis est; quemlibet creatum intellectum excedens, ei supernaturalis omnino est. Huius cognitionis participes efficimur per virtutem fidei divinitus nobis infusam. Per eam enim Deo primae veritati, tanquam cognoscendi principio, inhaeremus; credentes vera esse, quae a Deo revelantur, propter auctoritatem ipsius Dei revelantis. Hinc scientia alia de Deo exoritur, divina hac et supernaturali reve-

latione innixa, quae *Sacra Doctrina, Sacra Theologia* et *Theologia supernaturalis* nuncupatur, eaque consequenter recte definitur: Scientia de Deo ex divina revelatione comparata.

4. *Obiectum materiale,* seu *obiectum quod,* illud est quod proxime et directe attingitur ab aliqua facultate, ut albedo respectu visus. Atqui Theologia proxime et directe attingit res omnes divinas ex divina revelatione demonstrabiles. Hae igitur eius sunt materiale obiectum.

5. Hinc 1° Theologiae obiectum materiale sunt tum ea quae ratiocinando colligimus ex fide, tum ea quae ipsa fide tenemus; haec enim etiam Theologia demonstrat, quamvis ex ipsius fidei principiis seu fontibus. — 2° Fides a Theologia distinguitur, eamque praecedit. Fides enim suppeditat prima principia, ex quibus ratiocinatione et demonstratione Theologia progreditur ad alia cognoscenda. — 3° Eadem veritas obiectum esse potest fidei et Theologiae: fidei, quatenus divina revelatione immediate *credatur;* Theologiae, quatenus ex divina revelatione *demonstretur.* Atque in hoc casu licet non praecedat, per se loquendo, fides rei *quae* demonstratur, praecedit tamen fides rei *ex qua* demonstratur, h. e. divinae revelationis et auctoritatis, quae ipsa fide nota et certa sunt. Non solum enim quae a Deo dicta sunt, sed ipsum verbum Dei divina fide credimus.

6. *Obiectum formale,* seu *obiectum propter quod,* vel *quo,* est ratio illa, qua obiectum materiale a facultate attingitur, ut color respectu visus. Atqui Theologia veritatem ex divina revelatione investigat, eaque utpote scientia veritati propter hanc demonstrationem assentitur Obiectum ergo eius formale est veritas ex Dei verbo demonstrabilis.

7. *Subiectum,* seu *obiectum de quo,* alicuius facultatis est res illa, ad quam pertinet obiectum materiale, et formale in concreto inspectum, ut corpus, cuius est albedo et color, est subiectum visus. Atqui res illae omnes, quas Theologia ex divina revelatione demonstrabiles attingit, sunt vel Deus ipse, vel alia quidem a Deo, sed quatenus habent ordinem ad Deum, ut ad principium et finem. et quatenus ad Deum maxime cognoscendum referuntur. Ergo Deus subiectum huius scientiae est.

8. Hinc patet 1° in definitione tradita Theologiae, eius subiectum et formale obiectum exponi. — 2° Quamvis Theologia de multis et variis rebus agat, quae proinde aliquo modo eius subiectum sunt; proprie tamen nonnisi Deus eius subiectum est; nam sub ratione Dei multas et varias illas res pertractat, et ad Dei manifestationem singularum rerum pertractatio ordinatur. Et sic agit Theologia de Mundo, non ut Physica vel Astronomia, quae varias eius considerant qualitates extensionis, motus, etc., sed eum mani-

festans Dei Omnipotentia creatum, Sapientia gubernari, omniaque in eo cooperari in bonum diligentibus Deum. — 3° Duplex distingui potest ratio formalis; *obiecti* et *subiecti*. Ratio formalis *obiecti*, seu *qua* vel *sub qua*, est ratio, qua aliquid a Theologia possit demonstrari; eaque est, divina revelatio. Ratio formalis *subiecti*, seu *quae*, est ratio cur aliquid a Theologia consideretur, eaque est divinitas. — 4° Theologia una scientia est tum *obiecto*, tum maxime *subiecto*. Obiecto; quia omnia divina revelatione demonstrat. Subiecto; quia Deus est, qui non genere vel specie, sed singularitate unus est.

9. *Finis* Theologiae, h. e. finis *operis*, seu quo tendit intrinseca natura sua, est Deus supremum verum contemplandum; disserit enim de Dei natura et proprietatibus, Personarum divinarum Trinitate, aliisque mysteriis, quae per se et directe ad humanas operationes dirigendas non ordinantur. Ex hac parte Theologia, *speculativa* est. Verum finis quoque *operis*, quo natura sua tendit, est Deus supremum Bonum appetendum, ad quod omnis humana actio est dirigenda; pertractat enim de Deo ultimo fine, de legibus, de gratia, de virtutibus, aliisque, quae per se et directe referuntur ad totam humanam vitam ordinandam. Ex hac parte theologia, *practica* est. Potissimum vero speculativa est: quia illa ipsa quae proxime referuntur ad humanam vitam ordinandam, ultimo tamen respiciunt perfectiorem Dei cognitionem. Magis autem ex ultimo fine, quam ex proximo, res quaeque est diiudicanda, cum sit ultima mensura omnium, quae in ipsa sunt.

10. Theologia omnium humanarum scientiarum praestantissima est, tum materiae dignitate, tum conclusionum certitudine, tum fine, ad quem ordinat humanam vitam. — *Materiae dignitate.* — 1. Cor. 2., 6. 10. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam nemo principum huius saeculi cognovit... nobis autem Deus revelavit per Spiritum Sanctum.* Ergo fides divina plurimas continet sublimissimas veritates, reconditas et omnino remotas ab humana ratione. Atqui Theologia innititur fide; quaelibet alia humana disciplina innititur naturali ratione. — *Conclusionum certitudine.* — Aliae scientiae certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanae, quae potest errare. Nam quamvis principia humanae rationis certissima sint, sunt tamen abstracta. Quare, ut perveniamus ad rerum aliarum notitiam, indigemus sensuum experientia, et plura ope fidei humanae comparantur. Spiritualia autem non cadunt sub sensibus, et ad modum sensibilium rerum apprehenduntur. Hinc periculum et multiplex periculum errandi. Atqui Theologia certitudinem habet ex lumine divinae scientiae, quae decipi non potest. Principia enim ex quibus progreditur sunt ipsum verbum Dei; conclusiones vero quam plurimas ex eodem Dei verbo haurit; ac dum alias

discurrendo pertractat, infallibili Ecclesiae magisterio dirigitur. — *Fine.* — Naturalis quaelibet scientia non nisi ad naturalem felicitatem hominem disponere potest. Verum Theologia, quae est scientia fidei, hominem disponit et ordinat ad supernaturalem illam felicitatem, quae in *vita aeterna* sita est.

11. Theologia, ut iam indicavimus, dividitur in *theoreticam* seu *dogmaticam* et *practicam* seu *moralem.* Si enim consideratur *materia,* quam Theologia pertractat, ea aut proxime sistit in divinis rebus contemplandis, aut in operatione et humana vita dirigenda et ordinanda. Si primum, Theologia *Theoretica* seu *Dogmatica*, si alterum, Theologia *Practica* seu *Moralis* habetur. Theologia ergo moralis sumi potest latiore et minus stricta significatione. Latiore significatione cum Theologia practica confunditur, strictiore significatione ab ea e contra distinguitur, ut mox explanabitur.

12. Si consideretur *methodus*, qua Theologia procedit, aut ipsa mere immoratur in dogmatibus ex Verbo Dei scripto et tradito confirmandis, aut ulterius progreditur ad intelligentiam et rationem eorumdem dogmatum, quantum humana ratione fieri potest, declarans quae in ipsis continentur, eorum nexum et relationem perscrutans, ad alia etiam ex iis ratiocinando deveniens; atque ita de fide ad intellectum tendit. In primo casu habetur *Positiva*, quae ponit principia et fundamenta scientiae, quaeque positivis innititur argumentis. In secundo casu habetur *Scholastica*, ita dicta, quia in Scholis magis vulgata. Veteres enim illi Theologiae magistri, qui Theologicas Institutiones in publicis Scholis tradebant, existimabant intellectui potius dogmatum, quam eorundem demonstrationi operam dandam esse.

13. Ecclesia non solum permisit et permittit Theologiam excoli et tradi secundum principia et methodum Scholasticorum Doctorum, verum etiam commendavit semper et commendat. Porro principia quibus Doctores Scholastici Theologiam tradiderunt haud quidem naturalia quaedam rationis principia fuerunt, ex quibus supernaturales veritates deduci non poterant; sed principia erant ordinis supernaturalis, ab ipsis Patribus adhibita, divina revelatio, divina Ecclesiae auctoritas. Methodus vero non fuit inquisitiva veritatis, quae in Theologia naturali ratione inveniri non potest, cum sit ordinis supernaturalis; sed Dei revelatione acquiratur, ita ut fide certissime teneatur, nec de ea dubitare liceat. Quare Scholasticorum methodus fuit tantum demonstrativa et declarativa veritatis. Si ergo Theologia uti omnium temporum necessitatibus et scientiarum progressui semper congruit, ita etiam Scholastica Theologia iisdem congruit, idem profecto dicendum est de tempore hoc nostro, cum scientiae tempore non immutentur in intrinseca sua natura. Quin

imo id maxime de nostro hoc tempore dicendum est, cum undique nunc naturalismus et rationalismus humanas mentes pervadere conetur. Quare merito in Syllabo damnata est prop. 13: « Methodus et principia, quibus antiqui Doctores Scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt ».

14. *Principium subiectivum cognoscendi* Theologiae est non solum *intellectus* humanus *naturali rationis lumine* instructus, verum etiam *supernaturali fidei divinae lumine* ornatus. — Theologia ex fide progreditur, obiectum fidei demonstrando, explicando, eiusque cognitione ad alias cognitiones deveniendo. Atqui huiusmodi progressus praesupponit intellectum non tantum ornatum sua nativa virtute, verum etiam imbutum supernaturali fidei lumine.

15. *Principia obiectiva,* seu *fontes* vel *loci*, unde theologicae cognitiones hauriuntur quatuor recensentur: *Scriptura Sacra, Traditio divina, Ecclesia, humana ratio.* Ad hos locos ceteri revocari possunt, quorum praecipui sunt *Sancti Patres* et *Theologi.* — Divina revelatio non continetur nisi Scriptura Sacra et Traditione. Utriusque custos et interpres est Ecclesia, quae, nova seclusa revelatione, sed Spiritu Sancto assistente revelationem olim divinitus factam infallibiliter nobis proponit. Ergo Scriptura et Traditio sunt principia quasi *constitutiva*, ut aiunt, Theologiae, Ecclesia, principium *directivum.* Cum autem Theologia ratiocinando et demonstrando procedat aliud est eius principium, nempe *ratio humana,* et naturalis scientia, cuius valor et usus a fidei principiis determinatur. — Omnis autem cognitio vel ex lumine fidei vel ex lumine rationis hauritur. Si primum, fontes talis cognitionis erunt Scriptura, Traditio, Ecclesia; si alterum, fons erit humana ratio. Sancti Patres autem et Theologi ad Traditionem revocantur.

16. Ut autem plene Theologiae obiectum evolvatur, Theologia subsidiariis adiuvatur disciplinis, quarum potissimum sunt: Exegesis seu Expositio Sacrorum librorum, Historia ecclesiastica, Archeologia sacra, ad quas reliquae omnes facile revocari possunt.

17. Ut Philosophia non solum investigat proprium obiectum, quaerens quid sit corpus, quid spiritus, quid mundus etc.; verum etiam considerat ipsa cognitionis naturalis principia agens de intellectu, de ratione, de sensu, de conscientia: similiter Theologia non solum pertractat revelatas veritates, verum etiam agit de ipsa revelatione, de verbo Dei Scripto et Tradito, aliisque fontibus supernaturalium cognitionum. Porro ista tractatio dupliciter institui potest. Vel enim humana tantum procedentes ratione historicis et philosophicis argumentis ostendimus factum et valorem revelationis, institutionis Ecclesiae etc., vel ex fide proficiscentes inquirimus, quid

ipsa revelatio doceat de istis principiis. Prior illa procedendi ratio Demonstrationem Evangelicam suppeditat, quae *Apologetica* etiam appellatur. Ea non est pars Theologiae, sed propaedeutica quedam seu praeambulum theologiae. Cum enim Theologia fidei scientia sit, sua demonstrationis principia per fidem ipsam accipere debet

18. *Principium obiectivum demonstrationis* supremum, ex quo nempe veritates aliae ratiocinatione derivantur Dei notione, revelatione accepta, continetur. — Nam supremum cuiusvis scientiae principium in subiecti definitione situm est. Et sic in homine e. g. ex eius definitione seu natura proprietates omnes deducuntur. Illa ipsa quae in homine libere fiunt et per historiam noscuntur, secundum eius naturam intelliguntur et diiudicantur. Pari modo, quae naturam divinam consequuntur ex eius revelata notione deducuntur, res vero a Deo libere gestae, ex eadem quidem Dei notione non demonstrantur gestas esse, sed secundum eam notionem intelliguntur et diiudicantur.

19. De valore theologicorum fontium seu locorum pauca haec sufficiunt. — *De Scriptura Sacra.* 1° Quamvis in SS. alia, quae directe et per se nos ordinant ad vitam aeternam, propter se proponantur, alia vero non propter se, sed propter horum manifestationem proponantur; omnia tamen fide divina credenda sunt, omnia enim eadem Dei loquentis auctoritate fulciuntur. Scriptura libri ideo sacri et divini censentur, quia, Deo inspirante, conscripti Deum habent auctorem, vereque ac proprie sunt *verbum Dei.* Cfr. S. Th. 2. 2. q. 1. a. 6. ad 1. — 2° Declaravit Conc. Trid. ut ex variis versionibus « vetus et *Vulgata* editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro *authentica* habeatur » Sess. 4. Quare verus et genuinus revelationis fons dici potest et debet. Ex tali autem decreto, uti constat ex toto ipsius tenore, fine et circumstantiis, non sequitur interdictum esse, quominus textus primigenii et aliae antiquae versiones adhibeantur, et intrinseca etiam certitudo habeatur ex eis. Quamvis nullo solemni decreto eorum authentia declaretur, tum longo usu, tum criticis et hermeneuticis argumentis comprobatur. — 3° Scripturae genuinus sensus, habetur 1° ex Ecclesiae declaratione; 2° ex Patrum consensu, contra quos licet exponi Scriptura non possit, non prohibetur tamen expositionem afferri aliud quiddam adiicientem communi expositioni; 3° si quando Patres alii aliter locum quemdam exponunt, non ideo firmum inde argumentum deduci nequit. Nam genuinus sensus determinari potest regulis hermeneuticis. Praecipuae sunt: Sine evidenti ratione in contrarium inhaerendum sensui proprio et obvio. — Inhaerendum item sensui litterali et historico, nisi certo constet de mystico.

20. *De Traditione.* Traditionis naturam declarat Conc. Trid. Sess. 4. cum inquit: « salutarem doctrinam contineri in libris scriptis, et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt ». — Regula traditionis distinguendae, quod ad doctrinam fidei pertinet, haec est: Si quid in universa Ecclesia, *aliquo tempore* docetur et creditur tanquam dogma fidei; id, etiamsi scriptum non sit, divina traditione certo continetur. Et ratio est, quia nunquam universa Ecclesia a vera fide deficere potest. — Quod ad traditionem vero spectat, quae Ecclesiae disciplinam vel ritus respicit, nota sunt S. Augustini verba, Ep. 54. ad Ianuar. « Illa quae non scripta, sed tradita custodimus, quae quidem *toto terrarum orbe observantur*, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri ». Verum, cum ea quae Conciliis constituuntur eorum actis aliisque historiae documentis consignantur; ea quae toto terrarum orbe observantur, quorum initii vestigium nullum in historia habetur, merito ad apostolicam traditionem revocantur. Atque haec si talia sint, ut humanam excedant potestatem, quemadmodum sunt ritus respicientes substantiam sacramentorum, aliaque quae cum dogmate intime connectuntur, ut parvulorum baptismus, optimo iure ad divinam traditionem per Apostolos transmissam referuntur.

21. *De Ecclesia.* Pollet Ecclesia ordinario et perpetuo magisterio, quod est continua et semper vigens Traditio Scripturas sacras exponens et complens. Cum autem infallibilitas non cuivis Ecclesiae parti, sed nonnisi universae Ecclesiae eiusque Capiti Romano Pontifici concessa sit, sequitur ea tantum firmissima gaudere certitudine quae vel universali Pastorum consensu et iudicio, vel iudicio Summi Pontificis roborantur. — Atque hic notandum est, parum referre formam huiusmodi iudicii exprimendi, dummodo manifeste constet mens Patrum vel Pontificis *definiendi*, i. e. ex propria et plena auctoritate declarandi, quae sit sententia a fidelibus omnibus tenenda. — Cum magisterium Ecclesiae sit ad fideles instruendos, uti universa Ecclesia a veritate deficere non potest *in docendo*, ita etiam *in credendo*. Hinc firmissimum argumentum exhibet *sensus communis fidelium.*

22. *De Sanctis Patribus.* Ecclesiae Patres appellantur Scriptores illi Ecclesiastici, qui praeter antiquitatem singularem doctrinam et sanctitatem habent. Porro quamvis magna sit singulorum auctoritas, plena tamen auctoritas non habetur nisi quando unanimi consensu tradunt doctrinam fidei; tunc enim certum est eam ab ipsa Ecclesia doceri et credi, quae eos tanquam Patres veneratur. — Ut Ecclesia

depositum fidei non tantum custodit, verum etiam explicat; ita Patres non modo testes fideles sunt dogmatum, verum etiam doctores sunt illa declarantes. Quae igitur unanimi consensu Patres tradunt ad fidei doctrinam exponendam, ea vere credenda sunt pertinere ad intelligentiam fidei. Quae item, licet nota lumine naturali, Patres tradunt tanquam connexa cum fide, ut talia habenda sunt, atque in his eorum auctoritas praevalet rationi. — Ut unanimis Patrum consensus habeatur, quo divina traditio demonstretur necesse non est omnium testimonia reperire, vel recitare. Ex aliquorum dictis aliorum consensus ex pluribus capitibus deduci potest. Si quando unus vel alter universis contradicere videatur, eorum dicta benigne sunt explicanda, ex contextu, ex fine, quia errorem oppugnantes, oppositi erroris nondum forte exorti parum solliciti, securius loquebantur, tandem ex tempore, quia ortis erroribus et rebus melius discussis, formulae loquendi usu et iudicio Ecclesiastico magis determinantur. Si vero benigna ista explicatio fieri non potest, non ideo unanimis consensus deficit, quia sufficit moraliter non arithmetice universalis.

23. *De Theologis*. Patribus, primis Ecclesiae saeculis, successerunt, posteriori tempore, Theologi, qui ii sunt ecclesiastici Scriptores, qui et integra orthodoxia, et excellenti doctrina clari sunt. Eorum concors sententia certitudinem parit. Haec enim concordia nonnisi ex rei veritate potest sufficienter explicari. Quod autem ipsi unanimi consensu in scholis tradunt, pastores in Ecclesiis praedicant, et fideles credunt. Hinc quae ipsi concordi, firma et stabili sententia tradunt ab Ecclesia approbari non est dubitandum.

24. *De ratione humana*. Ratio humana intelligitur hic tum naturalis ratiocinandi facultas, tum omnis naturalis scientia. Multiplex est eius usus in Theologia: 1° ut Fidei fundamenta et credibilitatem ostendat, Conc. Vat. de F. c. 3. 4; 2° ut ex principiis Fidei singula fidei capita deducat; 3° ut quae divina revelatione cognoscuntur naturalibus argumentis vel comprobentur, vel saltem declarentur et illustrentur, quantum fieri potest; 4° ut errores, qui ex naturalibus scientiis potissimum desumuntur, ex iisdem refellantur.

25. De dogmate tandem, sententiis et censuris theologicis pauca etiam sufficiunt. *Dogma* hic proprie dicitur sententia fide divina et catholica, ab Ecclesia credenda proposita, vel Scriptura seu Traditione manifeste contenta. Et sic Conc. Vat. de F. c. 3. ait: « Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto et tradito continentur et ab Ecclesia sive solemni iudicio, sive ordinario et universali magisterio (quo Scripturam et traditionem verbum Dei esse attestatur) tanquam divinitus revelata credenda proponuntur ».

26. *Sententia theologica* ea hic proprie dicitur, quae quamvis non sit revelata vel ut revelata non tradatur in communi magisterio Ecclesiae ex expressa eius definitione, cum evidenter tamen revelatis nexum habet et ex illis deducitur. Si deductio haec imperfecta est, *opinio scholastica* vel *sententia theologice probabilis* habebitur. Si vero deductio erit perfecta, tunc *sententia theologica* simpliciter, vel *theologice certa* dicitur, quae item, dicitur, *sine errore et temeritate negari* non potest, cum non possit negari, nisi ab eo qui vel fidem vel rationem vel utramque abiecerit.

27. *Censura Theologica* vocatur nota illa, qua prava aliqua doctrina reprobatur ex principiis fidei, sive publico Ecclesiae magisterio, sive Theologorum tantum auctoritate. Tres sunt praecipuae, haeretica, erronea, temeraria. *Haeretica* dicitur sententia, quae evidenti fidei dogmati evidenter et directe opponitur. Si fidei dogma licet certum sit, evidens tamen non est tanquam fidei dogma, dicitur tunc *haeresi proxima*. Si vero certum et evidens sit dogma fidei, certo tamen et evidenter non constat de directa oppositione, tunc dicitur *de haeresi suspecta, haeresim sapiens*, *haeresi favens*.

28. *Error* dicitur assertio directa opposita conclusioni Theologicae, seu sententiae theologice certae. Error igitur opponitur sententiae, quae non est *de fide* seu *dogma*, sed quae *ex fide certa* seu quae ex dogmate, illatione evidenti, deducitur. Cum varii sint gradus nexus cum dogmate, si nexus non proximus, sed remotus sit, opposita opinio non *error*, sed *errori proxima* nuncupatur.

29. *Temeraria* appellatur opinio, quae omni est destituta sufficienti ratione et directe opponitur sententiae communiter receptae in Ecclesia. Temeritas enim ex doctrina Angel. Doct. 2. 2. q. 53. a. 3. ad 2. est, non modo sine ratione agere, verum etiam agere ex contemptu regulae dirigentis.

30. Post declaratam naturam Theologiae, universim inspectae, facile nunc intelligitur intima natura Theologiae Moralis, quae illius pars est, et ad quam consequenter pertinent ea quae ad Theologiam generatim spectant, et quae consequenter communia sunt Theologiae speculativae et practicae.

31. Theologia Moralis, stricte sumpta, si *nomen* spectetur, idem est ac *sermo de moribus in ordine ad Deum*. Haec *nominalis definitio*, cum rerum et scientiarum nomina non sine ratione sint, ex ipsa *definitione reali* comprobatur et explicatur. — Si vero *res* ipsa consideretur definiri potest: illa Theologiae pars, quae innixa iure divino per revelationem manifestato, inquirit quid boni et mali sit in humanis actibus, quid liciti et illiciti in iisdem reperiatur, ut eos dirigat in ordine ad vitam aeternam.

32. Dicitur Theologia Moralis *Theologiae pars* secundum *mate-*

riam, quam ipsa pertractat. Theologia enim, quae divinas res contemplatur, Theologia *Dogmatica* dicitur; Theologia vero, quae humanas operationes considerat *Moralis* appellatur. Illa *speculativa* est: nam sistit in rerum veritate contemplanda. Ista *practica* est: nam ad operationes progreditur dirigendas ad ultimum hominis finem. Utraque autem eadem *formali ratione* proprium obiectum attingit; siquidem obiectum formale Theologiae nonnisi verum est ex revelato verbo Dei demonstrabile. Hinc « Sacra Doctrina *una existens* se extendit ad ea, quae pertinent ad diversas scientias philosophicas, *propter rationem*, quam in diversis attendit, scilicet prout sunt divino lumine cognoscibilia : unde licet in scientiis philosophicis, *alia sit speculativa, alia practica:* Sacra tamen Doctrina comprehendit sub se *utrumque*, sicut et Deus eadem scientia se cognoscit et ea quae facit ». S. Th. 1. p. q. 1. a. 4. Theologia ergo Moralis non distinguitur a Theologia Dogmatica, ut scientia a scientia, sed ut una eademque scientia secundum partem et partem proprii obiecti materialis : siquidem unitas scientiae non a materiali obiecto sed a formali desumitur : unde diversa ratio cognoscibilis diversitatem scientiarum inducit. S Th. 1. p. q. 1. a. 1. ad 2. a. 3. 7. Si autem ex eo quod « Sacra Doctrina non determinat de Deo, et de creaturis ex aequo, sed de Deo principaliter et de creaturis secundum quod referuntur ad Deum, ut ad principium vel finem... unitas scientiae non impeditur », S. Th. l. c. a. 3. ad 1,; id maxime valet de Theologia Morali. Si enim Theologia haec non de Deo ipso immediate tractat, sed de actibus humanis, de his profecto agit, secundum quod per eos ordinatur homo ad perfectam Dei cognitionem, in qua aeterna beatitudo consistit, S. Th. l. c. a. 4.

33. Dicitur praeterea, quod Theologia Moralis innitatur *Iure divino per revelationem manifestato*, ut simul indicetur et formale obiectum et fons proprius huius scientiae : Ius divinum, per revelationem manifestatum. Bonum enim et malum, licitum, et illicitum, quod Theologia Moralis in humanis actionibus inquirit proxime ex Iure derivatur. Ac si ipsa, tanquam Sacra Doctrina ex divina revelatione ratiocinando procedit, Iure divino, per revelationem manifestato in Sacra Scriptura et Traditione, et per Ecclesiae magisterium proposito et explicato, proprie innititur. Hinc Theologia Moralis non procedit *ex principiis, notis lumine naturalis intellectus*, sive humanae Iurisprudentiae, sive naturalis Ethicae, seu moralis philosophiae: sed ex principiis notis lumine superioris scientiae, quae est scientia Dei et Beatorum. Unde ea principia revelata sibi a Deo credit, S. Th. 1. p. q. 1. a. 2. Si aliquid etiam accipit ab aliis humanis et philosophicis disciplinis non accipit tanquam a superioribus; sed eis tantum utitur tanquam inferioribus et ancillis.

Neque vero hoc facit, quod ex necessitate eis indigeat, sed ad maiorem manifestationem eorum, quae in hac scientia traduntur. propter defectum intellectus nostri, qui ex his, quae per naturalem rationem, ex qua aliae procedunt humanae scientiae, cognoscuntur, facilius manuducitur in ea, quae sunt supra rationem quae in hac scientia traduntur. S. Th. 1. p. q. 1. a. 5. ad 2.

34. Theologia ergo moralis moralem philosophiam a se non excludit, sed e contra in se continet; finis enim supernaturalis naturalem finem non excludit. sed e contra illum praesupponit et continet; siquidem illum elevat ad supernaturalem gratiae et gloriae ordinem, quo « maxima et pretiosa (Deus) nobis promissa donavit; ut per haec efficiamur divinae consortes naturae ». II Petr. 1. 4. Unde est quod illud quod malum est et nos avertit a Deo fine naturali, nos etiam avertit a Deo fine supernaturali, ut ratione et fide certum est. Illud e contra quod nos ducit ad Deum finem naturalem, ad Deum finem supernaturalem sine supernaturali gratia ducere non potest, ut item ratione et fide certum est.

35. Atque ex hisce patet *principia subiectiva cognoscendi* eadem sunt in Theologia Morali et in Theologia dogmatica, fides *divinae revelationis* et *humana ratio.* Ad assequendum enim supernaturalem hominis finem necesse est observare leges et praecepta utriusque ordinis supernaturalis et naturalis. Illa *divina* cognoscimus *revelatione*; haec etiam *naturali ratione.* Ut autem divina revelatio naturalia etiam praecepta confirmat, ita humana ratio divina praecepta revelata illustrat. Eademque praecepta sive ordinis supernaturalis, sive ordinis naturalis addiscimus ex infallibili Ecclesiae magisterio, quae *principium directivum* quoque est theologiae moralis, uti principium directivum est theologiae dogmaticae.

36. *Principium* autem *obiectivum fundamentale et universale* demonstrationis totam moralem theologiam pervadens et regens est Deum esse ultimum hominis finem, adeoque hominem obligatione teneri tendendi ad Deum actibus praedicto fini proportionatis, moraliter bonis, at praeterea supernaturalibus, cum Deus ultimus hominis finis sit non mere naturalis, sed supernaturalis; beatitudo enim, ad quam homo in praesenti ordine divinae providentiae destinatur, in intuitiva Dei visione, et fruitivo Dei amore consistit, qui finis omnino supernaturalis est, excedens vires omnes et omnes exigentias creatae naturae. Sane ratio, qua Deus movetur ad mundum et hominem creandum ipsa sua divina bonitas et infinita perfectio est, amor nempe suae infinitae bonitatis et perfectionis. Mundus est et nos sumus, quia Deus bonus est. Cum autem infinita sit divina bonitas et perfectio, neque ullo pacto augeri ipsa in se possit, Deus mundum et hominem creans nihil aliud intendere potest, nisi communicare ad

extra suum bonum, suasque perfectiones, quas consequenter creaturae omnes manifestent, et rationales creaturae cognoscant, et sic ad Deum tendant et eum glorificent. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus*, Prov. 16. 4. Homo ergo a Deo conditus est, ut eum cognoscat et amet, et in hac Dei cognitione et amore *Dei gloria* et simul *hominis beatitudo* consistit. Sed ostendens Deus divitias suae divinae bonitatis et infinitae perfectionis consortem hominem fecit divinae naturae, hominem destinando ad eum videndum sicuti est, non per speculum in aenigmate, sed facie ad faciem. Homo ergo post hanc mortalem vitam divina essentia perfruitur, cuius cognitione et amore beatitudinem possidet aeternam. Haec autem immediata et intuitiva Dei visio et Dei fruitio ex amore divinae bonitatis immediate cognitae, ipsius divinae vitae participatio est, *cum apparuerit similes ei erimus*, 1. Ioan. 3. 2., et consequenter exigentias et vires omnes naturales excedit, et omnino supernaturalis est. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum*. 1. Cor. 2., 3.

37. Cum igitur homo ad supernaturalem finem sit destinatus, ad illum propriis liberis actibus tendere debet. Verum cum illum propriis actibus naturalibus attingere non possit, ideo homini supernaturales virtutes infunduntur, quae potentiam intellectui et voluntati suppeditant ad supernaturales actus connaturaliter efficiendos. Ac, ut in ordine naturali, habetur primum ipsa natura animae et deinde eius naturales potentiae et actus; ita in ordine supernaturali habetur *gratia sanctificans*, quae animae substantiae inhaeret, et hominem elevat ad supernaturalem naturam, habentur *virtutes infusae*, quae animae potentiis stabiliter inhaerent, scilicet intellectui et voluntati, quibus vim et potentiam tribuunt ad actus supernaturales eliciendos, habentur tandem *gratiae actuales*, quibus Deus actu concurrit ad singulos hominis supernaturales actus, ad eos praeveniendos et excitandos, adiuvandos et perficiendos. Quare actus simul vitalis et supernaturalis provenit a duplici intrinseco principio proximo, id est a naturali potentia et a supernaturali habitu virtutis infusae. Haec autem infusa virtus dupliciter distinguitur, theologica et moralis; illa pro obiecto materiali primario et habet Deum ipsum et pro obiecto formali divinam aliquam perfectionem; haec pro obiecto formali generatim habet ipsam humani actus honestatem. Ac ut *virtutes* infunduntur pro ordinariis vitae supernaturalibus actibus, ita *dona* etiam *Spiritus Sancti* conferuntur pro actibus extraordinariis et sublimioribus vitae supernaturalis. Ad illos movetur homo ex illustratione et inspiratione Spiritus Sancti et ex iudicio rationis, ad hos ex solo Spiritus Sancti instinctu movetur. Per *virtutes infusas* homo disponitur, ut efficiatur

prompte mobilis secundum communem rationem christianae virtutibus, seu secundum communem eius regulam; per *dona* homo disponitur ut efficiatur prompte mobilis ab inspiratione divina. S. Th. 1. 2. q 63. 68. — Habitudo hominis ad Deum in humanis actibus *ordinem moralem* constituit. Quare si humani actus illi fini erunt consentanei hominem perducent ad Deum. Hi autem actus alii immediate hominem ordinant ad Deum, naturaliter naturali cognitione et amore, supernaturaliter fide, spe, caritate. Alii vero actus hominem immediate ordinant vel in seipso, ita ut vires superiores regant inferiores, et inferiores superioribus subiiciantur; vel ad alias creaturas ut illis tantum utatur quantum ei prosint ad suum finem consequendum, et ut convenientem societatem constituat cum aliis hominibus, ad eundem ac ipse finem destinatis. Quare omnes etiam isti alii actus, naturae ordinem a Deo constitutum servando, licet mediate, hominem ad Deum ultimum finem consequenter ordinant, et ducunt, et in hac ultimi finis consecutione et possessione aeterna est beatitudo. Enimvero hominem Deus destinando ad hanc vitae aeternae beatitudinem, et media ei suppeditando ad illam consequendam, homini evidenter sua voluntate necessitatem imponit praedicta media adhibendi ad praedictum finem assequendum convenientia. Haec autem necessitas *obligationem moralem* constituit, quam Theologia moralis in humanis actibus attendit et considerat. — Deus ergo finis ultimus hominis supremum est principium totius Theologiae moralis, quo nempe intelliguntur et determinantur omnia, quae ab homine sunt praestanda, ut licite agat et vitam aeternam tandem consequatur.

38. Insuper Theologia Moralis *inquirit quid boni et mali sit in humanis actibus, quid liciti et illiciti in eis reperiatur*. Nam eius materiale obiectum non continetur in humanis actibus, prout sunt *ens naturae*, sed prout sunt *ens morale*. Hinc Angelicus Doctor 1. 2. q. 7. a. 2. inquit: « Primo quidem theologus considerat actus humanos, secundum quod per eos homo ad beatitudinem ordinatur.... Secundo theologus considerat actus humanos, secundum quod in eis invenitur bonum et malum, melius et peius.... Tertio theologus considerat actus humanos, secundum quod sunt meritorii vel demeritorii ». Et ib. ad 3. « Theologus habet considerationes de actibus virtuosis et vitiosis.... et considerat actus secundum quod merentur poenam vel praemium ».

39. Si ita generatim et indiscriminatim in tota sua amplitudine consideratur materiale obiectum *Theologiae Moralis*, haec sane *a Theologia Practica* non distinguitur, et tam late illa patet quam late ista extenditur. Verum, si *Theologia moralis* strictiori quodam sensu sumatur, et secundum communem, in praesenti, acceptionem,

tunc *Theologia Moralis a Theologia Practica* distinguitur, ut pars a toto. Solet enim iam accipi Theologia Moralis restricta quadam significatione, prout nempe ad meram liciti et illiciti, seu peccatorum considerationem in humanis actibus coarctatur. Et sic a *Theologia Morali* distingui solet *Ascetica* et *Mystica*, quas omnes Theologia Practica complectitur; et in eas consequenter dividitur. *Ascetica* non tam boni et mali doctrinam, quam viam rationemque tradit, qua a vitiis nos expedire ac virtutes consequi possumus. Unde ut *Moralis de peccatis* potius determinandis, *Ascetica de virtutibus explanandis* pertractat. *Mystica* autem non de communi morum sanctitate pertractat, quod *Ascetica* facit, sed de speciali illa coniunctione cum Deo per sublimiorem contemplationem et magis intimum amorem agit, ad quam non omnes, sed illi, qui specialibus gratiae donis a Deo cumulantur, et tendere et pervenire possunt.

40. *Pastoralis* etiam *Theologia* distingui solet. Ea reapse nonnisi pars quaedam est, seu specialis tractatus Theologiae moralis, quae de omnium hominum officiis disserit. Specialis tamen et uberior tractatio circa officia eorum, qui curam exercent animarum, Episcoporum, parochorum, Confessariorum, sacerdotum, *Theologiam pastoralem* suppeditat. Quare Theologia pastoralis explicat in particulari *pastorum* officia, ut ipsi rite animarum curam exerceant, et fideles eorum opera ad vitam aeternam perducantur.

41. Additur autem, *ut humanos actus dirigat in ordine ad vitam aeternam*. Nam eos Theologia Moralis dirigit, non ut Philosophia Moralis, prout rectae rationi conveniunt; sed in ordine ad Deum, et ut ad Deum ordinatos. Deus enim est *subiectum* Sacrae Doctrinae seu Theologiae, obiectum nempe quod *per se primo* ab ea consideratur; et *in ordine ad quod* caetera omnia tractantur: unde Sacra Doctrina *Theologia* dicta est, h. e.: sermo sive doctrina de Deo. « Omnia pertractantur in Sacra Doctrina sub ratione Dei; vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium et finem. Unde sequitur quod Deus vere sit subiectum huius scientiae.... Omnia alia, quae determinantur in Sacra Doctrina, comprehenduntur sub Deo, non ut partes, vel species vel accidentia, sed ut ordinata ad ipsum ». S. Th. 1. p. q. 1. a. 7. c. et ad 2. Enimvero, ut Deus est supremum intelligibile contemplandum, quod ad Theologiam speculativam spectat; ita Deus est supremum bonum appetendum, ad quod omnis actio et vita nostra est referenda, quod ad Theologiam practicam pertinet. Verum licet Theologia sit ideo et speculativa et practica, « magis tamen speculativa est quam practica: quia principalius agit de rebus divinis, quam de actibus humanis, de quibus agit secundum

quod per eos ordinatur homo ad perfectam Dei cognitionem, in qua aeterna beatitudo consistit ». S. Th. 1. p. q. 1. a. 4. Quare Theologia ipsam humanam vitam et operationem ordinat ad perfectam supremae veritatis cognitionem, h e. ad visionem, qua mens Deo ultimo fine potitur. Finis ergo ultimus *operis*, seu ipsius Theologiae practicae praedicta Dei cognitio, seu visio est; finis autem proximus vitae sanctitas, Deique cultus est.

42. Theologiae Moralis fontes seu loci, quibus veritates morales continentur, et ex quibus hauriuntur, illi iidem sunt, qui fontes seu loci theologici sunt Theologiae dogmaticae, videlicet: Sacra Scriptura, Traditio, Ecclesia, Sancti Patres, Theologi, ratio humana. Quoad Sacram Scripturam, tum Vetus tum Novum Testamentum morales continet veritates, potissimum vero Novum Testamentum, quod continet praecepta, consilia, et perfectissima exempla Domini Nostri Iesu Christi. — Traditione etiam veritates tum speculativae tum practicae continentur, ut in Sacra Scriptura. Idemque de Ecclesia dicendum, quae, sive Conciliis generalibus et particularibus, sive Decretis Summorum Pontificum, et Sacrarum Congregationum, praecepta moralia divinitus data declarat et definit, et novas addit leges et praecepta ad commune bonum ecclesiasticae societatis, et rectam ac ordinatam fidelium agendi rationem. Ecclesiae moralis doctrina continetur etiam in eius usu et praxi, in eius sacra liturgia. — Sancti item Patres veritates morales saepe proponunt, alias uti testes traditionis, alias ut veritatis doctores. Sanctis autem Patribus addendi sunt theologi, praesertim theologi morales, qui de rebus moralibus ex professo disserunt. Eorum communis auctoritas, regulariter sine gravi temeritate deseri non potest. Verum, si contra eos nova et gravis ratio, nondum considerata vel non satis ab eis examinata afferatur, potest tunc etiam contra communem aliquam opinionem probabilis reddi aliqua sententia. — Unde etiam humana ratio inter locos theologiae moralis recensetur. Etenim multa sunt in Theologia Morali, quae neque definita sunt, neque clare continentur in revelatione. Quapropter pro istis opus est ratione, quae inquirat et concludat ex certis principiis. Neque vero divinas solum, naturales et canonicas leges considerat Theologia Moralis, verum etiam civiles leges, cum illae etiam debeant observari, neque possint sine peccato violari. Doctrina ipsa fidei certum est, omnem animam potestatibus sublimioribus subditam esse, illisque obedientiam deberi, eisque reddenda quae eis debita sunt. Ad Rom. 13., 1. seqq.

43. Ex data Theologiae Moralis definitione facile eruitur praestantia, utilitas, et necessitas huius scientiae. Praestantissima ipsa est, nam participat de praestantia summa ipsius Theologiae, seu

Sacrae Doctrinae, cuius pars est. Insuper, ut ait A. D. 1. p. q. 1. a. 5. « practicarum scientiarum illa dignior est, quae ad ulteriorem finem non ordinatur, sicut civilis militari. Nam bonum exercitus ad bonum civitatis ordinatur. *Finis* autem huius doctrinae *in quantum est practica* est *beatitudo aeterna*, ad quam sicut ad ultimum finem ordinantur omnes alii fines scientiarum practicarum. Unde manifestum est eam digniorem esse aliis ».

43. De utilitate autem et necessitate Theologiae Moralis nihil est quod dicamus, cum res ipsa pro seipsa loquatur. Ad rectam liberae voluntatis operationem nihil certe magis conferre potest, praeter divinam gratiam, quam recta boni et mali, liciti et illiciti cognitio. Cognitio haec quam Theologia Moralis suppeditat certissima est, quatenus ex proprio divinae revelationis fonte derivatur. Theologia autem moralis, quam plurimas et praecipuas accipit ex divina revelatione cognitiones, cui saepissime etiam accedit infallibile Ecclesiae magisterium. Plura quidem controversa sunt in Morali Theologia; sed haec neque praecipua neque communia et ordinaria hominis officia respiciunt.

44. Ad utilitatem et necessitatem Theologiae Moralis exponendam faciunt ea, quae universim habet A. D. a. 1. de necessitate Sacrae Doctrinae. « Dicendum, ait, quod necessarium fuit ad humanam salutem esse doctrinam quandam secundum revelationem divinam, praeter, philosophicas disciplinas, quae ratione humana investigantur. Primo quidem, quia homo ordinatur ad Deum, sicut ad quendam finem, qui comprehensionem rationis excedit; secundum illud Isa. 64., 4.: *Oculus non vidit, Deus, absque te, quae praeparasti diligentibus te.* Finem autem oportet esse praecognitum hominibus, qui suas intentiones et actiones debent ordinare in finem. Unde necessarium fuit homini ad salutem, quod ei nota fierent quaedam per revelationem divinam, quae rationem humanam excedunt. Ad ea etiam, quae ratione humana investigari possunt, necessarium fuit hominem instrui revelatione divina; quia veritas de Deo per rationem investigata a paucis hominibus et per longum tempus, et cum admixtione multorum errorum proveniret; a cuius tamen veritatis cognitione dependet tota hominis salus, quae in Deo est. Ut igitur salus hominibus et convenientius et certius proveniat, necessarium fuit, quod de divinis per divinam revelationem instruerentur. Necessarium igitur fuit, praeter philosophicas disciplinas, quae per rationem investigantur, Sacram Doctrinam per revelationem haberi ». Cf. Contr. Gent. l. 1. C. 4. et 6., De Verit. q. 14. a 11.

45. Merito igitur loquens Tullius de morum scientia eam ait Socratem apud Occidentales e coelo *devocasse*. E coelo sane mo-

ralitas repetenda est, unde est quod eam non denegent nisi illi, qui Deum denegant sive explicite sive implicite, uti sunt atheistae et rationalistae, iique omnes qui dicunt malum bonum, bonum malum ponentes tenebras lucem et lucem tenebras. Atque inde est, quod haec moralitas primum bene cognita deinde humanas informans actiones illud est revera, quo omnia tandem sunt in Christo instauranda. Huiusmodi enim instauratio recto rerum ordine continetur restituendo, confirmando. Omnia autem erunt bene ordinata, si officia rite serventur, quibus homo adstringitur erga Deum, quibus adstringitur erga seipsum, quibus adstringitur erga alios homines et erga humanam societatem, tum religiosam seu ecclesiasticam, tum etiam civilem, cuius pars est. Iesus Christus Dominus Noster, qui non venit solvere legem, sed implere, hunc venit rerum ordinem sua doctrina iterum manifestare, ut sua abundantiori gratia opere impleretur. — Insuper rerum omnium instauratio habetur, si omnes convenienter secundum propriam naturam operentur. Hominis natura recta ratio est. Si igitur secundum rectam operetur ipse rationem eius instauratio habetur. Porro recta ratio id exigit, ut quemadmodum ipse homo, quia Dei creatura est, Deo debet obedire, ita etiam in ipso homine, cum anima corpore superior sit, inferiores facultates superioribus subdi debent. Ac, cum illud quod alteri subordinetur eidem adiumento et non impedimento esse debeat, ita homo debet inferioribus uti facultatibus, ut nullum ex eis impedimentum patiatur pro conveniente sui operatione et suae perfectionis consecutione. Sed exterioribus rebus indiget etiam homo pro sua natura; illis ergo ita etiam uti debet secundum mensuram moderationis impositae ab ipsa naturae necessitate, ut earum usus non nocivus sed utilis eidem naturae sit, sicut apparet in inordinata vel temperata ciborum sumptione. Rectitudo sic statim suo splendore, suo decore, sua pulchritudine elucebit in homine et omnia in ipso erunt instaurata. Est tandem naturale homini esse socialem; unus enim homo solus non sufficit ad omnia, quae sunt humanae vitae necessaria. Ea igitur, sine quibus societas humana conservari non potest, sunt homini naturaliter convenientia, secundum rectam rationem. Huiusmodi sunt subditos superioribus reverentiam et obendiam praestare, unicuique quod suum est conservare, ab iniuriis abstinere, et alia huiusmodi. Quodnam dubium esse potest, quod si haec omnia observentur, pax regnabit in humana societate, et cum pace florebit prosperitas et felicitas? Regnabit et florebit quoque pietas et Religio. Beatus populus cuius Dominus Deus eius. Et haec vera societatis restauratio erit, si Deus societati dominetur, eiusque sanctissima lex observetur. — Summus Pontifex feliciter regnans, Pius X, catholicam actionem catholicis summopere et iam saepe commen-

davit. Huiusmodi catholica actio efficaciter non promovetur, nisi recta moralis doctrina promoveatur et propagetur, eaque ad praxim efficaciter deducatur. Ecce enim, unde tota catholica actio exorditur, quo dirigitur et in quo consistit: « Euntes docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis ». Matth. 28., 19. 20.

46. De Theologiae moralis partitione dicendum nunc est, sistendo in eadem eius strictiori et magis limitata significatione, qua sumi iam solet. Iam vero omnes *moralis* theologiae quaestiones ad praecipuos quosdam reducuntur tractatus, qui ita ordinate recenseri possunt: 1.° de actibus humanis, qui sunt proprium quasi subiectum honestatis et peccati; 2.° de conscientia, quae *proxime* regit humanas actiones; 3.° de legibus generatim, quae *remote* easdem actiones regunt; 4.° de virtutibus, unde humanorum actuum honestas est ex conformitate cum illis, et de peccatis, quae a virtutibus difformia ex difformitate exsurgunt humanarum actionum respectu regulae sive proximae sive remotae; 5.° de legibus speciatim, quibus licitum vel illicitum quoad humanas actiones in particulari determinatur. Hoc autem ordine huiusmodi leges procedunt: 1.° de praeceptis proprie evangelicis, *iure divino*, seu *revelatione* innixis, de praeceptis nempe virtutum Theologicarum, Fidei, Spei, Caritatis, quibus homo *immediate* tendit ad finem suum; 2.° de praeceptis Decalogi, *iure naturali* constitutis, sed etiam divino iure positive confirmatis; 3.° de generalibus praeceptis Ecclesiae, quae pendent *ex humano iure;* 4.° a generalioribus ad magis particularia progrediendo, de obligationibus variorum statuum; atque horum praeceptorum observatione homo *mediate* tendit ad finem suum, Cf. Theol. Wirceburg. de Virtut. Theol. n. 32. et seqq., de Virt. Relig. nn. 9, 10.; 5.° de praeceptis sacramentorum, quae legem continent *praecipientem* simul, et *iuvantem;* per ea enim infunditur gratia sanctificans, aliaque dantur gratiae auxilia, quibus homo universam legem servare potest; ut ita in Dei amicitia conservetur, vel in eam restituatur, si legem transgrediendo in Deum graviter peccaverit; 6.° de censuris, quae ecclesiasticae poenae sunt quarumdam specialium legum transgressionem consequentes; et de irregularitatibus, quae partim poenae, partim impedimenta sunt ad sacros ordines suscipiendos; et ideo plures eas accensent tractatui de ordine; 7.° de indulgentiis, per quas, remissis aliunde peccatis, poena remittitur temporalis eisdem adhuc debita; et sic homo proxime disponitur ad vitam aeternam. Indulgentias plures addunt tractatui *de poenitentia,* quasi eius complementum.

47. Quatuor primi Tractatus, generales sunt et fundamentales; et Theologiam Moralem *generalem vel fundamentalem* constituunt. Conti-

nent enim generalia et fundamentalia principia totius Moralis Theologiae. Quare reliquis praemittendi sunt, et de facto, communissime iam in scholis, reliquis omnibus tractatibus praemitti solent. Quaestiones de eisdem materiis Angelicus Doctor reliquis moralibus Quaestionibus premittit in 1.ª 2.ae, ubi licet ex professo et diffuse non tractet de Conscientia, ordinate tamen tractat de actibus humanis, de peccatis, de legibus. Particulares alii Tractatus Theologiam Moralem *specialem* constituunt; et dupliciter ex rei natura ordinari possunt. Cum enim licitum et illicitum, quae Theologia moralis inquirit, ex particularibus legibus pendet et ex particularibus virtutibus; et secundum illas et secundum istas ordinari possunt.

48. Posteriorem hunc ordinem secutus est Angelicus Doctor in 2.ª 2.ae. Et hic revera rectior scientiae ordo est. Etenim uti in Prologo 2.ae 2.ae ait S. D., « vitia et peccata diversificantur specie secundum materiam vel obiectum », adeoque secundum virtutem, cui opponuntur. Unde A. D. simul agit in 2.ª 2.ae de virtutibus et de vitiis oppositis. Primum disserit de virtutibus theologicis, deinde vero de cardinalibus. « Aliae vero virtutes morales omnes aliqualiter reducuntur ad virtutes cardinales ». Prolog. Unde in consideratione alicuius virtutis cardinalis considerat S. Th. etiam omnes virtutes ad eam qualitercumque pertinentes et vitia opposita. Hunc praeterea ordinem secutus est S. D., quia, ut alii veteres theologi, ita ipse etiam inter theologiam dogmaticam et moralem non distinxit, et perfectam ipse instituit tractationem de virtutibus et vitiis, tanquam partem totius Sacrae Doctrinae, cuius aureum Compendium exhibet in suo opere, nempe *in Summa totius Theologiae*. Verum cum Theologia Moralis, ut nunc traditur in scholis, seorsim explicetur et separatim a Theologia dogmatica; et sistatur potius in peccatis determinandis, quam in natura, proprietatibus et perfectionibus virtutum explicandis, ut sacerdotes et confessarii, in proprio munere implendo, potissimum instruantur, hinc factum est, ut post Busembaum et S. Alphonsum tractatus morales potius secundum ordinem praeceptorum in scholis explicentur quam secundum ordinem virtutum. Et cum hic ordo sit iam experientia comprobatus, facilior et planior sit, hic prae alio eligendus videtur. Non doctoribus, sed incipientibus potissimum attendendum est. Et sic Angelicus Doctor in Prologo summae Theologiae ait: « quia catholicae veritatis doctor non solum provectos debet instruere, sed ad eum pertinet etiam incipientes erudire, secundum illud Apostoli 1. ad Cor. 3., 1. *tanquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam*, propositum nostrae intentionis in hoc opere est, ea, quae ad Christianam religionem pertinent, eo modo tradere, secundum quod congruit ad eruditionem incipientium ». De Sacramentis autem ultimo loco agit S. Th. in 3. p., et de illis

ob indicatam iam rationem postremo loco disserendum videtur, quod fere omnes nunc faciunt.

49. Theologia Moralis, strictiori sensu sumpta, de qua agimus et prout distinguitur ab Ascetica et Mystica, triplici methodo pertractari potest: positiva, casuistica, et scholastica. Prima ex fontibus proprie theologicis morum praecepta et dogmata probat et ordinate exponit. Altera insistit in casibus practicis resolvendis, generalia principia ad particulares casus, variis determinatos circumstantiis, applicando. Tertia tandem potius quam auctoritate, rationis discursu procedit. Moralia enim praecepta et dogmata positive iam probata argumentis proprie theologicis, philosophicis principiis et rationibus confirmat, illustrat, eorumque intimos nexus, et relationes, ac consectaria declarat. Triplex ista methodus facile simul coniungi et adhiberi potest, et ex hac triplici methodo, simul permixta, perfecta et excellens Moralis tractatio habetur.

50. Scholastica methodus brevis de se est in quaestionum pertractatione. Verum cum plures e veteribus scholasticis longum saepe et eruditum instituerint examen oppositarum opinionum aliorum ad eas directe refellendas, vel approbandas et acceptandas, et eorum volumina in ingentem molem excreverint; hinc, maxime quoad Moralem Theologiam factum est, ut doctissima eorum opera nonnisi paucorum manibus versarentur. Quare, optimum factu videtur ad veram tradendam doctrinam Theologiae Moralis et ad maiorem addiscentium utilitatem scholastica methodo in ea procedere, omissa longa illa aliarum opinionum discussione, quod factum etiam observamus ab Angelico Doctore in Summa Theologica.

51. In rerum rationibus magis autem insistendum est. Nam, ut docet idem S. Thomas, quodl. 4. q. 9. a. 18., « quilibet actus exequendus est secundum quod convenit ad suum finem. Disputatio autem ad duplicem finem potest ordinari. Quaedam enim disputatio ordinatur ad removendum *dubitationem, an ita sit*; et in tali disputatione theologica maxime utendum est auctoritatibus, quas recipiunt illi, cum quibus disputatur... Quaedam vero disputatio est *magistralis* in scholis, non ad removendum errorem, sed *ad instruendum* auditores, ut inducantur ad intellectum veritatis, quam intendit: et tunc oportet rationibus inniti investigantibus veritatis radicem, et facientibus scire quomodo sit verum quod dicitur: alioquin, si nudis auctoritatibus magister quaestionem determinet, certificabitur quidem auditor, quod ita est, sed nihil scientiae, vel intellectus acquiret, sed vacuus abscedet ». Et sane negandum non est recentiores theologos non deesse, qui numero potius doctorum, quam rationum firmitate ducuntur et affirmatione potius quam demonstratione procedunt; unde huius doctrinae no-

vitii plurimum impediuntur. Ipse S. Alphonsus docet principaliter attendendam esse vim rationum intrinsecam: « auctoritas enim extrinseca non aliud operatur, quam offerre vis intrinsecae praesumptionem », l. 1. n. 79. pag. 59. ed. P. Gaudé.

52. Tandem quoad varias Theologiae Moralis vices, primis Ecclesiae saeculis usque ad saeculum XII., multis ea continetur scriptis de recta morum institutione et de recta administratione sacramenti poenitentiae, quae sive a privatis doctoribus sive ecclesiae auctoritate edita sunt. Veritates morales, nondum in unum doctrinae corpus collectae et ordinatae, potissimum et passim reperiuntur in Sanctorum Patrum operibus. — Saeculo vero XIII. simul cum theologia dogmatica, scientifica et scholastica forma, tradi coepit opera praesertim S. Thomae, S. Bonaventurae, Scoti. Plures autem eduntur Summulae rerum moralium secunda hac aetate, quae se protendit usque ad saeculum decimum quintum, et ad Concilium Tridentinum. — Post Concilium Tridentinum, saeculis XVI. et XVIII., innumeri sunt, qui de theologia morum scripserunt. Alii Commentaria scripserunt in 1^{am} 2^{ae} et 2^{am} 2^{ae} S. Thomae, alii integram theologiam moralem vel saltem magnam eius partem illustrarunt. Eminent hoc tempore Hispani: alii speciales tractarunt materias, alii casus collegerunt conscientiae, alii pastoralem potius excoluerunt theologiam. Celebratur inter alios Eusebius Amort, Germanus, quem magno in pretio habuit S. Alphonsus. Inter omnes celeberrimi sunt Thomas Sanchez S. I., L. Molina S. I., Franciscus Suarez S. I., Cardinalis De Lugo S. I. Hispani, Leonardus Lessius S. I. Belga, Paulus Laymann S. I. Germanus. Tertia hac aetate, quae se protendit usque ad S. Alphonsum M. de Ligorio, acres excitatae sunt opera Iansenistarum controversiae; exaggeratum et intollerabilem rigorismum defendentes, catholicos doctores, quos in eorum contemptum casuistas appellabant, ut corruptores habebant christianae moralis doctrinae. Plures contra eos decertarunt, praesertim e Societate Iesu inter quos recensentur Ven. Paulus Segneri, B. Francolinus, La Croix, aliique plures. Hac eadem aetate caeptae sunt controversiae de probabilismo; earumque plures Apostolica Auctoritate sunt diremptae. — Quarta et ultima aetas, saecul. XVIII. et XIX., a S. Alphonso initium ducit usque ad nostra tempora. Dux ipse est et magister omnium probabilistarum, qui deinde, non exiguo numero, usque ad nostra tempora eum omnes secuti sunt. Reiecto simul laxismo et rigorismo, verum S. Doctor tuetur probabilismum. Ex S. Doctore ubi, agatur de humani actus honestate licet sequi opinionem *vere* probabilem, reflexis principiis conscientiam practice certam sibi efformando; quam quidem sententiam *vere* probabilem pro libertate licet sequi, relicta etiam opposita probabiliori. Et hanc suam

doctrinam, quam S. Alphonsus diserte tradidit, et invicte probavit in Diss. *pro usu moderato opinionis probabilis* in concursu probabilioris constantissime semper defendit et nunquam retractavit.

53. Variorum Auctorum Catalogus habetur apud Franc. Ant. Zachariam de Locis Moralis Theologiae lib. prodrom. Operis La-Croix, et in Compendiis variis Theol. Moral. P. Gury. Conferatur etiam Nomenclator literarius P. H. Hurter, Enchiridion ad sacrar. disciplinar. cultores accommodatum Zeph. Zitelli-Natali, Scavini l. 1. n. 100. 101. 132. 133. 136. 147. ed. 12. Mediolani 1874., Supplementum Bibliothecae Lucii Ferraris, v. *Auctor*.

COMMENTARIUS SECUNDUS

DE CONSCIENTIA ET DE PROBABILISMO

I. — DE CONSCIENTIAE NATURA

1. Conscientia dupliciter sumi potest, *physice* et *moraliter*. Conscientia *physice* inspecta ad Psychologiam et ad Logicam pertinet, prout ea consideratur vel praecise quatenus facultas cognoscitiva est in proprios actus redeundi, vel praecise quatenus instrumentum est veritatis assequendae. Conscientia vero *moraliter* sumpta tum ad Theologiam Moralem spectat, tum ad Philosophiam Moralem. Quare hic de conscientia tantum moraliter considerata sermo erit. Dicemus primo de intrinseca natura huius conscientiae moralis; deinde vero de variis eius partitionibus.

2. Lex regulat humanas actiones in ordine ad earum moralem honestatem vel turpitudinem ope conscientiae. Etenim, ut eas regulet, applicari debet actioni hic et nunc efficiendae, ut videatur, an talis actio praecipiatur, prohibeatur, permittatur a lege, vel consulatur; ex qua applicatione iudicium deinde efformatur de tali vel tali actione, *hic* et *nunc* efficienda vel omittenda, et hoc practicum iudicium *conscientia* est. Quare conscientia nihil aliud est, quam *iudicium practicum*, quo rem *hic* et *nunc* agendam vel omittendam pronuntiamus, tanquam bonam vel malam; idque per modum praecepti, vel consilii, vel simplicis permissionis. *Iudicium practicum* i. e. practico-practicum seu proxime practicum. Iudicium enim respiciens non in concreto actionem *hic* et *nunc* ponendam, sed in abstracto liceitatem actionis, iudicium etiam practicum est, sed speculativo-practicum seu remote practicum. — Ut ergo lex est regula humanorum actuum obiectiva et externa, ita conscientia est regula subiectiva et interna

eorumdem actuum; illa remota haec proxima. Hinc humani actus bonitatem aut malitiam moralem, formalem, desumunt a conscientia et non a lege. Obiectum enim voluntatis est id quod proponitur a ratione. Unde sequitur, ex quo aliquid proponitur a ratione ut bonum vel ut malum, voluntatem, dum in illud fertur, rationem accipere boni vel mali. S. Th. 1. 2. q. 19. a. 5. 6.

3. Ut hanc conscientiam efformare possimus, syllogismum facimus. In hoc syllogismo propositio maior enuntiat generatim legem. Propositio vero minor eiusdem syllogismi comparat actionem, quam volumus hic et nunc facere cum lege. Denique consequens ex affirmata in praemissis conformitate vel difformitate talis vel talis actionis cum lege, pronuntiat talem vel talem actionem efficiendam *hic* et *nunc* esse ut bonam, vel omittendam ut malam, quod *iudicium* seu *dictamen conscientia* appellatur. *Dictamen*, dictare enim est praecipere, ordinare; et conscientia est velut lex interior, quae hominem ligat. *Iudicium*, siquidem ut dictamen de iis tantum est, quae fieri vel omitti *debeant*, iudicium est etiam de iis, quae fieri vel omitti *possunt*. Quare *conscientia* differt omnino a *synderesi*, quae naturalis habitus est primorum principiorum operabilium, quae naturalia principia sunt iuris naturalis. — S. Th. 1. p. q. 79. a. 12. 13., 1. 2. q. 76. a. 1., de Verit. q. 16. a. 1., q. 17. a. 1. 5., 2. d. 24. q. 1. a. 4., q. 2. a. 4.; Suarez tr. 3. d. 12. s. 1; L. l. 1. n. 1. 2 (ed. Neap. 1819., nisi alia expresse citetur).

4. « Et secundum hunc modum patet qualiter differant synderesis, lex naturalis, et conscientia: quia *lex naturalis* nominat ipsa universalia principia iuris, *synderesis* vero nominat habitum eorum, seu potentiam cum habitu; *conscientia* vero nominat applicationem quamdam legis naturalis *ad aliquid faciendum*, per modum conclusionis cuiusdam ». S. Th. 2. D. 24. q. 24. a. 4. Ex universalibus vero principiis speculative applicatis particularibus materiis scientia moralis habetur, quae determinatas deducit conclusiones, sed in abstracto.

5. Distinguit Angelicus Doctor 1. p. q. 79. a. 9. rationem superiorem et inferiorem. Illius est iudicare secundum motiva *sapientiae*, istius secundum motiva *scientiae*, secundum quod ratio intendat, ut ait S. Augustinus, in suo iudicio, aeternis vel temporalibus rebus. Hinc praedicta comparatio actionis, quam volumus hic et nunc facere, cum lege, fieri dupliciter potest, uno modo secundum rationem superiorem, seu secundum rerum aeternarum et legis divinitus revelatae cognitionem; alio modo secundum rationem inferiorem, seu secundum temporalium rerum rationalem cognitionem.

6. Ipse Angelicus Doctor sequenti exemplo illustrat praedictum syllogismum, quo nobis conscientiam efformamus, et comparationem

actionis faciendae cum lege, iudicio rationis superioris et inferioris. « Synderesis, ait, in hoc syllogismo quasi maiorem ministrat, cuius consideratio est actus synderesis; sed minorem ministrat ratio superior vel inferior, eius consideratio est ipsius actus; sed consideratio conclusionis elicitae est consideratio conscientiae. Verbi gratia, synderesis hanc proponit: Omne malum est vitandum. Ratio superior hanc assumit: Adulterium est malum, quia *lege Dei prohibitum;* sive ratio inferior assumeret illam, quia *ei est malum,* quia *iniustum,* sive *inhonestum.* Conclusio autem, quae est, *adulterium hoc esse vitandum,* ad conscientiam pertinet ». 2. D. 24. q. 2. a. 4.

7. Conscientia moralis, cuius naturam descripsimus iam, et de qua loquimur in praesenti, vocata est *conscientia antecedens,* ut distinguatur ab alia conscientia morali, quae appellatur *consequens,* et ea est, quae refert actionem iam factam, eamque fuisse moraliter bonam vel malam. Unde tria conscientiae tribuuntur: *testificari, ligare, accusare,* vel *excusare; testificari,* h. e. recognoscere aliquid nos fecisse vel non fecisse; *ligare,* h. e. iudicare aliquid esse faciendum vel non faciendum; *accusare* vel *excusare,* h. e. iudicare quod aliquid, quod est factum, sit non bene factum vel bene factum. — Ad vitandas autem cavillationes circa priorem illam conscientiam, quod non esset *conscientia* appellanda, cum de re non *acta* sed *agenda* iudicium ferat, conscientia enim *facta* refert *interna,* breviter adnotamus, usum iam obtinuisse ut sic vocetur. Usus autem hac in re sufficiens ratio est. Sed et ipsa vis nominis nullo pacto aliena est a tali significatione. Etenim « conscientia secundum proprietatem vocabuli importat ordinem scientiae ad aliquid; nam conscientia dicitur *cum alio scientia* », id est applicatio scientiae ad aliquid, quae non fit nisi per aliquem actum. Quare recte *conscientia* dicitur ille actus mentis seu intellectus, quo humanus dirigitur actus, in concreto, seu hic et nunc ponendus. Et inde est quod *conscientia* appellari solet etiam *synderesis* seu habitus naturalis principiorum operabilium; habitus enim est principium actus, et « consuetum est quod causae et effectus per invicem nominentur ». S. Th. 1. p. q. 79. a. 13.; Laymann l. 1. c. 2. n. 1.; Sanchez de Praec. Dec. l. 1. c 9. n. 1.

8. Porro formalis bonitas vel malitia humanorum actuum non a conscientia *consequenti,* sed ab *antecedenti* est desumenda. Hinc illi, qui student theologiae morali, nonnunquam decipiuntur, quia existimant post adeptam scientiam se in pluribus peccasse; quandoquidem ea scientia carebant cum agebant, et bona fide tunc versabantur. Idem dicatur de rudibus aliisque omnibus, qui post auditam concionem, post libri pii lectionem, incipiunt versari in anxietate quoad praeteritas operationes. — S. Th. 1. p. q. 79. a. 13., de Verit. q. 17. a. 1. 2.

9. Si in illo syllogismo, qui efformandus est, ut conscientia habeatur, maior propositio, seu lex, semper evidenti certitudine constaret, et minor propositio, seu quod haec vel illa actio in lege contineatur, semper etiam evidenti certitudine constaret, non daretur nisi unica conscientia, conscientia certa et recta. Sed, cum et lex et applicatio legis colligendae saepe sint vi difficilis ratiocinationis, hinc variae adsunt species conscientiae. Nunquam tamen error, ut patet, contingere potest vi synderesis; sed vi tantum rationis errantis. « Contingit, ait S. Thomas, conscientiam errare, non propter synderesis errorem, sed propter errorem rationis; sicut patet in haeretico, cui dictat conscientia, quod prius permittat se comburi quam iuret: quia ratio superior perversa est in hoc quod credit, iuramentum simpliciter prohibitum ». 2. D. 24. q. 2. a. 4.

10. Dividitur ergo: 1.° In conscientiam *rectam* et *erroneam*. Recta illa est, quae dictat quod est verum; erronea, quae dictat tamquam verum quod falsum est. Conscientia erronea, alia est *vincibiliter*, alia *invincibiliter* talis, prout error moraliter vitari potuit ac debuit, vel moraliter vitari non potuit. 2.° In conscientiam *certam*, *probabilem*, *dubiam*, *strictam*, *laxam*, *scrupulosam*, prout fundatur in motivo certo, probabili, dubio, strictiori, laxiori, vel omnino inani. Conscientia, *subiective* tantum certa, quae nempe talis existimatur, adeoque certitudine latius accepta, itemque conscientia probabilis et dubia potest esse *obiective* recta vel erronea. Ad erroneam vero scrupulosa, stricta et laxa revocantur. Absque enim sufficienti ratione, *scrupulosa* peccatum timet, ubi peccatum non est; *laxa* iudicium in favore libertatis inflectit, vel ad legem simpliciter vitandam, vel ad eius minuendam obligationem; *stricta* vero vel obligationem quae non adest, vel graviorem quam reapse adsit, affirmat.

11. *Laxae* conscientiae plures sunt gradus; est enim *pharisaica*, si magni quis faciens parvas quasdam observantias, parvi faciat gravia praecepta; est autem *cauteriata* si ex contracto peccandi habitu gravia peccata parvipendat. — *Laxa conscientia* saepe non sumitur pro *conscientia*, quae mentis actus est et non habitus, sed pro habituali animae dispositione ad laxitatem; et similiter *scrupulosa conscientia* non raro non sumitur pro ipsa proprie conscientia, sed pro habituali dispositione animae ad scrupulos propensae. — Suarez tr. 3. d. 12. s. 2.; S. Th. 1. 2. q. 19. a. 3. a. 6. ad 2., Quodl. 3. a. 26.

II. — DE CONSCIENTIA CERTA

12. Conscientia *certa* proprie est ea conscientia, quae innititur motivo certo; et consequenter iudicat de honestate vel turpitudine actionis faciendae absque formidine errandi. Minus vero proprie est,

quae simpliciter absque ulla errandi formidine iudicat de honestate vel turpitudine actionis. Haec *subiective* tantum, illa etiam *obiective* certa est. *Certa* item esse potest stricte et late seu moraliter. Stricte certa excludit omne dubium tum prudens tum imprudens. Late seu moraliter certa omne tantum prudens dubium excludit. Eius vis directiva quoad liceitatem vel illiceitatem humanorum actuum, praeceptorum vel prohibitorum, sequentibus propositionibus declaratur.

13. *Nonnisi conscientia certa humanorum actuum proxime directiva est.* — Prob. « Ita se habet imperium alicuius gubernantis ad ligandum in rebus voluntariis, illo modo ligationis, qui voluntati accidere potest; sicut se habet actio corporalis ad ligandum res corporales necessitate coactionis. Actio autem corporalis agentis nunquam inducit necessitatem in rem aliam, nisi per contactum coactionis ipsius ad rem in qua agit. Unde nec ex imperio alicuius regis vel domini ligatur aliquis, nisi imperium attingat ipsum cui imperatur: *attingit autem ipsum per scientiam. Unde nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti. Et ideo ille, qui non est capax notitiae, praecepto non ligatur. Nec aliquis ignorans praeceptum Dei ligatur ad praeceptum faciendum, nisi quatenus tenetur scire praeceptum. Si autem non tenetur scire, nec sciat, nullo modo ex praecepto ligatur.* Sicut in corporalibus, agens corporale non agit nisi per contactum; ita et in spiritualibus *praeceptum non ligat nisi per scientiam* ». S. Th. q. 17. de Verit. art. 3.

14. Ligatur ergo homo *per scientiam,* seu certam notitiam, *praecepti, a quo* tamen proprie ligatur. Unde S. Doctor pergens ait: « Et ideo sicut est eadem vis qua tactus agit, et qua virtus agentis agit, cum tactus non agat nisi virtute agentis, et virtus agentis non nisi mediante tactu; ita eadem virtus est, qua praeceptum ligat, et qua conscientia ligat, *cum praeceptum non liget nisi per virtutem scientiae, nec scientia, nisi per virtutem praecepti.* Unde cum conscientia nihil aliud sit quam applicatio notitiae ad actum, constat quod *conscientia ligare dicitur vi praecepti divini.* Ergo dicendum quod homo non facit sibi legem, sed per actum suae cognitionis, qua legem ab alio factam cognoscit, ligatur ad legem implendam ». Hic autem actus cognitionis nonnisi *scientia legis* ex S. Thoma est, seu *certa legis cognitio;* quaelibet alia incerta cognitio, non legem, sed legis dubium manifestat, a quo certe voluntas ligari non potest.

15. Dupliciter quidem ex eodem Angelico Doctore obligatur quis aliquo praecepto, vel quia illius *scientiam* habet, vel quia *tenetur* illud *scire.* Iamvero quando, adhibita morali diligentia, de praecepto non constat, nec scientia tunc praecepti habetur, nec tenetur illud amplius scire, cum iam ex hypothesi necessaria adhibita est dili-

gentia ad illud cognoscendum, et cognosci non potuit. Quare tunc *scientia legis* deest, et nulla haberi potest voluntatis obligatio.

16. *Nefas est agere sine conscientia subiective certa de actionis honestate.* — Prob. qui agit sine hac conscientia, vult actionem, de cuius honestate vel turpitudine incertus est. Atqui velle actionem de cuius honestate vel turpitudine quis incertus est, nihil aliud est quam eam velle sive bona sive mala sit. Atqui iterum velle actionem sive bona sive mala sit illicitum est; nam haec est voluntas consentiens in malum. Ergo. Notum autem est Apostoli dictum ad Rom. 14., 23.: *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Scilicet peccatum est, quod non est ex certa persuasione quod licitum sit. — S. Th. 1. 2. q. 19. a. 3. 5., Quodl. 3. a. 27. ad 2., Quodl. 8. a. 13.; L. l. 1. n. 3.; Suarez tr. 3. d. 12. s. 3.

17. Peccatum ex hoc praecise, quod sit contra conscientiam non habet specialem malitiam, nisi fiat ut conscientia vincatur. Ratio 1.ⁱ est, quia hoc est intrinsecum et commune omni peccato, ut sit contra conscientiam. Ratio 2.ⁱ est, quia habetur tunc contemptus directe volitus regulae omnis bonae operationis, et sic exponitur quis periculo omnium scelerum, quod uti patet specialis, eaque gravissima, inordinatio voluntatis est, contra naturalem inclinationem voluntatis in bonum. — Lessius in q. 19. a. 6. d. 3.; S. Th. 2. 2. q. 14. a. 1. 4.

18. Speciale item peccatum est, si quis peccet ex certa malitia per contemptum, abiiciendo et removendo id quod electionem peccati poterat impedire; et peccatum contra Spiritum Sanctum est. — Huius sex species recensentur: desperatio, praesumptio, impoenitentia seu propositum non poenitendi, obstinatio seu propositum peccato inhaerendi, impugnatio veritatis agnitae, ut licentius quis peccet, invidentia fraternae gratiae. qua quis non solum invidet personae fratris, sed etiam gratiae Dei crescenti in mundo.

19. *Sola conscientia subiective certa est regula morum. Sufficit autem conscientia moraliter certa.* — Prob. 1.ª p. Nam, ut constat ex priori prop., n. 13. 16., sine hac conscientia nequit quis agere. Praeter hanc conscientiam alia subiective perfectior non datur. Ergo cum hac sola potest quis agere; adeoque sola haec conscientia est regula morum. Prob. 2.ª p. 1.° Ex communi dd. sententia, et praxi universali. 2.° Quia plerumque alia certitudo haberi nequit; et nemo necessario peccat. 3.° Quia, stante ista morali certitudine, quis prudenter agit, nam certitudo moralis licet non excludat omne dubium tum prudens, tum imprudens; excludit tamen omne dubium prudens. Ergo. — Ad Rom. 14., 23.; C. *Litteras* 13. *de Restit. spoliat.*; S. Th. 2. 2. q. 47. a. 9. ad 2, q. 70. a. 2.

20. *Fas est agere iuxta conscientiam certam, at invincibiliter er-*

roneam. — Prob. Qui sic agit vult quantum in se est actionem bonam, et nonnisi in actionem bonam consentit. Atqui ius est velle hanc actionem. Ergo. Prob. mai., nam nihil volitum nisi praecognitum. Ergo, stante conscientia invincibiliter erronea, qui iuxta eam agit vult quantum in se est actionem bonam, et non nisi in actionem bonam consentit. — L. l. 1. n. 5.; Elbel 126.

21. Quare ille qui ita est persuasus, ut debeat mendacium dicere ad liberandum proximum a gravi malo, mentiendo non peccat, imo actum ponit formaliter bonum — Quamvis conscientia erronea materialiter a lege discordet, ab ea tamen quis obligatur, quia conscientia erronea, errorem uti legem proponit. Cum obligatio ex lege oriatur; in praedicto casu conscientiae erroneae, obligatio directe non exoritur a lege, esse mentiendum, quae non est; sed exoritur a generaliori lege naturali faciendi bonum, et vitandi malum; et malum vitandum, in casu, uti bonum faciendum apprehenditur. S. Th. de Verit. q. 17. a. 4. ad 3.

22. *Nefas est agere contra conscientiam certam, at invincibiliter erroneam.* — Prob. Qui sic ageret vellet actionem, quam iudicavit prohibitam; nollet quam iudicavit praeceptam. Atqui nefas est habere hanc voluntatem, quia est voluntas consentiens in malum. Ergo « Dicendum, quod simpliciter omnis voluntas discordans a ratione, sive recta, sive errante, semper est mala ». S. Th. 1. 2. q. 19. a. 5., 2. D. 39. q. 3. a. 3., Quodl. 3. a. 27.; L. l. c.; Caietan. in l. 2. q. 19. a. 5.; Suarez tr. 3. d. 12. s. 4.

23. Quare ille qui credit se obligari ad dicendum mendacium, ut proximum a gravi liberet malo, peccat non mentiendo.

24. *Fas est agere iuxta conscientiam certam, licet vincibiliter erroneam.* — Prob. Quia cum actio iudicetur honesta vel turpis cum certitudine, voluntas agens secundum hanc conscientiam honestum prosequitur, et turpe fugit, quod omnino licet. Quod autem conscientia haec sit vincibiliter erronea, hoc non facit quod, quando quis *actu agit* secundum eam, peccet; sed hoc facit quod culpa sit solum *in causa*, unde etiam est, quod iudicium de eius gravitate vel levitate ferendum sit non ex gravi vel levi effectu, sed ex gravi vel levi negligentia in veritate inquirenda. Iam vero *quando quis actu agit*, si nullo pacto attendit ad erroneam quam habet conscientiam, et de ea nullam habet suspicionem, siquidem conscientia *certa* ex hypothesi hic et nunc est, iam non *ex vincibiliter erronea*, sed *ex invincibili* conscientia agit. — La-Croix l. 1. n. 42. 43. 757. 760.; Kenrick ed. 2. Mechl. 1860. n. 36.

25. Quare ille, qui *hic et nunc* iudicat se teneri ad furtum committendum, ut pauperi subveniat, furando non peccat. Qui autem habitualiter *laxae* sunt *conscientiae*, ordinarie graviter peccant, grave

praeceptum transgrediendo, quia eius, ordinarie loquendo, saltem confusam aliquam habent cognitionem.

26. *Nefas est agere contra conscientiam certam, at vincibiliter erroneam.* — Prob. Quia tunc quis ageret contra iudicium certum; et vellet actionem quam iudicat prohibitam, nollet actionem quam iudicat praeceptam; quae voluntas mala est; nam in malum afficitur. Ergo. S. Th. l. 2. q. 19. a. 5. 6.; Suarez tr. 3. d. 12. s. 4.; Elbel 122. 137, 138.; L. l. 1. n. 4.; La-Croix l. 1. n. 42. 43. 757. — « Et ideo dicendum est, quod omnis conscientia, sive *recta* sive *erronea*, sive in per se malis, sive in indifferentibus, est obligatoria; ita quod, qui contra conscientiam facit, peccat ». S. Th. Quodl. 3. a. 27., Quodl. 8. a. 15.

27. « Peccatum contra conscientiam commissum habet suam speciem ex materia particulari, in qua putatur versari; vel ex ordine ad particulare praeceptum, cui putatur adversari, v. g., si putes rem, quam accipis non esse tuam, attamen revera tua sit, erit peccatum furti; si putes esse contra obligationem voti, erit peccatum sacrilegii. Ratio est, quia peccata accipiunt speciem ex obiecto vel actionis externae vel voluntatis. Nec refert, sitne hoc obiectum revera malum, sed an apprehendatur ut malum; quia voluntas fertur in illud, prout a ratione proponitur ». Lessius in q. 19. a. 6. d. 3.; S. Th. 1. 2. q. 19. a. 5. ad 3.

28. *Nullum est peccatum agere contra conscientiam certam erroneam, si desit agendi libertas.* — Ratio patet, quia ubi non habetur liberum, ibi non habetur peccatum. Et sic non peccat ille, qui credit peccare, habens turpes cogitationes, vel patiens turpes motus, quos licet detestetur, impedire tamen non potest.

29. *An quis laborare possit conscientia invincibiliter erronea quoad prava desideria, aliosque actus mere internos, si nempe nulla exterior actio sequatur?* — De desiderio explicite et generatim loquens Elbel haec habet n. 127: « Quod multi saltem e rudioribus, et minus eruditis, inculpabiliter possint sibi persuadere huiusmodi desideria non esse mala, nisi opere compleantur, videtur satis certum, quod et Sanch., Stoz, La-Croix expresse docent ». Hanc opinionem, ait S. Alph. l. 1. n. 9., « nunquam probabilem censere potui. Cum aliis doctis recentioribus parum probabilem censeo ». Huius sententiae ratio est, quia, si quis certo cognoscit malitiam actionis externae, et *vult* tamen illam exequi, iam cognoscit se *velle* malum. Quomodo ergo a peccato excusabitur? Quoad simplicem vero delectationem facilius ea invincibilis ignorantia adesse potest; tendentia enim voluntatis in malum tam evidens non est, uti in desiderio de se *efficaci*. Idemque etiam de desiderio *inefficaci* dicendum videtur.

30. *An dari possit conscientia invincibiliter erronea circa praecepta iuris naturae?* — « Certum est, quod in primis iuris naturalis

principiis, aeque ac in proximis conclusionibus et certis obligationibus proprii status non datur invincibilis ignorantia, quia lumine ipso naturae talia omnibus nota sunt, praeterquam illis, qui oculos claudunt, ne ea videant... Contra vero unanimis theologorum sententia est... in conclusionibus, mediatis et obscuris seu remotis a principiis, utique dari et admitti debere ignorantiam invincibilem », L. l. 1. n. 8. 170. seqq.; Struggl tr. 3. q. 1. n. 10.-13.; S. Th. Quodl. 3. a. 36.; de Verit. q. 17. a. 2.; ad Rom. 2., 14. 15.

31. Lex aeterna, in mente divina existens, perfectissime ordinem rerum exhibet. Lex naturalis, quae legis aeternae applicatio est, in mente humana existit. Quare lex naturalis eo ipso quod per humanam rationem manifestatur a summa deficit aeternae legis perfectione. Hinc fit, ut non semper quod nos cogitamus et iudicamus, in difficilioribus rebus, divinae mentis regulis respondeat, et manet nobis obscurum et ignotum. Unde illud quamvis materialiter et quoad se pertineat ad legem naturalem, non tamen formaliter et quoad nos, cum naturali lumine nobis non fuerit sufficienter promulgatum.

32. *An pueri malitiam pollutionis invincibiliter ignorare possint?* — R. Affirmative, absolute loquendo, saltem in aliquo raro casu, et in principio pravae consuetudinis. Ratio, nam quod adspectus, vel tactus impudicus, aut captatio voluptatis ex pollutione procurata, vel etiam naturaliter exorta, etc. sint moraliter mala, et illicita, non ita evidenter innotescit ex ipsa comprehensione primorum principiorum, sed opus est discursu ad deprehendendam eorum malitiam. Ergo malitia eorum potest saltem ad aliquod tempus inculpabiliter ignorari. Ex quo facile concludet prudens confessarius, in tali contingentia facti, caute et prudenter esse procedendum; quae cautela et prudentia, si cum omnibus speciatim in materia castitatis observanda est, maxime vero cum pueris et puellis. — Elbel 128.; Struggl l. c. n. 13.

III. — DE CONSCIENTIA PROBABILI ET DE PROBABILISMO

33. « Conscientia probabilis est, qua quis innixus opinione probabili, format sibi practicum dictamen rationis ex certis principiis reflexis sive concomitantibus, ad licite operandum ». L. l. 1. n. 40. Sic, e. g., Titius confessarius, *opinione probabili* innixus, iudicat se probabiliter iurisdictionem habere. Deinde vero ait, et hoc est *principium reflexum:* Atqui, stante iurisdictione vere probabili, Ecclesia eam certo supplet. Ergo, concludit, et est *practicum conscientiae dictamen*, valide et licite, in casu, absolvere possum: et absolvit.

34. « Diversae dantur probabilitatum species... Opinio *tenuiter probabilis* est, quae aliquo fundamento nititur, sed non tali ut valeat assensum viri prudentis ad se trahere... *Probabilis* est, quae gravi momento nititur, vel intrinsecae rationis, vel extrinsecae auctoritatis, quod valet ad se trahere assensum viri prudentis, etsi cum formidine oppositi. *Probabilior* est, quae nititur fundamento graviori, sed etiam cum prudenti formidine oppositi, ita ut contraria etiam probabilis censeatur. *Probabilissima* est, quae nititur fundamento gravissimo quapropter opposita censetur vel *tenuiter*, vel *dubie probabilis*... Opinio sive sententia *moraliter certa* est, quae omnem prudentem formidinem falsitatis excludit, ita ut opposita reputetur *omnino improbabilis*. Opinio demum *tuta* est, quae recedit ab omni peccandi periculo. *Tutior* vero, quae magis a tali periculo recedit, tametsi rationibus firmioribus non nitatur ». L. l. c.

35. At exacte magis haec S. D. de opinione *probabilissima* H. A. tr. 1. n. 65.: « Nisi velimus opinionem *probabilissimam* cum opinione *absolute certa* confundere, opus est dicere, quod opinio contraria probabilissimae non est *tenuiter probabilis*, sed *dubie probabilis* ». Ratio, quia opinio probabilissima « inter fines probabilitatis est ». adeoque « non excludit omnem prudentem formidinem ». « Tenuis vero probabilitas non est vera probabilitas, adeoque non affert secum prudentem rationem. At dubia probabilitas aliqualem affert prudentem rationem, licet non omnino certam et stabilem ». Cf. etiam Op. Mor. l. 1. n. 85.

« Veritas cognita sine formidine dicitur certitudo. Veritas autem probabiliter cognita dicitur opinio. Volunt adversarii, quod *opinio vere probabilis* sit illa tantum, quae hinc inde, omnibus pensatis cognoscitur vera; ita ut oppositum videatur certe falsum. *Sed errant in terminis;* nam hoc dicendum *de scientia, sive de certitudine morali*, non autem de opinione probabili. quae de se fert ut sit fallibilis, *et eius contraria sit etiam probabilis*, id est *probabiliter vera* »: S. Alph. Dissert. Scholastico-mor. a. 1749.

36. Iam vero ex conscientia probabili practice sequenda probabilismus exoritur. Probabilismus ad unicam reducitur propositionem applicata humanae actioni, quoad eius liceitatem, in casu dubii: *Lex dubia non obligat.* Ecce quid est probabilismus, et nihil aliud est nisi hoc. *Probabilismus* dictus est, quia semper ac contra legem est opinio vere probabilis, lex est dubia, et consequenter non obligat. Unde *Probabilismus* dicitur etiam systema morale, quo in dubiis licet simpliciter sequi, quoad liceitatem agendi, ex reflexo aliquo principio, opinionem vere probabilem contra legem.

37. Omnino differt a *ceteris systematibus moralibus.* Differt a *tutiorismo* rigido et mitigato, quia primus statuit: Non licet sequi

sententiam faventem libertati, nisi sit moraliter certa; alias semper pars tutior tenenda est in praxi. Secundus statuit: non licet sequi opinionem minus tutam, nisi sit probabilissima.

38. Differt *a laxismo,* qui etiam probabilismus latus seu laxus dicitur; quia probabilistae laxi aiunt: licitum est sequi opinionem tenuiter aut dubie probabilem. Probabilismus simpliciter dictus, vel probabilismus moderatus opinionem tenuiter probabilem et dubie probabilem omnino excludit, quia non sunt hae opiniones vere probabiles. Opinio vere probabilis non est, nisi quae graviter et certo probabilis est. Haec est enim sola, quae prudenter movere potest ad assensum virum prudentem, in dubio gravis alicuius negotii; ac sola ea est, quae vere gravi innititur motivo.

39. Differt a *probabilioristismo;* quia probabilioristae aiunt non licere sequi opinionem pro libertate probabilem, quando altera pro lege est probabilior. — Ab aequiprobabilismo differt, quia aequiprobabilistae affirmant licere sequi opinionem vere probabilem faventem libertati, quando contraria pro lege est aeque probabilis vel parum probabilior, minime vero quando contraria pro lege est certo et notabiliter probabilior.

40. Ex dictis autem patet sine ulla veritate probabilismum appellari ab adversariis *minusprobabilismum.* Probabilistae enim non dicunt quod non licet sequi nisi opinionem minus probabilem, ut probabilioristae dicunt quod non licet sequi nisi probabiliorem et aequiprobabilistae aeque probabilem; sed dicunt, quod licet sequi simpliciter opinionem probabilem; minime vero quod non licet sequi nisi opinionem minus probabilem.

41. Hisce praestitutis, dicendum nunc est de vi directiva conscientiae probabilis, et consequenter de probabilismi veritate. Idque sequentibus propositionibus gradatim declarabitur et probabitur.

42. Ne verborum sit cavillatio, ad nos quod attinet, non alias *quoad doctrinam* agnoscimus opiniones intra limites *verae probabilitatis,* nisi opinionem *probabilem, probabiliorem, probabilissimam. Infra probabilem* non est nisi *non probabilis, improbabilis,* cuius vero varii gradus esse possunt: supra *probabilissimam* non est nisi *certa.* Probabilis *immediate* opponitur, oppositione comparationis, probabiliori; *mediate* vero probabilissimae; itemque probabilissima *immediate* opponitur probabiliori, *mediate* vero probabili; nisi *probabilissimam* cum *certa* reapse confundere quis velit.

43. Duplex autem distinguenda est probabilitas; intrinseca et extriseca. Illa fundatur in rationibus ex ipsa re desumptis; haec in doctorum auctoritate; et intrinsecam probabilitatem praesupponit vel saltem praesumere facit. Uti intrinseca probabilitas maior vel minor esse potest ex pondere rationum, ita etiam extrinseca

probabilitas maior vel minor esse potest ex auctorum numero et doctrina.

44. *Cum conscientia, practice probabili, quae proxime actionem dirigit, hic et nunc reapse ponendam, nefas omnino est operari.* — Etenim sola conscientia subiective certa morum regula est. Atque hoc sensu falsum consequenter est effatum illud : *Qui probabiliter agit prudenter agit.* L. l. 1. n. 58. 69. 80. Quare tota quaestio hic est de conscientia *speculative probabili*, quae *remote* tantum actionem dirigit, enuntians probabilem existentiam legis ; an nempe ope alicuius ratiocinii gradum iure facere possimus a conscientia *speculative probabili*, ad conscientiam *practice certam ;* vel quod idem est, an, stante probabili opinione de honestate alicuius actionis in *generali*, possimus nobis certam conscientiam efformare de honestate talis actionis in *particulari* et individuo casu, et sic licite sequi in praxi opinionem speculative probabilem. Ad *hanc quaestionem* resolvendam seqq. statuuntur propositiones.

45. *Non licet practice sequi opinionem tenuiter vel dubie probabilem, tutiore relicta.* — Propositio haec est contra *probabilistas laxos,* iuxta quos licitum est sequi opinionem *tenuiter* aut *dubie probabilem.* — Prob. 1 p. Id primo constat ex pr. 3ª d. ab. Innoc. XI : « generatim dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca, *quantumvis tenui,* modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus semper prudenter agimus » — Insuper opinio *tenuiter probabilis* est opinio *tenui* innixa motivo ; tenue autem motivum est motivum minime sufficiens ad movendum ad assensum virum gravem seu prudentem, adeoque vere probabilis non est. Enimvero opinio vere probabilis ea dicitur, quae tali innititur motivo, ut sufficiens sit ad movendum ad assensum virum prudentem. Atqui, si talis opinio insufficiens est ad movendum virum prudentem ad iudicium de non existentia legis, impossibile est sibi efformare coscientiam de liceitate actionis. — Prob. 2 p. Neque vero licet practice sequi opinionem *dubie probabilem.* Opinio enim dubie probabilis est opinio innixa motivo *dubio,* de quo nempe prudenter dubitari potest, an sit vere grave et prudens seu sufficiens ad movendum ad assensum virum prudentem. Evidens autem res est, quod vir prudens in rebus gravis momenti non innitatur huiusmodi motivo ; unde, si res reapse non bene succedat, omnes eum iure merito imprudentiae insimularent. Gravior autem res est moralis bonitas vel malitia humanorum actuum quam quodlibet aliud temporale negotium. — Insuper, stante tenui vel dubia probabilitate, impossibile est sibi efformare dictamen practicum moraliter certum de liceitate actionis. Enimvero, levis vel dubia ratio pro libertate, non aufert neque auferre potest legis certitudinem. Quare, lege moraliter certa manente, observanda omnino est. — L. l. 1. n. 40.

46. Ex cit. pr. d. ab Innoc. XI tum quia agitur in ea de *tenui* etiam *probabilitate*, tum quia nimis generatim asserit quod *semper prudenter agimus*, dum probabilitate confisi aliquid agimus, nihil contra probabilismum erui potest. Nam *tenuis probabilitas* non est vera probabilitas. Neque vero probabilismus extenditur ad casum, ubi agatur de veritate rei et fine absolute obtinendo. — Opinioni *tenuiter* probabili opponitur opinio *graviter* probabilis, opinioni *dubie* probabili opponitur opinio *certe* probabilis. Sed *graviter* probabilis et *certe* probabilis nonnisi *probabilis* est, quae nisi gravi et certo fundamento innitatur, probabilis revera non est. Quare *tenuiter probabilis* et *dubie probabilis* a probabilismo omnino excluduntur. — Non desunt qui opinionem *dubie* probabilem et *tenuiter* probabilem inter se confundunt. *Practice* quidem saepe confunduntur : sed *speculative*, attenta natura rei, inter se omnino distinguuntur. La Croix l. 1. n. 126.

47. *Non licet sequi opinionem probabilem, de ipsa rei obiectiva veritate, ubi agatur de fine absolute obtinendo, tutiore relicta.* — Prob. Qui absolute tenetur ad finem, is ea tenetur seligere media, quae finem obtinendum in discrimen minime adducant. Atqui opinio probabilis, cum falsa esse possit, periculum affert frustrandi finem, absolute obtinendum. Etenim obiectiva veritas seu existentia rei haud sane habebitur, si opinio circa ipsam probabilis sit falsa. Ergo. L. l. 1. n. 42. *Absolute obtinendo*, « quando scilicet ex iustitia vel caritate vitare (quis) damnum tenetur, quod in re ipsa subest », Suarez ap. S. Alph. Op. Mor. edit. Rom. a. 1757., l. c. n. 33., vel periculum eius. Tunc utique « in dubio via tutior est eligenda ». C. *Illud* 5. *de Cler. exc.* Casus item addendus est, quo quis ad tutius teneatur ex speciali positiva aliqua lege vel praecepto, vel contractu, vel voto. — Suarez tr. 3. d. 12. s. 5. n. 8., s. 6. n. 10. ; de Censuris d. 40. s. 6. n. 8. 9. ; L. l. 2. n. 10., l. 6, n. 918. p. ult. ; L. l. 3. n. 700. pag. 167 nota ed. P. Gaudè.

48. Non licet ergo sequi opinionem probabilem, sed tutiorem omnino seligere debemus in iis omnibus, quae necessaria sunt, *necessitate medii*, ad salutem ; ubi factum ipsum, seu rei veritas unice attenditur. Hinc religionem magis tutam amplecti debemus. Pr. 4. d. ab Innoc. XI. ; L. l. 1. n. 43. — In collatione sacramentorum tenetur minister sententiam sequi tutiorem, *nisi adsit necessitas*, vel *Ecclesia suppleat* ; agitur enim iterum de veritate rei. Non haberentur autem sacramenta, nisi reapse ponerentur, quae Christus ad eorum valorem instituit. Pr. 1. d. ab Innoc. XI. *Nisi adsit necessitas* ; « etenim in extrema necessitate bene uti possumus qualibet opinione, non solum probabili, sed etiam tenuiter probabili pro valore sacramenti... modo sacramentum conferatur sub conditione ; quia

conditio satis reparat sacramenti iniuriam, si forte invalide conferatur; et contra necessitas sufficiens et iusta est causa sacramenta conditionate conferendi ». L. l. 1. n. 49. *Nisi Ecclesia suppleat*; nam « licite uti possumus opinione probabili, ubi praesumitur Ecclesia supplere, ut evenire potest in sacramento matrimonii ad convalidandum contractum probabiliter tantum validum, si forte contractus ille est nullus ob impedimentum, quod Ecclesia supplendo aufert, et in sacramento poenitentiae ad supplendam iurisdictionem confessarii, si forte illa desit ». L. l. 1. n. 50.

49. Medicus tenetur adhibere medicamenta tutiora, quae in casu haberi possunt; agitur enim hic de ipso effectu obiectivo, h. e. de sanitate infirmi, absolute obtinendo. Et sane medicus non solum ex caritate, sed etiam ex iustitia, ratione officii et taciti contractus tenetur providere meliori modo saluti infirmi a quo stipendium accipit. L. l. 1. n. 44 — Iudex iudicare non potest iuxta sententiam minus probabilem; ipse enim tenetur ex praecepto divino et humano ius suum cuique tribuere. Pr. 2. d. ab. Innoc. XI; L. l. 1. n. 47. — Venator, qui probabiliter iudicat obiectum, in sylva latens, esse hominem, ferire non potest, licet probabilius iudicet esse feram. Nam ex una parte proximus habet ius certum vitae suae, ex altera maior probabilitas non facit ut, si revera sit homo, ictu non pereat. L. l. 1. n. 52., H. A. tr. 1. n. 33.

50. Quando scandala gravioraque mala imminent, tutior eligenda est pars, qua evitentur, ut omnium consulatur utilitati. C. *Illud.* 5 de *Cler. exc.* — Generatim tutiora eligenda, cum *quoad caritatem* periculum vitandum est peccandi formaliter, quoad *iustitiam* damnum vitandum est eius, qui in certa possessione est certi iuris sui.

« Non possumus uti opinione probabili cum periculo spiritualis aut temporalis damni proximi semper ac proximus est in certa sui iuris possessione », S. Alph. H. A. tr. 1. 33., Apolog. a. 1769. n. 4.

51. *Licet sequi opinionem vere probabilissimam, et etiam probabiliorem, relicta tutiore, ubi de sola actionis honestate agatur.* — Propositio haec est contra *tutioristas rigidos et mitigatos*. Primi dicunt: Non licet sequi sententiam faventem libertati, nisi sit moraliter certa; alias semper pars tutior tenenda est in praxi. Alteri dicunt: Non licet sequi opinionem minus tutam, nisi sit probabilissima. — *Honestas actionis*, de qua hic agitur bene diversa est ab *effectu ipsius actionis* seu a *veritate rei*, de qua in praeced. prop. Honestas humanae actionis dependet a dictamine conscientiae, quae est regula proxima humanorum actuum; effectus actionis, seu veritas rei, dependet ab ipso facto actionis. Illa subiectiva est; haec obiectiva. — Prob. 1.ª p. ex pr. 3.ª damnata ab Alex. VIII a. 1690: « Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam »;

cuius propositionis auctor fuit Ioannes Sinnigh (8. oct. 1666.), lovaniensis doctor, et Corn. Ianseni defensor, quem alii Ianseniani secuti sunt. Unde patet tutiorismum rigidum Iansenistarum ab Ecclesia iam fuisse reprobatum. Et sane nulla datur obligatio faciendi quod tutius est; sufficit enim facere quod tutum est. Nulla item datur obligatio praecavendi semper periculum materialiter peccandi, neque dari potest, id enim esset moraliter impossibile; obligatio tantum adest vitandi periculum formaliter peccandi. — Prob. 2ª p. Prima huius propositionis pars est contra tutioristas rigidos, nempe Iansenianos; secunda haec pars est contra tutioristas mitigatos, Iansenio eiusque asseclis faventes. Iam vero, si non licet sequi practice opinionem pro libertate, nisi ea sit probabilissima, tunc aut opinio haec probabilissima sumitur pro moraliter certa, aut ut verbum sonat pro probabili in summo utique gradu, sed non certa. In primo casu tutiorismus mitigatus reincideret in damnatum tutiorismum rigidum, in altero casu in falsam incideret doctrinam contra Apostolum, dicentem *omne quod non est ex fide*, id est ex certa honestatis persuasione, *peccatum est*, ad Rom. 14., 23., nisi ad principium reflexum recurratur, ut explicatur in prop. seq.; et tunc quamlibet licet sequi probabilem opinionem. Cf. seq. n. 52. — L. l. l. n. 40. 54.; Suarez tr. 3. d. 12. s. 6 n. 8.; Antoine de Consc. c. 4. q. 4.

52. *Licet sequi opinionem vere probabilem, relicta tutiore, aeque probabili, vel etiam vere probabiliori, ubi de sola actionis honestate agatur, sibi conscientiam certam efformando non directe, sed ex principiis reflexis* — Propositio haec est contra *probabilioristas*, qui aiunt non licere sequi opinionem pro libertate, nisi sit probabilior. Est praeterea contra *aequiprobabilistas*, qui aiunt non licere sequi opinionem pro libertate probabilem, quando altera pro lege est *certe* seu *notabiliter probabilior*. — Agitur iterum *de sola humanae actionis honestate*, id est, num licita sit humana actio, et sine peccato consequenter poni possit. Non agitur *de obiectiva veritate*, utrum e. g. in baptismo conferendo aqua sit vera aqua, neque agitur *de obiectivo effectu*, utrum tali baptismo gratia conferatur, neque *de damno praecavendo*, utrum, in venatione e. g. tali explosione satis praecaveatur damnum necessario praecavendum et vitandum, hominis occisio. In priori casu dubium et quaestio est tantum *de liceitate subiectivae actionis*, in aliis dubium et quaestio est de idoneitate *obiectivae actionis* ad verificandam rei veritatem, ad effectum producendum, ad damnum praecavendum. — *Licet sequi opinionem vere probabilem*, non *directe* vi ipsius sibi efformando conscientiam. « Nam ad licite operandum sola non sufficit probabilitas, sed requiritur moralis certitudo de honestate actionis ». S. Alph. l. 1. n. 55. pag. 25. ed. P. Gaudé.

Sed *licet sequi opinionem vere probabitem,* certam conscientiam sibi efformando ope principii reflexi, quo « in praxi ultimum formatur iudicium moraliter certum ex illo principio certo ». S. Alph. l. 1. n. 36. pag. 36. ed. P. Gaudé. Et sic actio, quae speculative est tantum *probabiliter honesta* in praxi certe moraliter honesta evadit. S. Alph. l. c. Fundamentale autem omnium principium est illud S. Thomae et S. Alphonsi: « Nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti ». Unde lex incerta non potest certam obligationem inducere; et lex dubia non obligat; « quia non est sufficienter promulgata ». S. Alph. l. 1. n. 61. pag. 31. ed. P. Gaudé. — Billuart de Act. hum. diss. 6.

53. Probatur 1ª pars. Refutatur probabiliorismus et aequiprobabilismus. — Prob. 1°. Probabilioristarum et aequiprobabilistarum systema practicum non est. Nam ipsis doctoribus valde difficile est statuere quaenam sententia sit probabilior, quaenam notabiliter probabilior. Quae uni probabilior vel notabiliter probabilior apparet, alteri minus probabilis et notabiliter minus probabilis apparet. Quin imo quae uni eidemque antea apparebat probabilior, longe probabilior; deinde re melius perpensa minus probabilis et multo minus probabilis videtur. — Prob. 2° Nam aut Probabilioristae et Aequiprobabilistae dicunt licere agere ex immediato iudicio sententiae probabilioris vel notabiliter probabilioris; aut dicunt licere agere ex iudicio mediato, vi nempe principii: lex dubia non obligat; lex incerta non parit certam obligationem; cum voluntas sine scientia legis eius obligatione ligari non possit. Primum dici non potest, nam licet sententia sit probabilior vel notabiliter probabilior certa tamen non est; et sine conscientia certa non licet agere. Alterum vero, ut patet, inducit non in probabiliorismum vel in aequiprobabilismum, sed in simplicem probabilismun. Ubi enim contra legem habeatur vera probabilitas, iam lex dubia et incerta est, et scientia legis haberi non potest. — Prob. 3° Nam eatenus teneremur sequi opinionem probabiliorem vel notabiliter probabiliorem, quatenus istae magis proxime accedunt ad veritatem. Iam vero hoc falsum est; nam magis accedere potest ad veritatem opinio simpliciter probabilis, et falsa esse potest sententia, quae maiorem quandam veritatis speciem prae se ferebat. Insuper hic non agitur de veritate speculativa sed practica; non agitur de adhaesione intellectus simpliciter veritati, sed de obligatione voluntatis, quae non ligatur legis obligatione, nisi lex sit certa, et legis scientia habeatur.

54. Prob. 2.ª pars. Simplex probabilismus probatur. — Prob. 1°. Statuta propositio constat ex quam plurium et gravissimorum theologorum auctoritate, qui non solum eam tradunt, verum etiam eam

tanquam doctrinam *communem* affirmant, uti Suarez, Lugo, Struggl, La Croix, Pignatelli, Vasquez, Elbel, Castropalaus, Sporer etc. Unde S. Alph. in Dissert. de usu moderato opinionis probabilis in concursu probabilioris edit. alt. Neap. 1755.: « Ultimam benigniorem et *communissimam sententiam* probandam aggredimur, nempe licitum esse uti probabili opinione *etiam in concursu probabilioris pro lege, semper ac illa certum et grave habeat fundamentum* ». Et sane, quamvis plures post Iansenistas probabiliorismum defenderint, nihilominus longe maior pars theologorum probabilismum amplexa est. Atqui, qui doctrinam sequitur in praxi, quam plures iique gravissimi theologi docent, et quam doctores communiter tradunt, prudenter agit; qui autem prudenter agit, honeste agit. Quapropter in Dissert. modo citata mox addit S. D.: « Adde his potissimum argumentum, nimirum, quod si sententia benigna fuisset falsa, *minime quidem communiter a doctoribus undique fuisset recepta, ut vere recepta fuit*, aut saltem Ecclesia eam non tolerasset, permittendo, quod animae *communiter* per hanc perditionis viam, ut adversarii clamitant, a talibus caecis ducibus deceptae incederent ». Ac, ut habet idem S. Alph. l. 6. n. 460. par. *Haec autem*, « nec officit, quod plures opiniones, quae circumferuntur, non sunt ab Ecclesia dannatae, et tamen ab aliis communius, ut laxae reputantur; nam Ecclesia non omnes opiniones, quae casus particulares respiciunt, damnat, quamvis non approbet; sed sententias, quae *universalitatem conscientiarum* spectant, Ecclesia non approbat, nec tacet, ut dixit S. Aug. Epist. 119: Ecclesia Dei multa tolerat, et tamen quae circa fidem sunt vel bonam vitam, nec approbat, nec tacet ». Cf. L. l. 3. n. 669. versus fin. *Hoc unum*, etc.

55. Prob. 2.° Qui sequitur in praxi opinionem, quae sistit *intra terminos rectae rationis et prudentiae*, prudenter, et consequenter honeste agit. Atqui, qui sequitur in praxi opinionem vere probabilem, relicta probabiliori et tutiori, opinionem sequitur, quae sistit intra terminos rectae rationis et prudentiae. Ergo. — *Maior* per se constat. Quid enim magis honestum est quam sequi rectam rationem et prudentiam, quae recta ratio agibilium est? Ac Benedict. XIV. C. *Apostolica Constitutio* § 21. hanc quidem tradit agendi regulam, ut nempe sententiam sequamur, *quam ratio suadet, ac firmat auctoritas*. Insuper minime est consentaneum rectae rationi, et divinae praecipue bonitati, velle obligare hominem ad illud utcumque praestandum, quod homini ipsi post diligentem inquisitionem *prudenter incertum* manet, an ab ordine exigatur necne; praesertim cum huiusmodi dubia frequentissima sint ob ipsius humani intellectus infirmitatem. Hoc esset onera importabilia imponere. L. 58. 86.; S. Th. 1. 2. q. 19. a. 16. ad 1. *Minor* vero constat ex ipsa natura et definitione opinionis vere pro-

babilis, quae non immutatur ex concursu alterius opinionis, licet probabilioris et tutioris. Idque aperte affirmat ipse S. Alph. in definitione opinionis probabilioris; eius enim contrariam ait, probabilem censeri. Muzzarelli Dissert. de Regul. mor. opin. Romae 1807. pag. 30. seq.; L. l. 1. n. 79. p. 58. 59. ed. P. Gaudé.

56. Respondet I. R. P. Wouters *de Minusprobabilismo* ed. alt. Amstelodami. 1908., pag. 128.: « Maior transeat. Nego minorem. Et sane; opinio, quae probabilius falsa est quam vera, seu opinio, cui tanquam verae *ne infirmus quidem assensus prudenter praeberi potest*, immo quae assensu opinativo *tamquam falsa* habenda est, eiusmodi opinio non sistit intra terminos rectae rationis. Atqui id genus est opinio certo minus probabilis ». — Sed, facta verborum confusione, omnia sane probari possunt pro libito uniuscuiusque. Opinio enim, quae non includit *prudentem assensum*, vel quae assensu opinativo simpliciter *tanquam falsa habenda est*, non est *opinio probabilis*, neque consequenter opinio *minus probabilis est*. Ipse Wouters agnoscens debilitatem suae Responsionis mox addit: « Respondeo II.: Dato non concesso, opinionem vere, sed minus probabilem, *sistere intra terminos rectae rationis et prudentiae* — siquidem *haec verba ambigua sunt* — nego innixus argumentis Cap. II. allatis, omnem eiusmodi opinionem posse in praxim deduci » Papae! ambigua sunt verba haec *rectae rationis et prudentiae*? Non vacat autem refellere totum illud Caput II, cum id iam satis superque ab aliis factum fuerit, immo totum Woutersii opus sit abundantissime iam ab aliis refutatum. Caeterum audiat Wouters S. Alphonsum: S. D. explicite docet: « Ad honeste agendum sufficit prudenter agere, quin prudentius agere teneamur. Commune est enim et communiter receptum axioma illud: *Qui probabiliter agit, prudenter agit* ». Dissert. Schol.-Mor. pro usu moder. opin. probab. § 1. Et Theol. Mor. ed. P. Gaudé l. 1. n. 79. p. 59.: « *Qui probabiliter agit* etc. dupliciter accipit potest. Si accipitur, tanquam innixum aliis principiis reflexis, *vere prudens et certum est*. Si vero accipitur tanquam principium *directum*, seclusa iudicii reflexione, falsum est ». Et nonne primo modo adhibitum est praedictum principium, reflexione, et ratiocinatione facta?

57. Prob. 3° Haec S. Alph. in suo Op. Mor. Theol. edit. 6.ª Romae a. 1767., in qua S. D. suam magis explicavit sententiam de probabilismo, nec eam amplius mutavit, Theol. Mor. ed. P. Gaudé pag. XIX.: « Duo sunt principia, quibus innixus licitum usum tueor opinionis probabilis. Primum, quod *lex dubia*, in conflictu duarum opinionum aeque probabilium, *non obligat*, *quia dubia lex non est sufficienter promulgata*. Alterum, quod *lex incerta nequit certam obligationem inducere, quia legis obligatio posterior est ad libertatem*, qua

homo est donatus a Deo ». Utrumque hoc principium fuse explicatur et probatur a S. D. l. 1 n. 66. seqq., H. A. tr. 1. n. 37 seqq. Atqui quando adest opinio vere probabilis, licet in concursu sit alterius probabilioris et tutioris, utrumque principium adhuc verificatur, nempe quod lex sit *incerta*, si agatur *de eius existentia*, vel quod sit *dubia*, si agatur de eius interpretatione, quia *obscura ;* adeoque, neque lex habet virtutem actualiter obligandi, cum non sit sufficienter seu certe promulgata ; « tunc enim sufficienter promulgatum est *dubium*, an lex existat, sed non est promulgata *lex* », L. l. 1. n. 70. edit. Taurin. 1846., neque homo, certam suae libertatis possessionem habens, de illa tenetur se expoliatum reputare propter incertam legem : antecedenter enim ad omnem legem quisque suam possidet libertatem, cum prius concipiendus sit homo liber, indeque lex quae homini imponatur. Ergo. — L. 54. seqq.

Iam vero, quod lex in ea hypothesi sit reapse dubia seu incerta, ita ut *prudenter* talis existimetur, unde duplex illud axioma promanat ; constat ex ipsa probabilitatis natura, ubi enim adest vera probabilitas, maior probabilitas per se minorem non destruit ; idque communiter affirmant tum philosophi tum theologi, et expresse tradit S. Alph. H. A. tr. 1. n. 29., et l. 1. n. 40., ubi dicit, quod contraria *probabilioris probabilis* etiam censetur. Idem S. D. exponit in hunc modum in Dissert. edit. a. 1755. n. 13.: Maior probabilitas non elidit minorem, « nisi quando illa minor probabilitas ex eodem principio hauriatur, vel nisi opinio probabilior habeat pro se *tam convincens argumentum*, ut contraria *vere improbabilis*, vel non amplius *graviter* et *certo probabilis* videatur. Secus tamen dicendum, si excessus non sit *notabilis*, et probabilitas opposita *ex diversis principiis*, ut *fere semper* accidit in opinionum concursu, vim accipiat ; tunc enim opinio minus probabilis gravi sua probabilitate minime destituitur ». Enimvero probabilitas vel improbabilitas alicuius opinionis, idem non est ac eius veritas vel falsitas, ita ut una aliam excludat, sed condignitas est merendi assensum prudentem, orta ex gravibus motivis, quae licet maiora vel minora, alia aliis non contradicunt, si *ex diversis principiis* desumantur. Si vero argumentum exhibeant ita *convincens*, ut oppositum *improbabile* censeatur ; iam extra casum sumus *maioris* vel *minoris* probabilitatis, siquidem altera opinio tunc erit certa vel probabilis, altera falsa vel improbabilis.

Hinc. S. D. l. 6. n. 604. quaestionem movens : « An possit absolvi poenitens, qui vult sequi opinionem contrariam illi, quam tenet confessarius », respondet : « Sententia *communis* et *sequenda* docet non solum *posse*, sed etiam *teneri* sub gravi (ubi nempe de materia gravi agatur, H. A. tr. 16. n. 118.), confessarium absolvere poenitentem, qui vult sequi opinionem *probabilem*, licet opposita vi-

deatur *probabilior* confessario... Stante hac *communi sententia*, tot auctoritatibus et rationibus roborata, non video quomodo possit confessarius tuta conscientia absolutionem denegare volenti sequi opinionem, quae ipsi poenitenti *probabilis* apparet, immo forte *probabilior*, si non directe saltem reflexe, ut communiter sentiunt auctores probabilistae, qui sequendo opinionem *probabilem* in concursu *probabilioris*, existimant amplecti sententiam reflexe *probabiliorem* utpote *gravioribus* fundamentis et *communissima doctorum* auctoritate firmatam ». Eandem habet doctrinam S. D. in ult. suo Op. H. A. tr. 16. n. 118., cui vero sententiae non alios adiiciit limites nisi sequentes: quod nempe « opinio poenitentis *aliqualem habeat probabilitatem*, ita ut confessarius, esto eam non habeat, ut solide probabilem, tamen non reputet *omnino falsam... evidenter erroneam* ». Cf. etiam l. 1. n. 87., ubi S. D. post. Gersonem ait: « Doctores theologi non debent esse faciles ad asserendum aliqua esse peccata mortalia, *ubi non sunt certissimi de re:* Nota, UBI NON SUNT CERTISSIMI ». — Lugo Resp. Mor. l. 1. d. 26. n. 3.; Pignatelli Cons. Can. tom. 8. cons. 15.

58. Prob. 4.° Ut lex sane obliget, debet esse sufficienter promulgata, S. Th. 1. 2. q. 90. a. 4. Atqui sufficiens legis promulgatio non habetur, si lex *certa* et *manifesta* non sit. Hinc Iure canonico generatim statuitur « In his, super quibus Ius non invenitur *expressum*, procedas, aequitate servata, semper in humaniorem partem declinando, secundum quod personas et causas, loca et tempora videris postulare ». C. *Ex parte tua* 11. *de Transact.* Et Iure civili decernitur: « Quoties dubia interpretatio libertatis est, secundum libertatem respondendum est ». L. 20. de R. I. « In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus iustius est quam *tutius* ». L. 192. de R. I. Ratio autem est, quia lex imponit necessitatem moralem, adeoque debet necessario ligare voluntatem. Sed necessario ligare voluntatem non potest, nisi *per scientiam*. Quare, seclusa scientia legis, voluntas moraliter libera manet. S. Th. de Verit. q. 17. a. 3. Iam vero, si probabilissima adest sententia contra legem, evidenter patet deesse legis scientiam. Certitudo enim et evidentia haberi non possunt cum opposita maxima probabilitate; quin immo nec cum simplici probabilitate. Unde S. Alph. ait: « Ad constituendam *legem dubiam* sufficit vera probabilitas in contrarium ». L. 1. n. 57. ed. a. 1762. 1763.

59. Conf. 5° auctoritate S. Thomae. Lex est quaedam regula et mensura. Ut *regula* dirigat et *mensura* metiatur applicari debet rei, quae debet dirigi et metiri. S. Th. 1. 2. q. 30. a. 4. Lex ergo subditos, quos dirigit, attingere debet, *attingit autem per scientiam*. S. Th. de Verit. q. 17. a. 3. Proinde lex esse debet certa et evidens.

Quare, si lex est *incerta*, si nempe non constat de *eius existentia*, si lex est *dubia*, si nempe legis sententia obscura sit, legis obligatio cessat; *praeceptum non ligat nisi per scientiam.* S. Th. l. c. Unde axiomata illa: *Lex incerta non potest certam obligationem inducere; Lex dubia non obligat.* Effectus enim nequit causam superare. Haec generatim omnino S. Thom., neque distinguit inter legem habentem contra se *minus* probabilem, vel *aeque* probabilem, vel *magis* probabilem sententiam. Quare tota quaestio ex Angelico Doctore haec est: an lex, habens contra se *magis* probabilem, *aeque* probabilem, vel *minus* probabilem sententiam, dici possit *attingere* hominem *per scientiam*, eum *ligare mediante scientia*, *per scientiam*, *per virtutem scientiae.* Atqui *scientia* non datur, si contra sit vera probabilitas. Hinc omnis quaestio de peccato mortali periculose determinatur, nisi *expresse veritas habeatur.* S. Th. Quodl. 9. a. 15. Et S. Alph. l. 3. post. n. 139. Epist. Resp.: « Sed ut affirmetur absolute, aliquam actionem esse peccatum mortale non sufficit opinio probabilis, *nec etiam probabilior;* nam *probabilior* non excludit rationalem timorem errandi; *unde non efficit quod lex non remaneat dubia,* et quod opposita non possit esse vera, *si vere probabilis est* ».

60. Conf. 6°. Innocentius III. coniugi impotentia laboranti indulsit experimentum triennale, C. *Laudabilem* 5. *de Frig.*, neque praescripsit videndum primum, utrum probabililior vel saltem aeque probabilis esset potentia. — Saeculo XVIII. Indis quibusdam in Regno Paraquariae ad fidem conversis, qui plures uxores habebant, quaestionibus super validitate eorum matrimoniorum subortis, Urbanus VIII. Ioanni postea Cardinali De Lugo respondit: « Ubi dd. sententiae concurrunt utrinque probabiles, sequendas esse opiniones, pro conditione locorum et hominum barbaris *favorabiliores* ». Non dixit Urbanus *probabiliores* sequendas, neque dixit ubi concurrunt opiniones aeque *probabiles*, sed absolute ubi opiniones *probabiles* concurrunt. Carden. Cris. Theol. Diss. 2. § 553.

61. Quoad 1.um: Respondet I. R. P. Wouters pag. 101. « *Retorqueo Argumentum.* Atqui neque praescripsit Innocentius III. videndum primum, num *probabilis* sit, et *probabilis* maneat potentia. Ergo — ita licet ratiocinari, si argumentatio nostri adversarii apte cohaereat — non oportet, sententiam esse vere probabilem, ut possit in praxim deduci; quod a nullo admittitur ». — Si valet Woutersii retorsio, ea valet contra S. Alphonsum, cuius praedictum argumentum est. — Ecce quid habet S. Alphonsus l. 1. n. 78. pag. 57. ed. 6. Gaudé « In cap. *Laudabilem de Frigidit. et mal.* habetur, Pontificem cuidam coniugi, qui dubius erat de potentia ad copulam, concessisse, ut eam per triennium experiretur. *Si lex dubia semper est servanda*, ut volunt adversarii, et tunc dubium vertebat, an mulier esset aliena,

quomodo Pontifex viro illi permittere poterat per triennium ad eam accedere et copulam experiri? » Evidenter ergo S. Pontifex supposuit *dubiam potentiam*, et consequenter aliquo saltem modo probabilem ; sed non quidem *certo notabiliter probabiliorem* vel *aeque probabilem*. — Respondet II. R. P. Wouters : « Decretum Innocentii III. de quo *Bucceroni* ad rem nostram nil facit. Etenim inquirimus quid agere fas sit in dubio, quod *honestatem* aut *inhonestatem* actionis respicit, quum dubium ab Innocentio intentum *immediate circa validitatem matrimonii versatur* ». Sed nonne agebatur consequenter de liceitate coniugalis copulae? Nonne Pontificia Responsio *hanc* respicit? Et S. Alphonsus nonne de hac loquitur? Unde concludit S. D. legem dubiam non obligare. — Quod immediate ageretur de validitate matrimonii, potestne forte argumentum infirmare, quia Summus Pontifex poterat sua auctoritate matrimonium invalidum ob impotentiam reddere validum? — Respondet Wouters pag. 102. quoad 2.um : « Quod de responso ab Urbano VIII. « Cardinali de Lugo dato enarrat *Bucceroni*, id visis iis, quae de re illa disseruit Thyrsus Gonzales (Fundam. Theol. Mor. pag. 429 - 437.) a nullo theologo urgebitur. » Urgetur tamen etiam a Cardinali D'Annibale, Summ. P. 1. n. 263. nota 5. ed. 4.

62. *An Propositio superius constabilita* n. 47. seqq. *sit exceptio quaedam probabilismi, quasi verus casus probabilismi?* — R. Negative. Nam, si probabilismus verus est, semper verus esse debet, et in omni casu verificari debet. Et sane probabilismus respicit ipsam formalem seu *subiectivam honestatem* vel *turpitudinem actionis* ; minime vero *obiectivam* seu *realem existentiam* vel *non existentiam effectus talis actionis*. Porro illa thesis praecise hunc effectum obiectivum obtinendum vel non obtinendum respicit. Si quis ergo in casu isto, quo effectus est absolute obtinendus, utatur opinioni probabili, iste profecto peccabit sed non peccabit praecise, *quia* utitur opinione *probabili de liceitate actionis*, sed *quia* utitur opinione probabili *de actus validitate*, exponens se periculo frustrandi effectum absolute obtinendum. Tunc hic probabilismi casus esset *quum probabilis opinio esset licere sua actione exponere periculo effectum, absolute obtinendum* ; quod probabilis opinio non est, sed falsa et erronea. Qui enim tenetur ad finem tenetur etiam ad media, et qui malum cavere debet, tenetur etiam eius periculum cavere. Et sic, e. g., minister sacramentorum sequens in eorum administrationem opinionem probabilem quoad eorum *valorem*, peccat quidem, minime sane quia sequitur opinionem *probabilem* quoad *liceitatem actionis* ; immo e contra, quia sequitur opinionem *omnino improbabilem* quoad *liceitatem* actionis ; quia, cum effectus sacramenti certe obtinendus, nempe peccatorum remissio et infusio gratiae, dependeat a vera

materia et a vera forma, adhibens quis materiam vel formam dubiam, exponit illud periculo carendi tali effectu, adeoque proximo nocumentum infert, et consequenter peccat. — L. Op. Mor. edit. Rom. a 1757. l. 1. n. 33.; Laymann l. 1. tr. 1. c. 5. § 2. 3.; D' Annib. ed. 4. p. 1. n. 266.

63. Exceptio et vera ac illogica exceptio probabilismi est, limitatio, quam nonnulli probabilistae, et aequiprobabilistae, probabilismo adiiciunt ex principio possessionis: *In dubio melior est conditio possidentis*. Quare, aiunt, lex quidem dubia, in dubio de existentia legis, non obligat, quia possidet libertas. Verum lex dubia in dubio de eius cessatione obligat, quia possidet lex. Hinc si est *probabile* quod votum non emiseris, voto non obligaris. Si certo votum emisisti, et probabile est, quod satisfeceris, teneris adhuc ad satisfactionem. Verum ita dimidiate admittere probabilismum *circa existentiam legis*, sed non *cessationem legis*, est admittere principia et negare conclusiones. Si lex dubia non obligat, praecise quia *dubia*, semper ac *dubia* est non obligabit. Porro tam *dubia* est lex in dubio de eius existentia, nempe de prima eius existentia; quam *dubia* est in dubio de eius cessatione, nam si probabilis est eius cessatio, eo ipso *dubia* evadit ipsamet existentia legis. Lex autem obligans non est lex, quae extitit, sed quae existit, neque est lex, quae exsistit in abstracto, sed quae in praesenti sua certa obligatione nos ligat. Atqui, si *probabilis* opinio habetur de legis cessatione, utcumque ea intelligatur, eius obligatio evadit *dubia*, eiusque exsistentia item evadit *dubia*; nempe iterum non ipsamet exsistentia legis *in abstracto*, sed eius obligandi vis in *concreto*, in casu particulari, hic et nunc. L. l. 1. n. 63. 78. Et sic, licet certum sit votum emissum, et aliquando exsistens, si probabiliter ipsi satisfecisti, votum istud certum, qua aliquando *exsistens*, evadit dubium qua *te obligans* hic et nunc; et valet illud: *Lex dubia non obligat*. Possessio sane eatenus ius praevalens constituit, quatenus is, qui possidet, ipsa possessione demonstratur vel saltem praesumitur dominus rei quam possidet. Quomodo vero potest id vel demonstrari vel rationabiliter praesumi, quando *vera* seu *gravi probabilitate* oppositum constat? Tunc enim vera et gravi constat probabilitate possessionem non esse *legitimam*, quae unica est, quae *ius praevalens* constituere potest. Si enim solum possessionis *factum*, sine *legitimo titulo*, saltem rationabiliter praesumpto, praevalens illud ius constitueret, iam omnes fures et latrones praevalenti possessionis iure, alienam rem possent retinere. — Troplong, Della Prescrizione c. 2 del Possesso a. 2228; D'Annib. ed. 4. p. 1. n. 260. 268.

64. S. D. l. 3. n. 112. par. *Secunda vero* ait: « Quando probabile est, quod obligatio legis *nunquam inceperit*, vel *quod abolita*

sit, tunc cessat praesumptio pro lege, et possidet libertas. « Ecce, actum est de limitatione probabilismi per principium possessionis, quod ex S. D. etiam valorem non habet nisi ex praesumptione. S. D. duos casus indifferenter coniungit, quod lex nunquam inceperit, vel quod abolita sit, et quando utrumque est probabile ex S. D. legis obligatio non adest. — Itemque n. 290. dicit quod ad excusandum a lege sufficit *probabilis consuetudo.* Ecce iterum nulla ratio habetur a S. D. de possessione legis. Et deinde distinguens inter *dubium* et *probabilitatem* bene omnino ait: « quod in dubio de consuetudine possidet praeceptum, unde petenda est dispensatio; *secus si probabile sit* adesse consuetudinem ».

65. Ipsum *materiale possessionis factum,* ius praevalens minime constituit in foro interiori, quoad ipsum ius dominii et proprietatis rei, sed tantum quoad probationem in exteriori foro, quae ab actore est contra possessorem instituenda, ob praedictam dominii praesumptionem. Praesumptio autem cedit veritati. Unde, si quis mala fide possederit, vel per longissimum tempus, etiam sponte et sine actoris probatione et petitione, rem restituere debet. Ipse D'Annib. qui ed. 4. p. 1. n. 264. seqq. *possessionis* regulam sequitur, n. 256. nota 5. asserit: « Iustitia vetat damnum dare ei, qui est *in certa possessione sui iuris...* Dixi, *qui est in certa possessione sui iuris;* nam, si ius alterius *incertum est,* vel melior erit conditio possidentis, vel saltem quia nullum *ius certum* alterius laeditur, nulla erit obligatio restituendi ». Ecce quomodo ipse d'Annib. requirit *certam* et *legitimam* possessionem, ut reapse ea ius praevalens constituat. Ac ipsemet D'Annib. l. c. n. 259 nota 18. asserit praeterea: « Scilicet *certitudo* contra veram *probabilitatem* non datur ». Quomodo igitur *certa* erit legis obligatio, si *probabile* est, quod iamdiu ea obligatio cessaverit? Vide etiam ibid n. 169. 181. — L. 1. 3. n. 212. par. *Secunda,* n. 290., 325., par. *Infirmi,* n. 483., l. 4. n. 47.

66. Ceterum d'Annibale possessionis legem in triplici asserit casu, nempe in dubio 1.° utrum restrictivam interpretationem recipiat, 2.° utrum sit iusta, 3.° utrum cessaverit. P. 1. n. 262. Ac praecedenti n. 261. nota 30. et n. 263. nota 1. affirmat S. Alphonsum hac possessionis regula perpetuo usum esse. — Porro ipse d'Annibale cit. n. 262. nota 35. inquit: « excepto 2.° casu, in quo omnes conveniunt, *in caeteris recedunt a regula nostra* hi quoque qui eam profiteri videntur ». Et inter istos expresse citat et refert dumtaxat S. Alphonsum! — Ac, dum laud. auctor id notat in Probabilismum, quod debeat exceptionibus uti, quibus non indiget sua possessionis regula, l c. n. 266, ingenue deinde fatetur suam regulam *perpetuam* non esse, et in pluribus, quos enumerat, casibus deficere l. c. n. 269. nota 30. — Praetensae autem Probabilismi

exceptiones, quando nempe non de sola actionis honestate, sed de fine absolute obtinendo, ac de obiectiva rei veritate agatur, l. c. n. 266., 256. nota 5., exceptiones revera non sunt. — Quod item ait, l. c. n. 267., probabilistam cogi contradictoria respondere nullo pacto verum est. Ac mirum sane est doctum theologum contradictionem invenisse cit. n. 267. quoad eundem illum casum, in quo ipse expresse paulo ante affirmaverat, nempe n. 263., licere sequi utramque probabilem contrariam opinionem. — Postremo asserit n. 264. eam regulam possessionis meliori iure gaudere, n. 269. eam non solum quod ad rei veritatem tantum, sed et quoad praxim meliorem esse caeteris; sed seq. n 270. immediate post affirmat licere sequi opiniones vere graviterque probabiles; et n. 263., postquam varia systemata exposuerit, et suam regulam etiam constituerit n. 262., unicuique, ait, liceat eligere quod magis arriserit. — Ad contradictionem avertendam dici forte potest cl. D'Annibale eam possessionis regulam non pro casu verae *probabilitatis*, sed pro casu *dubii* inspexisse, quod insinuare satis videtur n. 269., et ita verum omnino est eam regulam communissime theologos docere, n. 268., et hoc sensu nos etiam eam admittimus, eamque infra diligenter explanamus. Et sane regula illa *in dubio* enuntiatur.

67. *An probabilismus vere praebeat tutam normam ad certam sibi efformandam conscientiam?* — Norma, quam probabilismus praebet ad sibi efformandam certam conscientiam in dubiis, tutissima est. Etenim probabilismus revera non est nisi hoc principium: Lex dubia non obligat, practice applicatum, stante contra legem, in casu practico, probabili sententia.

68. Principium ipsum in se inspectum tutissimum est. Ipse S. Alphonsus totum suum systema morale nonnisi hoc principio sustentat. Et si quis quaerat, ait S. Doctor, « cur lex dubia non obliget, respondebimus hoc succincto argumento: lex non sufficienter promulgata non obligat; lex dubia non est sufficienter promulgata; quia dum lex est dubia, promulgatur sufficienter dubium sive quaestio, sed non promulgatur lex: ergo lex dubia non obligat. Qui argumentum hoc, pergit idem S. Doctor, inficiari vellet, probare deberet, vel quod lex etiam non promulgata obligat, vel quod lex dubia est vere promulgata contra id quod expresse docet *S. Thomas et alii communiter; sed nunquam harum propositionum ullam probabit in aeternum* », l. 1. n. 61. par. *Posito igitur*, p. 32. ed. P. Gaudé.

69. Praeter hoc principium certissimum, aliud est principium quo simul innititur totus probabilismus; nempe quod, stante contra legem sententia vere probabili, impossibile metaphysice est quod lex sit certa. Id negare non potest nisi ille tantum, qui vel non

intelligat terminos, vel terminos arbitrarie detorqueat in aliam significationem.

70. Operae pretium est audire ab ipso S. Doctore definitionem opinionis probabilis, et sententiae certae, uti appareat ex ipso S. Alphonso, utrum cum opinione vere probabili contra legem possit simul consistere sententia certa legis. « Probabilis est, ait S. Doctor, quae gravi fundamento nititur vel intrinseco rationis vel extrinseco auctoritatis, quod valet ad se trahere assensum viri prudentis, etsi cum formidine oppositi... Sententia moraliter certa est, quae omnem prudentem formidinem falsitatis excludit, ita ut opposita reputetur *omnino improbabilis* ». Loc. cit. pag. 21. num. 40. Si opinio sententiae certae opposita *improbabilis omnino* esse debet, patet quod simul cum probabilitate opinionis opposita sententia certa incompossibilis prorsus est. Norma ergo quam probilismus praebet pro conscientia practice certa in dubiis efformanda tutissima est: nam verissimum utrumque est, et quod lex dubia non obligat, et quod lex dubia sit, quando contra eam stet vere probabilis sententia.

71. Atque id valet, ut per se patet, etiamsi pro lege stet probabilior opinio, et quocumque gradu probabilior, opinio etiam notabiliter probabilior, contra legem tamen stet vere probabilis opinio. Tunc enim, nisi quis immutet definitiones rerum, et nisi quis immutet definitiones traditas ab ipso S. Alphonso, adhuc verificatur quod lex non sit *moraliter certa* cum eius opposita sententia non sit *improbabilis*, sed probabilis. Lex igitur tunc etiam dubia erit, et valebit axioma: lex dubia non obligat.

72. Insuper ex eodem S. Doctore, qui sequitur S. Thomae hac in re doctrinam, tunc tantum haberi potest *certitudo* legis quando habetur *scientia* legis. Quantumvis probabilis sit legis notitia, *scientia* legis non habetur; adeoque lex remanebit tunc semper dubia, non sufficiens ad obligandum. Etenim sub nomine *scientiae* legis intelligi non potest *probabilis notitia*. « Haec esset, ait S. Doctor, *novi vocabularii nova significatio, dum philosophi omnes cum eodem S. Thoma distinguunt* **opinionem** a **scientia**, *quae accipitur*, ut **cognitio certa** *alicuius veritatis* ». Loc. cit. num. 74.

73. Idque semper docuit idem S. Alphonsus. Nam iunior in Dissertat. de Opinione minus probabili scribebat: « Nec valet dicere, quod, cum apparet *probabilior aliqua opinio* pro lege, tum illa *maior probabilitas* legem declarat, scientiamque legis iam exhibet. Nam *scientia*, ut cuique patet, importat *certam notitiam* de exsistentia legis; *opinio* autem *etiam probabilior, cum non removeat prudentem formidinem oppositam*, **est toto coelo diversa a scientia,** *quae omni prudenti formidine exclusa prae se fert certitudinem* ».

Quin imo rectissime S. D., quoad doctrinam, de opinione etiam probabilissima scribebat: « Magis et minus non variant speciem... Constat quod opinio probabilissima specie differt a sententia moraliter dicta. Haec enim omnem prudentem formidinem excludit, ita ut opposita *improbabilis* videatur. Opinio autem probabilissima, etsi inter probabiles principem locum habeat, tamen infra fines probabilitatis est, et ideo omnem prudentem formidinem non excludit, *nec contraria improbabilis* dici potest... Si quis autem opinionem probabilissimam sumeret pro moraliter certa, hoc implicaret in terminis ». Dissert. Schol.-Mor. pro usu moder. opin. prob. § 1.

74. A conscientia ergo *speculative* probabili, ad conscientiam *practice* certam gradum facimus sequenti ratiocinio. Quod nulla certa lege vetitum est, licet. Atqui talis vel talis actio, quae vere probabiliter nulla prohibetur lege, eo ipsa nulla certa lege vetita est. Ergo talis actio licet. Cum maior et minor huius syllogismi certa sit, conclusio et ipsa certa erit. Conclusio autem iudicium seu dictamen conscientiae continet. — Idem transitus fieri potest vi alterius ratiocinii. Qui agit secundum quod prudentia dictat, agit honeste. Atqui ille qui agit secundum hanc vel illam opinionem probabilem agit honeste. Cum iterum maior et minor huius syllogismi certae sint, conclusio etiam certa erit. — L. l. 1. n. 67. 68. 69. 84.; Muzzarelli Dissert. de Regul. mor. opin. Romae 1807. pag. 30. seq.

75. *Quaenam sit vis extrinsecae probabilitatis?* — Nullum dubium, quod probabilitas extrinseca constituat opinionem vere et satis graviter probabilem. « Aliquis parvae scientiae, ait S. Th. 2. 2. q. 4. a. 3., magis certificatur de eo, quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo, quod sibi secundum suam rationem videtur ». Probabilitas haec ideo valet, quia non censetur quis loqui *sine gravi fundamento*. L. l. 1. n. 79. p. 59. ed. P. Gaudé. Hinc, si quis non sistit in *sola auctoritate*, sed *fundamentum* hoc *expendit*, probabilitas tunc extrinseca in intrinsecam resolvitur. Aliquando vero extrinseca haec probabilitas ipsam intrinsecam probabilitatem constituit, nempe cum agatur de re, quae valde pendet ab aestimatione sapientum, L. l. 3. n. 1032., de re scilicet potius *facti*, quam *iuris*, e. g. quaenam sit materia gravis in horis canonicis, in ieiunio, etc.

Opinio *extrinsece* probabilis designari solet per opinionem *communem, communiorem, communissimam*. De his haec Sanchez de Matr. l. 3. d. 44. n. 3., unde iudicium quis ferre potest de opinione *communi, communiori*, etc.: « Non dicitur communis opinio, quae plures dd. eam asserentes habet, nulla disputatione praemissa, sed perfunctorie, et ut aiunt per transennam illam sequentes... Quare optime Navarr. ait *communiorem* existimare opinionem approbatam

a sex dd. ex professo rem tractantibus, quam a. 50., sola fere priorum auctoritate ductis. Quibus adde Ioann. Lupum... dicentem non esse credendum dd. quantumcumque doctrina polleant, dum carent fundamento ». — La-Croix l. 1. n. 164. 165.; Muzzarelli Dissert. de Regul. mor. opin. Romae 1806. pag. 21. seqq.

76. A communi theologorum sententia « non est in re practica facile discedendum ». Lugo de Iust. et Iur. d. 16. n. 106. Hoc tamen non est nimis scrupulose accipiendum, et multo minus extendendum. Hinc S. Alph. non dubitat affirmare, se « a multorum graviumque auctorum sententiis recessisse », l. 3. n. 547., et ib. inferius ait: « Ubi ratio me convicit, non renui auctoribus pluribus contrarie ». Et in Praefat. p. LVI. ed. P. Gaudé: « In delectu sententiarum ingens cura mihi fuit semper rationem auctoritati praeponere ». Cf. etiam l. 6. n. 257. 427., ubi S. D. vel a *communissima* discedit sententia.

77. *An ad probabilitatem alicuius sententiae sufficiat auctoritas unius doctoris?* — R. Negative, *ordinarie loquendo.* Ratio, quia si est alicuius antiqui, et fuit ab omnibus deserta, hoc ipso ordinarie caret sufficienti fundamento. Si vero est alicuius recentioris, vel iste gravem affert rationem, vel non. Si 1.^{um}, eius sententia ordinarie traditur etiam ab aliis.

78. *An detur opinio speculative, non practice probabilis?* — R. Negative, *per se loquendo;* semper enim fieri potest ratiocinium supra constitutum, n. 74., si opinio *in se,* seu *speculative,* vere probabilis est; quo ad ipsam conscientiam practicam progrediamur. — R. Affirmative, *per accidens,* si nempe cum in usum deducatur ea opinio, adest semper vel fere semper extrinseca quaedam circumstantia, quae, illicitum reddat usum talis opinionis, e. g., periculum lapsus, scandali, hallucinationis, etc. — Pignat. Cons. Can. t. 8. cons. 15.; Lugo Resp. Mor. l. d. 26. n. 3., de Iust. et Iur. d. 10. n. 165. 189.

79. *An licite quis sequi in praxi possit diversas opiniones probabiles sibi favorabiles, licet inter se oppositae illae sint?* — Licet quidem inter diversas opiniones probabiles modo hanc, modo oppositam eligere. Eas vero simul eligere non licet, quando vel contradictio sequatur, vel certa legis transgressio. Ratio generalis asserti est, quia, si uni licet unam sequi probabilem opinionem, et alteri licet oppositam opinionem sequi probabilem; idem omnino eidem licet; quia eidem pro utroque casu manet semper lex dubia. Ex eo enim quod in uno casu quis usus sit opinione probabili contra legem, non sequitur quod si opposita opinio vere probabilis sit contra legem, lex evadat certa. Hac ergo altera opinione poterit ipse bene alia vice uti. Ac uti quis prima vice usus est prima illa opinione, ita potuit prima vice uti e contra opposita opinione. Ergo poterit altera

vice uti opinione qua nondum usus est. Non potest tamen quis uti opposita opinione probabili, postquam quis opinione aliqua probabili usus est, si contradictio sequatur. Ratio est, quia principium contradictionis immotum semper praevalere debet in ordine veritatis sive speculativo sive practico. Et sic si quis acceptavit haereditatem ex testamento probabiliter valido, non potest non implere legata sive pia sive profana in eodem testamento praescripta. Hoc enim faciens testamentum ipse simul haberet uti validum et uti invalidum. Neque item potest quis opposita opinione probabili uti postquam aliqua probabili opinione usus sit, si inde certa legis transgressio sequatur. Tunc enim quis suam conscientiam efformare non potest ex generali illo principio quod lex sit dubia; lex enim tunc certe continetur in alterutra; quamvis in quanam earum contineatur determinate assignari non possit. Et sic e. g. probabile est irregularitatem non incurri ex baptismo iterato solemni quidem, sed clam collato, itemque probabile est irregularitatem non incurri ex baptismo privato sed publice collato coram multis; utrumque enim requiritur, ut certa irregularitas contrahatur ex iteratione baptismi, nempe quod solemniter et publice baptismus conferatur. Iam vero quis unquam diceret irregularitatem non contrahere eum, qui primum aliquem rebaptizat solemniter sed clam, deinde tertio eum rebaptizat privatim sed coram multis? Itemque si urget hodie lex abstinentiae, volo cras ad Communionem accedere. probabile autem est mediam noctem esse iam elapsam, probabile etiam oppositum, non licet certe manducare carnem et simul ad sacram communionem accedere. — Elbel de Act. hum. 190. seqq.

80. *An expediat rigidiores opiniones benignioribus praeferre.* — « Ubi agitur de removendo poenitente a periculo peccati formalis, confessarius debet, generaliter loquendo, et in quantum christiana prudentia suggerit, benignis opinionibus uti; ubi vero opiniones benignae proximius reddunt periculum formalis peccati, prout sunt nonnullae auctorum opiniones, v. g., quoad vitandas occasiones proximas, et aliae id genus; tunc semper expedit, ut confessarius utatur, immo dico, quod ipse ut medicus animarum tenetur uti opinionibus tutioribus, quae poenitentes ad se servandos in statu gratiae conducunt ». L. l. 1. n. 87., l. 3. n. 547. — Ubi poenitens paratus sit sequi dictamen confessarii, quodcumque fuerit, tunc « spectat ad prudentiam confessarii perpendere, utrum tutioris vel minus tutae sententiae usus suo poenitenti sit profuturus.... quia licet id per se sit tutius et perfectius, tamen periculosius erit pluribus imponere obligationem operandi semper secundum rigidiores sententias ». L. l. 6. n. 605. — Generatim in praxi, confessarius potius, quoad fieri potest debet esse benignus, quam rigidus cum poenitentibus.

L. l. c. Id. et PP. et ThTh. auctoritate constat, quos citatos habes ap. S. Alph. l. c. et l. 1 n. 86. par. *Ego,* et n. 89. vers. fin. *Praeterea res,* H. A. tr. 1. n. 79.

81. *An confessarius scire debeat omnes opiniones probabiles?* — « Non est obligandus confessarius ad notitiam omnium opinionum probabilium, sed ad eam scientiam, quam mediocriter docti communiter habent; sicut advocatus, iudex, medicus, aut artifices etiam non obligantur ad summam et exquisitam scientiam et peritiam in sua professione, sed ad mediocrem iuxta gradum sui muneris et conditionis... sic poenitens a confessario obvio non debet exigere nisi notitiam communem de peccatis communibus et communibus etiam opinionibus; si vero subtiliora remedia desideret, adeat confessarium doctiorem ». Lugo Resp. Mor. l. 1. d. 26. n. 2.

IV. — OBIECTIONES CONTRA PROBABILISMUM

82. *Probabilismus utilitatem quaerit non veritatem.* — Utilitatem utique quaerit, sed simul veritatem. Utilitatem quaerit, et maximam, non peccandi, et non multiplicandi peccata sine necessitate. Hanc autem *utilitatem* obtinet hac certissima *veritate,* quam tradit S. Alphonsus, l. 1. n. 60. pag. 30. ed. 6. Gaudé, tradunt communissime doctores, et habetur L. 31. *de Off. et pot. iudic. deleg.:* « Nisi de mandato certus extiteris, exsequi non cogeris quod mandatur ». *Certus,* ut ait idem S. Alphonsus, l. 1. n. 75. pag. 51., *vel per evidentem rationem vel per manifestam auctoritatem.* — Quare iterum probabilismus utilitatem quaerit, impedire *peccata formalia.* Maxima quidem utilitas haec est: nam nemo damnatur propter peccata materialia, sed propter formalia.

83. *Utilitatem autem quaerere,* non est profecto aliquid illicitum; secus peccatum esset quaerere ipsam aeternam beatitudinem, et virtutem. Quid sane magis utile esse potest quam virtutem exercere et peccatum vitare? Si utilitatem quaerere est illicitum, hoc non est, nisi quia quis vel *vitiosam* utilitatem quaerat vel utilitatem *vitiose* quaerat. Porro utilitas quam probabilismus quaerit nec vitiosa est, nec illam probabilismus vitiose quaerit. Etenim probabilismus hoc quaerit, et non aliud, non multiplicare peccata sine necessitate. Et haec profecto utilitas non vitiosa est. Si entia non sunt multiplicanda sine necessitate, multo minus peccata sunt sine necessitate multiplicanda. Nec vitiose hoc quaeritur; nam hoc non quaeritur nisi ope huius principii: lex dubia non obligat; addito hoc alio principio: stante contra legem vera probabilitate, impossibile est quod

lex sit certa. Utrumque principium verissimum, nec consequenter vitium ullum inde provenire potest.

84. Dum igitur probabilismus quaerit laudabilem *utilitatem, quaerit* etiam *veritatem:* nam hanc quaerit practicam veritatem: quandonam lex obliget ad sui observantiam voluntatem, quandonam non. Et statuit ad hanc veritatem inveniendam, in singulis occurrentibus casibus, inconcussum principium S. Thomae et S. Alphonsi: « Nullus ligatur per praeceptum aliquod, *nisi mediante scientia illius praecepti* ». S. Th. De Verit. q. 17. a. 3.; S. Alph. l. 1. n. 63.

85. *Probabilismus est ars evadendi, syllogismorum ope, moralia officia.* — Probabilismus et probabilistae e contrario communissime docent illicitum omnino esse, et agere *directe* contra legem, et agere *in fraudem* legis. — Ars utique est, seu potius morale systema, et scientia est evadendi syllogismorum ope moralia officia seu legem; sed moralia officia incerta, legem dubiam. Lex dubia, clamat S. Alphonsus, non obligat. Lex incerta certam obligationem parere non potest.

86. *Probabilismus seligit media, quae minus tutam reddunt finis ultimi assecutionem.* — Nihil magis tutum est ad ultimi finis assecutionem, quam removere peccata erroneae coscientiae; uti e. g. erronea conscientia esset illius, qui ut se obligatum existimaret, censeret *sufficere, ut lex sit incerta et ambigua.* Clamat integro capite tertio libri primi contra ipsum S. Alphonsus centies repetens, declarans, et probans: Lex dubia non obligat; Lex incerta non potest certam obligationem inducere.

87. Audiatur S. Alphonsus sequens et referens P. Bancel Dominicani doctrinam: « Cum non debeamus formare conscientiam nostram de obligatione ad aliquid sub poena peccati, *nisi moraliter constet de tali obligatione,* non debemus onus illud nobis imponere; quando e contra moraliter constat de exemptione a tali obligatione,..... moraliter nobis constat superesse nobis libertatem amplectendi quamcumque voluerimus ex huiusmodi opinionibus » probabilibus. L. 1. num. 82. pag. 62. ed. 6. Gaudé. « Dictum illud: *Qui probabiliter agit prudenter agit,* dupliciter accipi potest. Si accipitur *tanquam innixum aliis principiis reflexis, vere prudens et certum est;* si vero accipitur tanquam principium directum, seclusa iudicii reflexione falsum est ». Falsum nempe est, ut mox ait idem S. Alphonsus « de operante cum dubio practico, nullum habente principium, quo dubium deponere posset ». Verum e contra est « de operante, qui ultimum format iudicium, *non ex sola probabilitate opinionis, sed ex alio certo principio reflexo* ». L. 1. num. 79. pag. 59., num 65. pag. 35. 36. ed. 6. Gaudé. Hoc autem certum principium ex eodem S. Doctore est: « Lex, ut obliget, non tantum promulganda est, sed etiam

promulganda, *ut certa* ». L. 1. n. 58. pag. 27. « Nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti ». L. 1. n. 59. pag. 28. Et consequenter « Lex dubia non obligat ». L. 1. n. 60. pag. 30., n. 64. pag. 34. « Lex incerta non potest certam obligationem inducere ». L. 1. n. 61. pag. 31, n. 73. pag. 48.

88. *Canones plures praecipiunt* IN DUBIIS TUTIOREM PARTEM ESSE TENENDAM. – Respondet ipse S. Alphonsus: « Quid Canones praecipiunt? Praecipiunt *in dubiis* tutiorem viam esse eligendam. Dicitur itaque *in dubiis:* Quid obstat regula illa, si homo alicui principio certo innititur? Tunc sibi iam format conscientiam moraliter certam de honestate actionis, et a finibus dubietatis egreditur nec amplius dici potest eum esse in dubiis. — Praeterea ipsimet adversarii concedunt praefatam regulam sequendi partem tutiorem locum non habere in materia iustitiae. At, si regula Canonum sequendi quod est tutius esset universalis pro omnibus dubiis, etiam qui legitime rem possidet in dubio an res sit aliena, de illa expoliari teneretur. Sed D. Augustinus contrarium docet, inquiens: « *In iure praediorum tamdiu quisque bonae fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum* », l. 1. n. 78. ed. 6. Gaudé pag. 58.

89. *At Probabilismus minus tutam reddit finis ultimi assecutionem.* — Tutam tamen reddit, et hoc sufficit. Falsum autem et absonum est a ratione quod ea assecutio debeat reddi tutior. Immo hoc est impossibile; quia, quocumque tutiore medio excogitato, semper aliud tutius in medium proferri posset. Accedit quis cum attritione ad confessionem. Nonne hoc tutum est, et sufficit? Tutius tamen est accedere cum contritione. *Tutius* est, sed nonne adhuc tutius est accedere cum contritione appretiative et intensive simul perfecta? *Adhuc tutius* est, et nonne esset multo magis tutum confessioni etiam praemittere rigidissimas poenitentias corporales, ieiunia, flagellationes, cilicia, eleemosynas, diurnas et nocturnas orationes et meditationes?

90. Audiatur S. Alphonsus: « Semper mihi timor fuit, ne Deus aeque rationem a me exigeret, si opiniones laxas ut probabiles approbassem, quam *si probabiles,* ut laxas reprobassem. Humanae conditionis praesenti fragilitate spectata, non est semper verum, tutius esse animas per viam arctiorem dirigere; cum videamus Ecclesiam tam nimiam libertatem, quam nimium rigorem saepe proscripsisse ». L. 3 n. 547. pag. 53. ed. Gaudé. — Probabilismus tutam reddit finis ultimi assecutionem, quia conscientiam in dubiis dirigit, ne practice erret, affirmando esse peccatum, quod peccatum non est, et ita reapse peccando; « Sed quis obiiciet, ait S. Alphonsus, quomodo rationes speculative tantum probabiles possunt in praxi moraliter certae evadere? Hoc evenit..... non ex eo quod ipsaemet

rationes speculative probabiles alicuius opinionis fiunt in praxi moraliter certae: sed quia aliae sunt rationes principii reflexi, quibus in praxi ultimum formatur iudicium moraliter certum ex illo principio certo; et sic actio, quae speculative est tantum probabiliter honesta, in praxi certe moraliter honesta evadit ». Loc. cit. pag. 36. num. 65. par. *Et sic.*

91. *Per probabilismum homo iudicem se constituit circa divina praecepta.* — Distinguendum sane est: *Quoad se,* eorumque obiectivam existentiam, Negatur; *Quoad nos,* et quoad nostram obligationem, Conceditur. Et ita omnino esse debet: quia quod *non est ex fide peccatum est.* Audiatur S. Alphonsus: « Quando opinio versatur circa modum rei, an sit honesta vel non; tunc *opinio probabilis* bene efficit, ut *actio sit honesta,* licet forte *per se* non sit. Ratio, quia (ut late probatum est in Dissert. de usu opinionis probabilis...) in iis casibus, in quibus *probabiliter opinamur* legem prohibentem non adesse, vel saltem non esse satis manifeste propositam, tunc lex non obligat; et ideo operatio, eo quod non sufficienter inveniamus eam a lege prohibitam, utique remanet honesta et libera ». L. 3. n. 700. nota pag. 168. ed. Gaudé. Per probabilismum ergo homo non se constituit iudicem circa divina praecepta, sed circa suas humanas actiones.

92. *Probabilismo legitimatur aequivocatio et restrictio mentalis; unde patet conscientiae iudicium probabilismo perverti.* — Aequivocatio et restrictio mentalis non a probabilistis, sed ab omnibus licitae aliquando affirmantur. Si ultra debitos limites haec liceitas fuit a probabilistis aliquibus affirmata, probabilistarum abusus et error, non probabilismi fallax norma fuit in causa. Num aequiprobabilistae et probabilioristae infallibilitatis habent privilegium, et non ipsi etiam aliquando decipiuntur? Ex aliquibus ergo probabilistarum erroribus non sequitur, quod ex probabilismo *conscientiae iudicium pervertitur.* Secus, nonne hoc valere deberet etiam de ipso systemate morali S. Alphonsi, quodcumque tandem fuerit hoc systema. Omnes enim bene norunt, temporis progressu, S. Doctorem plures *reprobasse* sententias, quas antea ipse amplexus fuerat. Certissime S. Doctor erravit vel prima vice, quando eas docuerat opiniones, vel postea quando eas retractavit. Si ergo ex eo quod probabilistae aliqui errarunt circa aequivocationem et restrictionem mentalem, de eorum systemate morali dicendum est conscientiae iudicium perverti, idem profecto asserendum erit de ipso systemate morali S. Alphonsi, quodcumque tandem ipsum fuerit.

93. *Christianae religionis adversarii probabilistarum placitis abusi sunt ad insectandam christianam religionem;* — Hoc quidem verum est, sed nonne etiam ad eandem irridendam religionem in medium aliquando attulerunt ipsius S. Alphonsi doctrinas?

94. *Nunquam Ecclesia authentice proposuit probabilismum.* — Hoc omnino verum est, quod Ecclesia nunquam explicite proposuerit probabilismum, tanquam systema morale. Sed, quamvis explicite non proposuerit, implicite tamen illud semper proposuit et proponit. — Etenim primo cum varias opiniones circa sententias probabiles damnavit, nunquam tamen damnavit hanc propositionem, quod lex dubia non obligat, ad quam probabilismus revera totus quantus est reducitur. Neque item unquam damnavit hanc aliam propositionem, quod, stante contra legem vera sententia probabili, lex evadit dubia. Et haec secunda propositio simul cum prima simplicem probabilismum enuntiat.

95. Insuper probabilismum implicite proposuit, propositione damnata ab Alexandro VIII.: « Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam ». Nam, si licet sequi opinionem probabilissimam, licet quoque sequi opinionem probabilem. Etenim, ut ipse S. Alphonsus diserte affirmat l. 1. n. 78. pag. 58. ed. P. Gaudé, n. 81. pag. 60. 61., opinio probabilissima *intra fines probabilitatis manet,* et nihilominus licet eam sequi, omissa tutiore pro lege, hac ratione, quam expendit idem S. Doctor, quia lex est dubia. Atqui dubia est etiam quando contra legem non sit nisi opinio vere probabilis. Ecce quid habet Suarez quem refert et omnino probat S. Alphonsus l. c. n. 60. pag. 31.: « Quamdiu est iudicium probabile, quod nulla sit lex prohibens vel praecipiens actionem, talis lex non est sufficienter proposita vel promulgata homini; unde cum obligatio legis sit ex se onerosa,..... non urget donec certius de illa constet ». Et Benedictus XIV. scribit in suis Notificationibus: « Non si debbono imporre legami, quando non vi è una chiara legge che gl' imponga ». Apud S. Alfonsum l. c.

96. Implicite etiam Ecclesia probabilismum approbat probabiles opiniones saepe approbando, et pro praxi confirmando. Et sic v. g. Ecclesia supplet iurisdictionem quando pro ea habeatur probabilis opinio. Neque certe hactenus ullus requisivit, nec ipse S. Alphonsus hoc exigit, ut opinio pro iurisdictione sit vel certe probabilior, vel saltem aeque probabilis ac pro eius defectu. Sic etiam Ecclesia saepe remittit ad probatos Auctores, et certe Suarez, Lugo, Laymam, Lessius, Castropalaus aliique sexcenti probati sunt auctores, et probabilistae auctores sunt.

97. Ac probando Opera Moralia S. Alphonsi, implicite Ecclesia approbavit etiam probabilismum. Nam S. Doctor, praescindendo a suo ipso systemate exposito in suis variis Dissertationibus, non sequitur nisi opiniones simpliciter probabiles, easque approbat pro praxi licet opposita ei videatur probabilior. Si S. Alphonsus nunquam Dissertationes de suo morali systemate scripsisset, nemo certe ex

eius moralibus operibus probabiliorismum vel acquiprobabilismum posset deducere, uti demonstratur vel ex ipsa exquisita diligentia, qua perpendit probabilitatem uniuscuiusque sententiae.

98. Praeterea S. Alphonsus revera speculative proponit systema morale simplicis probabilismi. Eius enim systema innititur praedicto principio: lex dubia non obligat; et praedicta propositione, quod quando contra legem est propositio vere probabilis, quamvis pro lege sit propositio vere et aeque probabilis, lex evadit dubia et consequenter non obligat.

99. Neque vero probabilismus S. Alphonsi in aliud convertitur systema morale ex alia propositione, quam S. Doctor addit ad complendum suum systema, nempe quod quando pro lege est sententia certe notabiliter vel certe evidenter multo probabilior, hanc nos sequi debemus. Tunc enim aliud esset Sancti Doctoris diversum systema morale, uti praetendunt aequiprobabilistae, quando ex Sancto Doctore contraria sententia pro libertate maneret et ipsa probabilis, quamvis in inferiori et notabiliter inferiori gradu. Verum S. Doctor sententiam aliquam pro lege non habet, ut certe et multo seu notabiliter probabiliorem, nisi quando per eam lex iam apparet *saltem moraliter satis promulgata,* adeoque minime *dubia*, et consequenter opposita pro libertate non potest dici certe probabilis. Quod S. Doctor voluit explicite adnotare ad removendam a suo systemate tenuem et dubiam ac incertam probabilitatem. Et hoc totum sane contra probabilismum non est, sed contra laxismum.

100. Ecce quomodo S. Doctor totum suum systema paucis speculative et practice complectitur in sua Theologia Morali nuper edita a R. P. Leonardo Gaudé e Congr. SS. Red., lib. 1. tract. 1. *de Conscientia* — Cap. 3. *de Conscientia probabili* — *Morale Systema,* num. 82. pag. 62. « Multa sunt, quae tutius est facere; sed *simul etiam tutius est,* non se credere obligatum ad ea facienda..... *nisi moraliter ipsi constet de tali obligatione* » Haec ex P. Bancel Dominicano: ac paulo post S. Doctor subiungit: « Caeterum *protestor,* quod sicut confessarios illos non approbo, qui, nimiae austeritati adhaerentes, facile damnant usum plurium opinionum, *quae gravi fundamento nituntur;* ita contra, neque approbare possum eos, qui de facili opiniones *sine certo fundamento* tanquam probabiles acclamant. — Confessarius, antequam aliquam opinionem amplexetur, tenetur utique intrinsecas rationes perpendere; et cum ei occurrit *ratio aliqua convincens pro tutiore opinione,* tunc oppositam minus tutam amplecti non potest ». Porro totum hoc nonne simplicem continet probabilismum? Num probabilistae dicunt quod liceat sequi opiniones contra legem, licet pro lege sit *ratio convincens,* et contra legem *nullum adsit grave fundamentum?* Ac quando contra legem vera seu gravis

adest probabilitas, num dici potest quod *moraliter constet de eius obligatione?*

101. Insuper in eadem Theol. Mor. et nova editione R. P. Gaudé l. 3. C. 1. Epist. Resp. post n. 132 pag. 456. S. Doctor ita exponit. suum systema morale: « Ut dicatur quod actio aliqua non sit peccatum grave, *sufficit ut vera probabilitas habeatur,* quod tale non sit, QUEMADMODUM OMNES FATENTUR: intelligo illam quae fundamento *non tenui* innititur, talem esse, ut tuto (iuxta sententiam communem, *seposita quaestione* de probabiliori et minus probabili) possit teneri et doceri..... Ad hoc igitur, ut actio aliqua sit graviter illicita, *requiritur certitudo, prout docent omnes* ». Nonne probabilismus idem docet et tradit? Nonne contendit ad affirmandum peccatum *requiri certitudinem?* Nonne, seposita item quaestione de probabiliori et minus probabili, hoc etiam costanter affirmat ad removendum grave peccatum *sufficere veram probabilitatem,* quae nempe *non tenui,* sed gravi *fundamento* innitatur; *ita ut tuto possit teneri et doceri?*

102. Ac ibidem pag. 457. ita suam doctrinam circa normam humanarum actionum concludit: « Hinc Benedictus XIV. in suo Opere *de Synodo,* in plerisque capitibus nihil aliud episcopos monet, quam ne unquam peccati gravis eas damnent opiniones, quae *uti probabiles* doctores utriusque partis defendunt ». Ecce iterum simplex probabilismus. Probabilistae hoc idem dicunt, et nihil aliud, neque plus neque minus. Idque millies repetit S. D.:

« Certum est, vel ut certum tenendum prout communiter DD. docent... quod hominibus imponenda sub culpa gravi non sunt, *nisi evidens ratio id suadeat* ». L. 3. n. 547. pag. 53. vol. 2. ed. P. Gaudé. Et hoc simplex probabilismus est.

103. Neque vero valet obiicere S. Alphonsum probabilismum communem limitasse; et in hac limitatione versari totum cardinem quaestionis. Ait enim: « quod si opinio, quae stat pro lege, videatur *certe probabilior* ipsam omnino sectari tenemur, nec possumus tunc oppositam, quae stat pro libertate amplecti ». Loc. cit. num. 54. pag. 25. *Certe probabilior,* ut notat R. P. Gaudé in Praef. pag. XX. idem pro S. Alphonso est ac *notabiliter* probabilior. Haec autem opinio *certe vel notabiliter probabilior* pro S. Doctore idem est ac sententia moraliter certa, ita ut opposita non sit nisi *dubie* vel *tenuiter* probabilis, et ideo prima illa *certe vel notabiliter probabilior* dicitur a S. Doctore. Ecce quomodo, ait idem R. P. Gaudé, « S. Doctor in sexta et septima editione n. 55., principium istud exponebat », pag. 25 Expositionem autem hanc S. Doctor, teste eodem R. P. Gaudé, pag. XIX. *substantialiter non amplius mutavit.* Expositio haec est: « *Dico..... certe,* quia cum opinio pro lege est *certe et sine ulla haesitatione* probabilior, tum opinio illa non potest esse nisi *notabiliter*

probabilior. Et *eo casu*, opinio tutior non erit *iam dubia* (intelligendo de dubio stricte sumpto), sed est *moraliter aut quasi moraliter certa;* saltem nequit dici amplius stricte dubia, *cum pro se certum habeat fundamentum quod sit vera*. Unde tunc fit, quod opinio minus tuta, *quae certo fundamento caret*, remaneat *aut tenuiter aut saltem dubie probabilis respectu tutioris* ». Dicitur autem a S. Doctore, *quae certo fundamento caret;* quia si revera non obstante *maiore illa probabilitate* sententiae pro lege, opposita pro libertate sufficienti innititur fundamento, ipse S. Doctor dicet hanc esse *probabilem* vel *sat probabilem*, eamque nos posse sequi.

104. Et sic. l. c. l. 3. n. 404. pag. 660. circa quaestionem ibi propositam: An princeps *cum sola opinione probabili pro se* possit inferre bellum alteri, regnum bona fide possidenti?, tres S. Doctor refert sententias, primam affirmantem, alteram tenentem, quod ut princeps possit, non possidens, bellum inferre, pollere debet opinione saltem probabiliori, tertiam tandem sententiam, exigentem certitudinem sui iuris. Hanc tertiam sententiam dicit *longe sibi probabiliorem;* addens etiam, Elbel eam habere ut certam, et Tamburini putare opinionem contrariam improbabilem ex principiis intrinsecis. Et nihilominus mox S. Doctor ait, secundam sententiam sibi esse *satis probabilem*, speculative loquendo, etiam intrinsece. Ecce igitur quomodo ex S. Doctore sententiae notabiler probabiliori opponatur sententia non improbabilis, sed *satis probabilis intrinsece*.

105. Ibidem num. 649. pag. 127. circa quaestionem: An vir habens votum castitatis vel religionis teneatur ducere virginem defloratam post veram vel fictam promissionem matrimonii?, refert S. Alfonsus primam sententiam negantem, secundam *probabiliorem* affirmantem; et deinde ait: « Haec secunda sententia mihi *certo et longe probabilior* videtur. An autem prima sententia sit probabilis, dubitat Tamburinius; imo Sporer ait non esse audiendum Diana, qui eam tuetur. *Ego ipsam nec probabilem nec improbabilem dicere audeo* ». — Ecce iterum quomodo ex ipso S. Doctore ex eo quod sententia aliqua sit *certo et notabiliter probabilior* non sequitur quod opposita sit improbabilis.

106. Ibidem num. 293. pag. 561. quaeritur: An ob solam pietatem, sine actuali necessitate, liceat in festis laborare? Refert S. Alphonsus sententiam affirmantem et negantem. De negante inquit: « Haec secunda sententia mihi videtur *certo probabilior* cum Sanchez... et communiter ». De affirmante vero non dicit quod sit improbabilis vel tenuiter aut dubie probabilis. Sed e contra eius exponit rationem ex Cap. *Conquestus de Feriis*, ubi excusantur iudicialia, *si necessitas urgeat vel pietas suadeat*. Et deinde S. Doctor addit: « Et haec ratio *non videtur spernenda*, cum de eodem iure ecclesiastico vetentur

iudicialia ac servilia: in aequiparatis autem, ubi currit eadem ratio eadem currit legis dispositio, ut ex communi diximus l. 1. n. 200. v. *Haec tamen* ». Hinc ergo etiam habemus quod S. Doctor, non obstante opinione *certo probabiliori,* oppositam adhuc iudicat non spernendam, et consequenter sat probabilem.

107. Ibidem l. 3. num. 520. quaer. 4.° quaerit S. Alphonsus: An fur consumens rem ablatam in extrema necessitate, teneatur semper ad restitutionem? Affert S. Doctor primam sententiam negantem, et secundam sententiam affirmantem, quam dicit *gravissimam et communiorem;* et, huius mox explicatis et traditis rationibus, deinde subiungit: « His tamen non obstantibus, *non puto improbabilem primam sententiam* ». Sententia ergo sat probabilis saltem habetur, non obstante opposita notabilissime probabiliori, nam ea dicitur *gravissima.* — Sed ad alia progrediamur.

108. Instatur: *S. Alphonsus probabilismum uti laxam doctrinam reprobavit, nam laxam asserit esse doctrinam, quam de hac re communiter Theologi tenuere saeculi XVII. Itemque asserit se non sequi systema Iesuitarum.* — S. D. uti laxam habet non probabilismum, simpliciter, sed *probabilismum latum et laxum,* qui extenditur usque ad dubiam et tenuem probabilitatem. Legatur *Morale systema* S. Alphonsi, prout exponitur in ipsa editione Theologiae Moralis P. Gaudé. In tota illa Dissertatione S. D. non oppugnat opinionem *vere probabilem,* sed opinionem, quae quamvis dicatur probabilis, probabilis revera non est, cum non sit, *nisi tenuiter aut saltem dubie probabilis;* ut ipse R. P. Gaudé, pag. 25., S. Alphonsum interpretatur, nota adiecta ex ipso S. Alphonso in sexta et septima editione. Et sane S. Alphonsus e contra in tota illa Dissertatione nihil aliud facit nisi defendere ex professo et diffuse *opinionem probabilem contra probabilioristas*, ex eo quod ad obligationem affirmandam requiratur *scientia, seu certa notitia legis;* unde *lex dubia non obligat, lex incerta non potest certam obligationem inducere.* — Neque vero S. D. ait *communiter* doctores saeculi XVII. tenuisse laxam illam sententiam, quam ipse reprobat; sed eam illos auctores *quasi communiter* tenuisse, ergo non communiter. *Quasi communiter,* non quia eam tenuerunt omnes vel fere omnes, vel maxima aut maior pars; sed tantum quia *multi* eam tenuerunt. Ipse S. D. declarat suam assertionem in Dissert. ann. 1765., in qua ait: « Non praetendi neque praetendo *novum systema statuere;* bene etiam scio, *nullum probabilistam solidae doctrinae* licitum declarare usum opinionis tenuiter vel dubie tantum probabilis. Sed, *quia multi probabilistae* sine distinctione dicunt, licere sequi opinionem minus probabilem, si fundata sit in ratione vel auctoritate, ego volui distinguere, etc. ». Atque ex his aperte patet S. D. tenere et defendere nonnisi *probabilismum solidae doctrinae,* qui sen-

tentias excludit tenuiter et dubie probabiles. Insuper, patet S. Doctorem non improbare probabilismum, sed eius tantum abusum. Quapropter, H. A. tr. 1. n. 73., ait: « Et revera transacto saeculo plurimi *abusi* fuerunt *in opinando, adprobando pro probabilibus multas laxas opiniones;* ideoque plures Ecclesia proscripsit opiniones, *quia immerito vocabantur probabiles* ». Quomodo autem potuisset S. Doctor probabilismum improbare, cum illum defendat contra suos detractores, asserentes eum iam fuisse ab Ecclesia damnatum? Cf. l. 1. n. 85. 70. p. 66. 70. ed. P. Gaudé. Tandem, si revera S. D. habuisset uti laxos auctores saeculi XVII., saltem in maxima vel maiori eorum parte, quomodo facto dictis non contradixisset? Nam maxima parte auctorum, quos S. Alphonsus laudat et sequitur ad saeculum pertinent XVII. Ad hoc saeculum, inter alios probabilistas doctores, pertinent Gregorius de Valentia S. I., Ioannes Azor S. I., Gabriel Vasquez S. I., Dominicus Bannez O. P., Petrus Lorca O. Cisterc., Thomas Sanchez S. I., Franciscus Suarez S. I., Vincentius Fillucius S. I., Leonardus Lessius S. I., Martinus Becanus S. I., Basilius Pontius O. S. Aug., Salmanticenses Carm. discalc., Martinus Bonacina doct. mediolan., Aegidius Coninck S. I., Ferdinandus de Castropalao S. I., Didacus Alvarez O. P., Paulus Laymann S. I., Augustinus Barbosa Episc. Uxentinus, Franciscus Amicus S. I., Card. De Lugo S. I., Petrus Marchant O. S. Franc., Hermannus Busembaum S. I., Antonius de Escobar et Mendoza S. I., Christianus Lupus O. S. Aug.

109. Neque vero S. D. dicens se non tenere doctrinam Iesuitarum intendit dicere, omnium vel fere omnium Iesuitarum, sed tantum alicuius vel aliquorum paucorum. Idque ipse S. Alphonsus diserte affirmat in litt. ad Remond. 30. Mart. 1756., 30. Iun. 1768. Praeterea auctores Iesuitas saepe laudat, et ipsemet clare ait in cit. litt. 30. Mart. 1756. se a Iesuitis sumpsisse ea quae scripsit. « Nam, *id quod semper dico,* **illi fuerunt et sunt magistri in theologia morali** ».

110. *Praecipuae scholae probabilismum reprobarunt.* — S. Alphonsus in Dissert. de opinione minus probabili anni 1755. n. 8. ait probabilismum *in terminis* expositum fuisse primum a Medina, Hispano, Ord. S. Dominici anno 1577.; attamen *in substantia,* terminis aequivalentibus, illum tradidisse antiquos auctores, et illo *in praxi communiter usos esse.* Ac deinde n. 9. subdit: « Nequit autem negari, quod spatio centum annorum vel saltem usque ad medietatem saeculi 17.^{mi} benigna sententia (probabilismi) ab omnibus doctoribus recepta est ». Et sane, ut ait D'Annibale Summ. ed. 4. P. 1. n 10. seqq. probabilismum, nempe *in terminis,* secundum S. Alphonsi expressionem, « ex finibus egressus Hispaniae ab anno

circiter 1610. usque ad annum 1650. scholis fere omnibus potitus est..... Ei nomen dederunt discipuli D. Thomae omnes, uno vel altero excepto; Scoti discipuli, Mastrio teste, qui probabilistarum sententiam vocat communissimam et receptissimam in omni schola; Patres Societatis Iesu omnes prorsus (paucissimis exceptis), quibus, exceptis Theatinis, theologi pene omnes suffragati sunt ». Quibus accenset idem D'Annibale S. Alphonsum, « qui tuendum suscepit: *licitum esse uti opinione probabili,* etiam in occursu probabilioris pro lege, semper ac illa certum et grave habeat fundamentum ». Quod est, uti patet, probabilismum, *in terminis,* tueri. Neque vero S. Alphonsus hunc probabilismum unquam deseruit. Enimvero, quandonam S. Alphonsus docuit illicitum esse sequi opinionem, quae certum et grave fundamentum habeat? Satis superque est vel sola *conclusio* S. Doctoris in tr. de Conscientia, prout habetur in editione P. Gaudé, l. 1. n. 76. p. 53.: « *Concludendum* divinam legem non obligare, nisi cum est *cognita,* nisi cum est CERTISSIMA, nisi cum de illa habetur SCIENTIA, nisi ipsamet INNOTESCIT ».

111. Post Bartholomaeum Medina probabilismum quidem *in terminis* fere omnes amplexi sunt Episcopi, universitates, doctores ex omni natione et religioso ordine. Cf. Franc. Ant. Zachar. De Locis Moralis Theologiae Tr. 5. C. 3. et S. Alph. Dissertat. scholastico-moral. pro usu moderato opinionis probabilis in concursu probabilioris, Neapoli 1755. Sed ante Medinam probabilismum revera tradidere *in substantia,* et eo usi sunt antiqui doctores. Et sic S. Antoninus part. 1. tit. 3. cap. 10. § 10., p. 2. tit. 1. cap. 11. § 28. ait contrarias inter doctores maxime in materia morali esse opiniones, et posse quempiam, dummodo sibi bonam efformet conscientiam, quamlibet sequi opinionem, quando nulla in contrarium habeatur expressa auctoritas et sufficiens ratio. Idque tenuit etiam S. Thomas, Ulricus, Albertus Magnus, Hostiensis, Guillelmus, Petrus de Palude, Goffridus de Fontibus ab eodem S. Antonino ll. cc. relati. Et Christianus Lupus Opp. tom. 11. disp. 1. ostendit rationem solvendi in dubiis morales quaestiones probabilismi principiis et methodo antiquissimis etiam PP. familiarem fuisse.

112. *Ecclesia probabilismum solemniter damnavit.* — Nihil magis alienum est a veritate hac affirmatione. Ecclesia illum, ut iam paulo ante declaratum est, sin minus explicite, implicite saltem probavit, et continue probat. Caeterum cum contra ipsum S. Alphonsum probabilismi condemnatio in medium proferretur, S. Doctori responsum fuit a Consultoribus S. Officii et a Cardinali Poenitentiario Maiori minime vetitum fuisse probabilismum etiam quoad opinionem minus probabilem pro libertate, l. 1. n. 85. 88. ed. P. Gaudé p. 66. 70.

Neque vero *Ecclesia probabilismum solemniter damnavit*, ut ab aequiprobabilistis obiicitur *Decreto edito ab Innocentio XI. 26 Iun. 1860.* — Ex ipsa publicatione istius Decreti, anno 1902., quod nunquam antea fuerat authentice publicatum apparere forte alicui potest aliqua S. Officii in probabilismum aversatio. Si quis id opinatur decipitur omnino. Nam illa publicatio facta non est motu proprio S Officii, sed ad repetitas preces, a me factas nomine Praepositi Generalis Societatis Iesu. Insuper sufficit legere illud Decretum, ut oculis propriis quis videat nihil in eo contra probabilismum contineri. — Duae sunt Decreti partes. In prima laudatur Thyrsus Gonzales, qui probabilismum suscepit oppugnandum, et *opinionem magis probabilem* practice sequendam, seu et *probabiliorismum* defendendum, rem ita faciens gratam Summo Pontifici. In secunda mandatur Generali Societatis Iesu, ut quilibet in societate, libere scribat pro *opinione magis probabili*, et impugnet probabilismum.

113. Iam vero haec utique faverent ad summum probabiliorismo quem defendebat Thyrsus Gonzalez, sed nullo modo aequiprobabilismo, Thyrso Gonzalez penitus ignoto, imo etiam ipsi Innocentio XI. Quare, si ex illo Decreto probabilismus reprobatur, etiam aequiprobabilismus reprobatur. — Nulla tamen ex illo Decreto, ut patet, reprobatio probabilismi habetur; imo potius approbatio. Nam Summus Pontifex praecipit, ut in Societate Iesu cuique sit plena libertas propugnandi probabiliorismum et oppugnandi probabilismum, *prout sibi libuerit*. Si Summus Pontifex revera eo Decreto reprobasset probabilismum, et non potius e contra saltem implicite approbasset, quomodo poterat imponere *libertatem* concedendam ad propugnandum probabiliorismum? Debebat profecto imponere obligationem unice probabiliorismum propugnandi. Quare Decretum non tantum non continet probabilismi condemnationem, sed eius e contra continet implicitam permissionem et approbationem. — Insuper Thyrsus non tantum probabiliorismum defendebat, sed e contrario probabilismum impugnabat, et consequenter, quantum potuit egit apud Innocentium XI., litteris ad eum datis 29. Iul. 1679., et mense Maio, anno 1680. Innocentius autem XI privata sua sententia in severiorem opinandi modum inclinabat. Quare, si hisce non obstantibus, nullam suo Decreto Innocentius XI. condemnationem tulit contra probabilismum, hunc implicite habuit uti permissum et probatum in Ecclesia. — Postremo praedictum Decretum non fuit Decretum universale ad totam Ecclesiam directum et doctrinale, sed Decretum omnino particulare ad solam Societatem Iesu, et mere disciplinare. Hinc S. Alphonsus Patri Patuzzi probabilismum oppugnanti, et praedictum Decretum eidem S. Alphonso obiicienti respondet:

« Si autem S. Pontifex iussit Iesuitas non amplius scribere *pro sententia minus probabili*, id iniunctum est solis Iesuitis, idque forte propter rationes, quas tum temporis S. Pontifex habuit particulares ». Ac tam verum est praedictum Decretum non fuisse Decretum Generale et doctrinale, probabilismum simpliciter condemnans, ut, cum primum latum esset, occulte delitesceret, et non multos post annos penitus ignoraretur; ac, in memoriam ab adversariis revocato, nonnisi apocrypha et vitiata exemplaria haberentur.

V. — DE DOCTRINA S. ALPHONSI CIRCA PROBABILISMUM

114. Cum maxima sit in re morali auctoritas S. Alphonsi, et recentiores plures negent, S. D. stare pro probabilismo simpliciter tali; sed aequiprobabilismum docere affirment, probabilismum vero tanquam doctrinam laxam reiicere; hinc speciatim hic movemus quaestionem *de mente sancti Doctoris,* quamvis in praecedenti articulo fere constanter usi simus ipsius sententiis et etiam verbis ad probabilismi doctrinam constabiliendam. Valde autem utile erit sub uno veluti conspectu eius doctrinam exponere, ad illam plene intelligendam.

115. Ne dubium hac in re sit, et fideliter mentem S. D. exponamus, eius doctrinam desumimus ex tr. de Consc. in eius Op. H. A., quod ipse ibidem n. 79. declarat se morti proximum scripsisse. Porro haec habentur n. 33. 77.: « Tertia quae nostra est sententia dicit, quod, quum opinio quae libertati favet est *aeque probabilis,* atque opinio quae legi favet, sine dubio et licite sequi potest... Hic opus est, ut ego quid circa meum systema moneam, quod est omnino monendum, et est, quod cum dubitatur, an opinio legi favens sit *aeque probabilis* aut *parum probabilior,* tunc locum habet idem principium quod *lex dubia non obligat;* tali enim casu, ipsa lex non desinit esse *stricte dubia;* nam tunc, quamvis *aliqua* pro lege *maior* adesset *probabilitas,* cum dubitatur, an haec maior probabilitas adsit vel ne, praeponderantia erit tam levis et minima, ut nihil facienda sit, prae illo effato communiter ab ipsis adversariis admisso, quod *parum pro nihilo reputatur.* Secus autem esset; quando *excessus esset evidens, atque certus,* quia tunc opinio legi favens erit *certe* et *multum probabilior;* ideoque tunc, uti a principio dictum fuit, *lex est iam moraliter promulgata,* ideoque obligat, et est procul dubio observanda ».

116. *Duo hic sunt investiganda*: *Primum* est, quid S. Alph. intelligat per opinionem *evidenter* et *certe multo probabiliorem.* Si enim

intelligit opinionem *vere* et *proprie* probabilem, contra nos est; si vero intelligit opinionem, quae probabilitatis limites praetergrediatur, et *certitudinem attingat,* pro nobis erit. *Alterum* est, quid iterum intelligat S. D. per opinionem *aeque probabilem* aut *parum probabiliorem*, si enim illud *parum probabilior* denotat *tenuem* excessum probabilitatis, prout *a maiori* distinguitur excessu *verae probabilitatis,* iterum S. D. contra nos est; si vero denotet simpliciter excessum probabilitatis, S. D. pro nobis erit.

117. *Ad primum* quod attinet, S. Doctor semet refert ad ea, quae *in principio* dicta fuere. Haec in principio, num. 31., habentur: « Utrum autem liceat cum opinione probabili operari, tres adsunt sententiae, prima quarum est, ut possit quis licite sequi opinionem etiam *minus probabilem* pro libertate, licet opinio pro lege sit *certe probabilior*. Hanc sententiam *elapsi saeculi* auctores *quasi communiter* tenuere, sed nos dicimus eam esse laxam et licite amplecti non posse. Ratio est, quia quando opinio pro lege est *certe probabilior;* tunc lex non est amplius *dubio stricto dubia,* uti accidit, quemadmodum postea explicamus, cum opiniones tam pro lege, quam pro libertate sunt *aeque probabiles*; sed est *moraliter certa,* quum habeat pro se *fundamentum certum*, quod *vera sit,* ubi e contrario opinio *minus probabilis*, quae favet libertati, *tale habet fundamentum*, ut *vera non sit*, ut remaneat *tenuiter*, sive saltem *dubie probabilis,* prae opinione tutiore, ideoque non est *prudentia,* sed *imprudentia* eam velle sequi. Quum enim intellectui *certe appareat,* quod veritas stet magis pro lege quam pro libertate; tunc voluntas *nequit prudenter* et sine culpa partem minus tutam sequi: tunc enim non operaretur *ex proprio iudicio*, seu propria credulitate, sed *quodam ex conatu*, quem sua voluntate faciet intellectui, removendo illum ab ea parte, quae ei verior videtur, eumque deflectendo ad illam partem, *quae non solum videtur ei non vera, sed ne demonstrat quidem certum habere fundamentum, quod possit esse vera* ».

118. Iam vero ex his aperte constat, S. D. per opinionem *certe probabiliorem* intelligere reapse opinionem *moraliter certam*. Ait enim quod tunc lex 1°. non sit *dubia dubio stricto*, sed est *moraliter certa;* 2°. quod eadem lex tunc habeat pro se *fundamentum certum quod vera sit;* 3°. iterum, quod dicta lex non habeat contra se nisi opinionem, quae *tale habet fundamentum, ut vera non sit;* 4°. quod opinio minus probabilis opposita legi sit *tenuiter* vel *dubie probabilis,* ita ut *imprudentia* sit eam velle sequi, quaeque *non solum videtur non vera,* sed ne demonstrat quidem *certum* habere *fundamentum quod possit esse vera.* — Porro opinio *tenuiter probabilis* non est opinio *vere probabilis,* idque tradit idem S. Alph. n. 65: « *tenuis probabilitas* non est *probabilitas vera;* sed est tantum quaedam *falsa*

seu *vana* probabilitatis species ». Opinio item, *dubie probabilis* non est *vere* et *proprie* probabilis, quam nos contendimus licitum esse sequi. etiam in concursu probabilioris. Si enim dubie probabilis est, dubie probabilitatis naturam participat, adeoque *proprie* loquendo probabilis non est. Et sane opinio *vere* et *proprie* probabilis definitur ab eod. S. Alph., l. c. n. 21 , « illa quae *gravi* aliquo innititur *fundamento, apta ad hominis prudentis* assensum inclinandum ». Opinio ergo *dubie probabilis* erit opinio, quae habet *fundamentum dubie grave*, adeoque non meretur assensum viri prudentis, qui periculo exponeretur *imprudenter agendi*. « *Dubie probabilis*, ait S. Alph. l. c. n. 65., quam nemo sequi potest, sed si ea *non est probabilis*. habet tantum prudentem *aliquam* rationem, *quod vera sit...dubie probabilis aliquam* prudentem rationem, licet *non omnino stabilem,* habet *quod sit probabilis* ». — Atque hinc patet, quod opinio illa, quam velle sequi *imprudentia* est, quaeque *non solum videtur non vera*, sed ne demonstrat quidem *certum habere fundamentum, quod possit esse vera,* opinio vere et proprie probabilis non est. Si igitur opinio *minus probabilis,* opposita *certe probabiliori,* vere et proprie probabilis non est, opinio *certe probabilior* intra probabilitatis limites minime subsistit, sed certitudinem iam attingit.

119. Idem confirmatur ex Dissertatione inserta in Op. Mor. l. 1.,. n° 55. editionis sextae et septimae, et relato in edit. P. Gaudè p. 25 uti commentario doctrinae S. Alphonsi in textu. S. D. explicat illud *certe probabilior*. « Dico ait, *certe*, quia cum opinio pro lege est *certe* et *sine ulla haesitatione probabilior*, tum opinio illa non potest esse nisi *notabiliter probabilior*. Et eo casu opinio tutior non erit *iam dubia* (intelligendo de dubio stricte sumpto..) sed est *moraliter* aut *quasi moralis certa;* saltem nequit dici amplius stricte dubia, cum pro se *certum* habeat *fundamentum quod sit vera*. Unde tunc fit, quod opinio minus tuta, quae certo fundamento caret, remaneat aut *tenuiter*, aut saltem dubie probabilis respectu tutioris ; adeoque non est *prudentia*, sed *imprudentia* velle eam amplecti » etc. — Nota primum quod ex S. D. si opinio est *certe probabilior* est *notabiliter probabilior*, quia parvus excessus, vel non percipitur ab intellectu, vel non percipitur sine formidine errandi. Unde. si opinio est *certe probabilior* est etiam notabiliter probabilior. — Nota deinde quoad illud, *quasi moraliter certa*, quod S. Doctori hac in re, ubi agitur de morali quadam exsistimatione, *parum pro nihilo reputatur*. — Insuper S. D. non de quavis loquitur probabilitate, sed de ea quae *intellectui certe apparet*, et de eo loquitur, qui si ab hac probabilitate discederet, a proprio iudicio per *quemdam conatum voluntatis discederet,* et contra suam ageret conscientiam ; cui proinde illud aptat Apostoli ad Rom. 14., 23. *quod non est ex fide peccatum, est*, ibid.

et H. A. tr. 1. n. 31., « ex quo deducitur quod nos ut recte operemur debemus esse *de actionis honestate moraliter certi* ».

120. Postremo S. D. eam sententiam appellat *laxam,* quae etiam *minus probabilem* pro libertate tuetur *sine ulla distinctione*, quae nempe *aliquod* habet tantum *fundamentum rationis et auctoritatis*, et ideo distinxit dicendo, quod non potest quis sequi opinionem hanc minus tutam, *quando* est *magna et certa preponderantia pro tutiori.* Apolog. cont. il P. Patuzzi an. 1765. Atqui vera probabilismi doctrina, quam sequimur non quamlibet sententiam probabilem *indistincte* defendit, sed *certo et graviter probabilem,* quae sola *vere probabilis est.* Itemque S. D. eam doctrinam *laxam* appellat. quam *auctores elapsi saeculi* quasi communiter tradiderunt, altera nempe illius saeculi parte. qua plures probabilistarum laxae opiniones damnatae a S. Sede fuerunt; sed certe non Sanchez, Suarez, Lessius, Palaus, Laymann, Lugo, Pallavicini aliique quam plures, quos ipse S. Alph. non solum in suis Operibus Moralibus, sed in illa ipsa Dissertatione de suo Morali systemate probat et laudat pro *sua opinione.* Hanc ipse defendit, et repetitis vicibus propugnat, non contra *probabilistas*, sed contra *rigidos tutioristas*, eamque affirmat *serie multorum annorum sine dubio communem fuisse apud omnes.* Breve Dissertaz. dell'uso moderato dell'Opin. Probab. Napoli 1762. pag. 48., Op. Mor. l. 1. n. 59. 68-73. 84.

121. *Ad alterum* quod spectat, evidens res est, quod, si S. D. per opinionem *multo probabiliorem* intelligit opinionem *moraliter certam*, vel *quasi moraliter certam, contra tenuem* vel *dubiam probabilitatem,* per opinionem *parum probabiliorem* intelligit simpliciter excessum merae probabilitatis Secus enim ipse S. Doctor non posset certe admittere posse saltem aliquando opinionem probabilem suam retinere probabilitatem, et eam quempiam posse sequi, quamvis opposita sit notabiliter probabilior, ut pluries ipsemet revera admittit. Cf. hic n. 104. seqq. Secus iterum dicendum esset ex S. Doctore non dari reapse opinionem probabilem, probabiliorem, probabilissimam, et probabiliorem vario gradu, sed tantum opinionem probabilem, quod et in se falsum est, et alienum omnino a doctrina S. Doctoris, Cf. hic n. 33. seqq. — Si autem quaeratur, cur S. D. tunc designet istum excessum, inquiens, *parum probabiliorem*, et non simpliciter dicens, *probabiliorem;* ratio est, quia S. D. rem considerat potius *practice*, quam *speculative,* attenta natura rei et principiorum, nec non rigore verborum, et ita distinguit inter *parvum* et *notabilem* excessum probabilitatis. Notabilis excessus vere talis habetur, cum est *evidens* atque *certus*, et tunc ex S. D. desinit revera probabilitas et ad *certitudinem* pertingit. Et ita quidem est, saltem practice et regulariter loquendo ; talis enim probabilitas,

saltem practice confunditur cum morali certitudine, quae latiori quodam sensu certitudo est.

122. Et re quidem vera, loquitur S. D. de multo maiori probabilitate certe et evidenter tali. *Certe et evidenter* cui? non *soli opinanti* certe, cum omnes bene sciant, quod una eademque opinio uni minus probabilis alteri magis probabilis appareat, immo etiam eidem in diversis circumstantiis ; sed *omnibus*, *seu communi sapientum iudicio*. Et reapse si propositio est *multo probabilior certe* et *evidenter omnibus, seu communi iudicio sapientum*, iam revera est, practice loquendo, moraliter certa. In rebus enim agendis et probabilissimis et probabilioribus opinionibus saepe utimur quasi veris, et quasi moraliter certis, cum maior haberi non possit certitudo. — Omnis alius excessus licet forte *notabilis* sit, si tamen non est ita *evidens* et *certus*, reapse notabilis proprie dici non potest, quum tunc dubitetur de tali excessu notabili, et propositio, quae uni videtur multo probabilior alteri forte, immo forte etiam eidem, re melius perpensa, ut ipsemet S. Alph , fatetur de se ipso, l. 1. n. 86., H. A. 1. n. 78., multo minus probabilis apparet. — Si igitur probabilitatis excessus iste *notabilis* sit ita *evidens* et *certus*, tunc iam ad certitudinem pertingit, et iure merito opposita esse non potest nisi tenuiter vel dubie probabilis. Si autem licet notabilis, ita *evidens* et *certus* tamen non sit, iste excessus, reapse quoad nos, tanquam *notabilis* haberi non potest, sed manet intra limites *aeque probabilitatis* vel *parum maioris probabilitatis*. Ac sane si *opinanti ipsi soli* sententia videatur notabiliter probabilior, vel si quoad eam doctores in varias concedunt opiniones, potestne prudenter haberi ea sententia ut *certe* et *evidenter* probabilior? Certe, non. — Unde iterum constat, per illum *parum maiorem excessum* S. D. intelligere reapse excessum simpliciter probabilitatis.

123. Quapropter S. Doctor aperte fatetur se a probabilistis non dissentire. « *Ipsi auctores* probabilistae nostri dicunt sequendam esse opinionem pro lege, quando haec est *notabiliter et cum excessu probabilior, quia in eo casu lex est moraliter satis promulgata* ». Epist. 25. Maii 1767. Et sic Suarez de Leg. l. 8. c. 3. n. 9. « maior probabilitas, ait. est quaedam moralis certitudo, si excessus probabilitatis certus sit ». S. Alphonsus ergo non novum condidit systema, ut ipsemet fatetur, sed solum in sexta editione et seqq. practicam regulam tradidit ad discernendum veram et realem probabilitatem a falsa et apparente tantum probabilitate; aperte respuendo dubiam et tenuem probabilitatem, et certe probabiliorem, tunc sequendam decernendo. Atque haec revera est illa *res singularis, quae,* ut ipse S. Doctor ad Remondinum scribebat, *non in aliis libris reperitur*. Theol. Mor. ed. P. Gaudé pag. XIX.

124. Sed obiicit R. P. Wouters, pag. 67., S. D. loqui de opinione certe notabiliter probabiliore *opinanti.* — *Opinanti tantum,* hoc non est verum; et affirmari non potest. Etenim sententia certo et sine *ulla haesitatione probabilior* bene intelligitur, si agatur *de certa et notabili praeponderantia* probabilitatis quoad omnes. Verum, si restringatur ad notabilem praeponderantiam probabilitatis quoad ipsum opinantem tantum, quinam est ille tam ignarus notionum, ut ex eo, quod ipse habeat sententiam aliquam uti notabiliter probabiliorem, persuadeatur eam iam esse certe probabiliorem, ita ut opposita sententia habenda sit ut tenuiter et dubie probabilis? Iste certe non est S. Alphonsus, de quo in praesenti agimus. S. Alphonsus statuit generatim ideo posse nos sequi opinionem *probabilissimam*, contra legem, quia lex est dubia. Ergo opinio probabilissima, *quae intra fines probabilitatis manet,* et multo magis opinio tantum *certe notabiliter opinanti probabilior*, ex S. D. manens intra fines probabilitatis, legem certam opinanti facere nequeunt. Et consequenter valet, speculative et doctrinaliter, axioma S. D.: Lex dubia non obligat. Op. Mor. ed. P. Gaudé vol. I. l. I. n. 78. pag. 58. n. 81. pag. 60. 61. — Insuper ipsemet S. Alphonsus, ut iam demonstratum est, in pluribus, casibus particularibus, licet unam opinionem iudicaverit multo probabiliorem, non ideo aliam reiecit oppositam, eamque e contra habuit ut satis probabilem et utilem pro praxi. Ecce habemus opinionem multo probabiliorem *opinanti, S. Alphonso,* qui tamen oppositam ut probabilem habet. Cf. n. 104 seqq.

125. Praeterea qualis sane esset haec regula, qua quis, de sententiarum valore facta quaestione, non possit regi nisi suo individuali iudicio? An vera regula haec? *Neque vera regula est, neque certe est regula S. Alphonsi:* « Talis apparentia (maioris probabilitatis) nequit regulam certam operandi constituere, dum multipliciter fallere potest. Non enim raro aliqua opinio, quae alicui probabilior apparebit, alicui minus probabilis apparebit: imo sibimetipsi opinio, quae heri minus probabilis erat hodie probabilior apparebit ». Illa igitur opinio, quae *alicui probabilior apparet,* non potest esse *vera regula agendi,* quia « lex esset particularis pro eo tantum, cui illa opinio probabilior appareret. Sed hoc utique esset contra naturam legis, quae ad commune bonum debet esse *necessario universalis*, *et universim proposita*, ne populus, qui ad illam observandam tenetur, saepius divisus sit et perplexus circa veritatem amplectendam; dum quisque concionator aut confessarius ex opinionum diversitate *iuxta suum sensum* saepe fideles instrueret ». Nec valet dicere, quod sequendo benignam sententiam (scilicet *probabilem etiam in concursu probabilioris pro*

lege) etiam difformitas intercedere potest, cum eadem opinio alicui probabilis videri possit, alteri improbabilis. Non negatur hoc accidere posse; sed semper verum erit, quod, cum aliqua opinio pollet solida probabilitate, et certo gravi nititur fundamento, ipsa *apud maximam partem sapientum* probabilis existimabitur. Idque iam satis erit ad conservandam *universalem uniformitatem observantiae legis*, non obstante quod apud aliquem particularem illa non sit probabilis; id enim quod raro accidit, *universalem conformitatem non aufert. Hoc tamen non evenit circa aestimationem opinionum probabil'orum*, quia cum maior vel minor probabilitas pendeat a moralibus motivis, nempe a iudicio et ponderatione rationum, quas alii deducunt ex uno principio, alii ex alio, *non raro, sed communiter accidit*, quod quae uni est validior, alteri debilior appareat... ..... Quod autem fiamus certi quod aliqua opinio..... *sit vere probabilior vel habeat requisitam praeponderantiam*, **hoc est moraliter impossibile**. Vel enim praeponderantia illa est parva; *et quis securus erit opinionem esse vere probabiliorem?* Cum enim excessus sit modicus difficile potest certo percipi. *Aut praeponderantia est magna; et quis iudicare poterit eam pertingere ad sufficientem mensuram, ita ut opposita iudicetur falsa, aut tenuiter probabilis?* Et sic semper cum dubio practico agere deberemus. — Vel teneor sequi *probabiliores in se*, et tunc quando sciam, quae opinio sit vere probabilior tot in casibus, ubi graves occurrunt rationes et auctoritates hinc inde oppositae? **Vel probabiliores mihi, et angustiae augerentur**, nam saepe mihi oporteret iudicare meam opinionem esse probabiliorem contra aliam plurium sapientum sententiam; et tunc *quis me tutum reddet quod mea opinio sit* **certo probabilior, et notabilior** *cum illa notabili praeponderantia, quam aliqui ex adversariis requirunt?* Quomodo certus fiam, quod ipse rationes oppositas bene intellexerim et bene solverim? Quod dictamen conscientiae, quod mihi formavi, sit satis certum ac tutum? quod allucinatus non fuerim a proprio sensu, ita ut si errem, error meus sit vere invincibilis et inculpabilis? » S. Alph. Dissert. ann. 1755. n. 3. 17. 42. 43. 48. 50. 52.

126. Ipse S. Alphonsus nobis dicit « se plures opiniones, quas aliquando tanquam probabiles habuit, postea non erubuisse eas retractare ». Op. Mor. l. 1. n. 82. pag. 62. ed. P. Gaudé. — Lessii sententia: non esse illicitum suadere minus malum parato gravius inferre; eidem S. Alphonso visa est, l. 2. n. 57. pag. 353. ed. P. Gaudé, *probabilior*, l. 5. n. 77. pag. 763. ed. P. Gaudè, *satis probabilis*, et H. A. tr. 8. n. 7. *non improbabilis*. Et e contra S. Thomae sententia: id a voti obligatione liberare, quod si a principio notum fuisset votum fieri impedivisset; S. Alphonso visa

est *probabilis*, l. 3. n. 187. 198. pag. 488. 498. ed. P. Gaudé, mox *forte probabilior*, eodem l. 3. n. 226. pag. 518. ed. P. Gaudé, denique *ut certa*, eodem etiam l. 3. n. 720. pag. 186. ed. P. Gaudé. — Omnesne etiam viri docti plene confisi in propria scientia et liberi ab omni praeiudicio possuntne recte perpendere praedictum excessum? S. Alphonsus loquitur de opinione *probabilissima* pro libertate, **nota bene**, contra quam non est ex eodem S. D. nisi *dubitanter probabilis;* et tamen contra eos, qui dicunt non licere sequi nisi *probabilissimam*, ecce quid ait: « Ubi stateram invenient tam exactam, quae ipsos reddat securos, quod opinio stans pro lege careat quidem tanto probabilitatis pondere, quod illam efficiat probabilem, et sic ipsi secure et a periculo immunes operentur » ? L. l. 1. n. 81. pag. 61. ed. P. Gaudé.

127. Nihilominus poterit aliquando sententia ipsi opinanti *esse certe et evidenter probabilior*, cum sufficienti fundamento, « quando nempe **ipse inveniat** *rationem convincentem*, quae opponitur libertati, et *existimat* tali rationi non posse moraliter adaequatam dari responsionem ». S. Alph. dell'Uso moderato dell'Opinione Probabile cap. 5. n. 26. Sed, hoc casu eveniente, iam iterum ille opinans non reperitur in casu opinionis probabilis, sed moralis certitudinis, licet forte tantum *subiectivae*.

128. Ac si quaeratur, cur S. D. hanc fecerit distinctionem inter *parum probabiliorem*, et *notabiliter*, *multum*, *evidenter*, *certe probabiliorem*, ratio est quia S. D., ut constat ex l. c. H. A. n. 31., et ex Apolog. contra Patuzzi 1762, opponere se volebat illis probabilistis, qui probabilismum extendebant etiam ad *tenuem* et *dubiam* probabilitatem, adeoque contendebant, licitum esse agere, cum adest *quaelibet ratio apparens, sed non firma, aut auctoritas*. Hinc ex opposito statuit S. D., quod debet tunc quis sequi opinionem *certe*, *evidenter*, *notabiliter*, *multum probabiliorem*, quae, ut patet, comparatione *tenuiter* vel *dubie* probabilis, iure merito dicitur a S. D. *moraliter certa*. Cum igitur S. Alph. designaverit talem opinionem in comparatione *dubie* et *tenuiter probabilis* per *notabiliter probabiliorem* reliquum erat, ut quamcumque aliam probabiliorem opinionem in comparatione *vere probabilis* designaret per *parum probabiliorem*. Cf. Breve Dissertaz, etc. supra cit. in fine n. 133. pag. 51., Op. Mor. edit. Rom. a. 1757. l. 1. n. 33.

129. Ecce ipsa verba S. D. in Apologia anni 1765.: « Nunquam contendi neque nunc contendo *nova* condere *systemata;* bene novi nullum probabilistam solidae doctrinae pro licito habere usum opinionis *tenuiter aut dubie probabilis*. Verum, quia multi probabilistae *indiscriminatim* dicunt licere sequi opinionem minus probabilem, *quando illa aliquod fundamentum habet ex ratione sive ex auctoritate, idcirco*

volui distinguere, dicendo illicitum esse sequi opinionem minus tutam, quando *multa et certa praeponderantia* est a parte opinionis tutioris; *quia tunc opinio minus tuta non potest dici certo probabilis* ».

130. Ac Ios. Aertnys C. SS. R. in sua Theol. Mor., Tornaci 1890., de Consc. n. 69. inquit, ad mentem S. Alphonsi « *probabili, valde probabili, probabiliori,* opponi probabilem aut satis probabilem: *notabiliter probabiliori, probabilissimae* opponi tenuiter aut dubie probabilem ». Hoc semel statuto, quis amplius intelligere potest aequiprobabilismum, secundum S. Doctorem? Idem R. P. Aertnys, explicans S. Doctoris sententiam, dicit quod *opinio notabiliter probabilior*, de qua est tota quaestio, et quam quis ex S. D. sequi tenetur, est revera opinio moraliter certa; « quamobrem opinio non est *vere probabilis,* quando opposita *notabiliter probabilior est;* n. 80 ». Porro probabilistae non dicunt quod liceat sequi opinionem *non vere probabilem,* sed opinionem *vere probabilem.* Aequiprobabilismus ita reducitur ad merum verborum abusum, appellando adhuc *probabilem* opinionem *moraliter certam.* Quaestio non esset amplius quaestio moralis systematis, sed ad summum quaestio esset logica naturae probabilitatis; utrum nempe semper verum sit, quod opinio notabiliter probabilior reddat oppositam non vere probabilem. Id, ut iam dictum est, regulariter et practice loquendo, verum est tantum quando ea opinio sit certe notabiliter omnibus probabilior. Cf. hic n. 122. seqq. Sed, si speculative et doctrinaliter quaestio fiat, id omnino falsum est, et in aeternum non probabitur. Nam probabilitas per se probabilitatem oppositam non excludit; probabilitas non excluditur nisi ab opposita certitudine.

131. Ex tractatu de Conscientia in Hom. Ap. et in Theol. Mor., secundum S. Alphonsum licitum est sequi opinionem aeque vel fere probabilem pro libertate, « *quia lex dubia non obligat*..... Hinc omnes ad asserendum conveniunt, quod lex, ut obliget, debet esse *certa ac manifesta*, debetque uti *certa manifestari* sive *innotescere homini cui promulgatur*..... unde nullus ligatur per praeceptum aliquod nisi mediante scientia illius praecepti », l. 1. n. 57. pag. 26. n. 58. pag. 27. n. 59. pag. 29. ed. P. Gaudè. Atqui hoc est ipsissimum simplicis probabilismi principium. Et ex eo revera non aequiprobabilismus, sed simplex probabilismus deducitur: « quia *opinio* denotat cognitionem dubiam, aut probabilem alicuius veritatis, *scientia* vero cognitionem certam ac patentem significat », l. 1. n. 53. pag. 28. ed. P. Gaudè. Ergo, stante pro lege *opinione,* licet certo et notabiliter probabiliore, lex non innotescit uti certa; neque legis scientia habetur; adeoque dubia est, et etiam practice non obligat, si contra legem stet, ut bene stare potest, opinio vere probabilis.

132. Idem omnino evincitur ex generali regula, quam tradit S. D.

pro opinionum delectu. « Caeterum protestor, quod, sicut confessarios illos non approbo qui nimiae austeritati adhaerentes facile damnant *usum plurium opinionum, quae gravi fundamento nituntur;* ita contra neque approbare possum eos qui de facili *opiniones sine certo fundamento tanquam probabiliter acclamant* », l. 1. n. 82. pag. 62. ed. P. Gaudè. — « Caeterum in dubiis discutiendis aequalis mihi scrupulus fuit tam sententias libertati faventes *et a ratione alienas* uti probabiles admittere, quam damnare ut improbabiles eas, quae *valido quodam fundamento innixae* mihi videantur », l. 3. n. 547. ed. P. Gaudè pag. 33 — Huiusmodi practice se gerendi regula simplicis probabilismi profecto regula est.

133. Aequiprobabilismi systema intelligi quoque non potest ex *Monito* a S. Doctore suo Operi praemisso, in fine praefationis, ed. P. Gaudè p. LVI., uti lector intelligere possit quas S. Doctor in suo Opere *approbet opiniones, et quas reprobet.* Erat profecto locus affirmandi aequiprobabilismi systema, et tamen ne verbum quidem habetur aequiprobabilismo favens. — Postremo tum in Op. *Hom. Apost.*, tum in Theol. Mor. S. D. cum maxima diligentia persequitur non solum opiniones *communiores* et *probabiliores*, sed etiam *minus* et *multo minus probabiles* et *communes.* Quapropter non considerat S. D., utrum sententia sit *notabiliter vel certe probabilior,* sed utrum sit probabilis; et si eam probabilem iudicat, eam exhibet uti normam agendi.

134. Si quis igitur adhuc contendere velit, S. Alph. systema aliud *speculative* propugnare, a vero probabilismo diversum, is profecto fateri debet *practice* S. Alphonsum verum esse probabilistam. Et sane. si, ut teneamur sequi opinionem probabiliorem ex systemate S. Alph., iste maioris probabilitatis excessus esse debet *communiter evidens atque certus*, Cf. hic n. 124. seqq., vix unam vel aliam forte reperies talem opinionem in re morali, cum, ut iam observavimus. ubi agitur de probabilitate valde diversa sint vel gravissimorum theologorum iudicia, adeoque excessus tunc tanquam *evidens et certus* prudenter haberi non potest. Immo, ut observat Ithur. Cas. 44. n. 5. « vix quaestio ulla inter dd. agitatur, in qua non sint et probabilistae, qui contra probabilistas alios rigidiorem, et probabilioristae, qui contra probabilioristas alios benigniorem sententiam amplectantur ». — L. 1. 3. n. 930. dub. 1.

135. Doctrina ergo, quam uti *laxam* habet S. Alph., non est verus probabilismus, qui sistit intra limites *verae propriaeque probabilitatis;* sed ille est probabilismus, qui hos limites praetergreditur, et se extendit usque ad *tenuem*, et *dubiam* probabilitatem. Hinc S. D. absolute eam doctrinam non dicit *communiter teneri*, sed *quasi communiter ab auctoribus elapsi saeculi;* a pluribus enim reapse tunc te-

nebatur; sed perperam omnino confunderetur cum doctrina veri probabilismi vere communiter, immo communissime tradita. Unde hanc *communissimam* et *probabilissimam* appellavit idem S. Alph. Dissert. de Usu moder. opin. probab. 1755., *quae per duo fere saecula labores tot sapientum exhausit, quae si fuisset falsa, Ecclesia eam non tolerasset.*

136. Ac, si ita quidem se res non habeat, ubinam est systema illud morale, quod *in Ecclesia Catholica catholice defendi* a Clem. XIII. a. 1761. ipsimet S. Alphonso responsum est? l. 1. n. 84. 85. pag. 66. ed. P. Gaudè? Etenim ante S. Alphonsum inter verum probabilismum et tutiorismum seu probabiliorismum nihil fuit medium; neque tunc aequiprobabilismus etiam inter moralia systemata recensebatur. Atqui S. D. perpetuo tutiorismum seu probabiliorismum refutavit. Atqui S. D. asserit se nonnisi *communem* tradere doctrinam, l. 1. n. 59. 84. Atqui S. D. perpetuo docuit: *Ut non sit peccatum grave, sufficit, ut vera probabilitas habeatur,* intelligo illam, quae fundamento NON TENUI *nititur*, etc., l. 3. post n. 139. Epist Resp. Quare statim notare est, rarissime S. D. hanc adhibere notam, *certe*, *notabiliter*, *probabilior*, etc., quod ipsae Vindic. Alph., Append. 1. *Clavis operum* etc., notarunt: et hoc quidem valde mirum esset, si tam parum practicum fuisset ipsi S. Doctori suum systema. Nihil e contra frequentius et clarius fuisset exprimendum in singulis quaestionibus. S. Doctor non *verum* et *proprium* respuit Probabilismum, sed Probabilismum *latum*, extensum nempe usque ad *tenuem* probabilitatem, quem profecto *Ecclesia non toleravit.* Cf. n. seq. 138.

137. Sed obiicitur: Ex S. D. « ad licite operandum debemus in rebus dubiis veritatem inquirere et sequi: at ubi veritas clare inveniri nequit, tenemur amplecti saltem opinionem illam, quae propius ad veritatem accedit, qualis est opinio probabilior ». L. 1. n. 54. pag. 25. ed. P. Gaudé. — Ipse S. Doctor in antecessum solvit hanc obiectionem, simpliciter negando quod teneamur *practice* sequi opinionem propius ad veritatem accedentem: « Quando *apparet veritas* pro lege, utique tenemur eam sequi, quia tunc lex manifeste apparet, unde nemo potest sibi rectam conscientiam efformare (de non existentia legis). **Secus, si res tantum apparet verisimilior**; *tunc enim, cum veritas verisimiliter stet etiam pro altera parte, lex est dubia, et ideo in isto casu vel non adest lex vel non obligat* ». Dissert. ann. 1755. n. 35. « Quando opinio pro lege *verisimilior apparet*, talis apparentia nequit regulam certam operandi constituere, dum multipliciter fallere potest ». Loc. cit. n. 17. « Utique tenemur sectari quod verisimilius apparet *circa veritatem honestatis usus opinionis*, non autem semper quod apparet verisimilius *circa veritatem opinionis*..... quia pluries, esto, lex probabilius

videatur adesse, tamen probabilius erit eam non obligare; et ex eo formamus iudicium practicum moraliter certum de licito..... lex eo casu, cum sit dubia, non obligat ». Loc. cit. 54. 17.

138. *An tanquam probabiles S. Alphonso habeantur opiniones omnes, quas S. D. refert, et expresse non reiicit, licet neque expresse approbet?* — De hac re ita S. Alph. ipsemet declarat mentem suam: « Medullam Hermanni Busembaum praemittendam censui, non iam ut omnes ipsius auctoris opiniones approbarem, sed tantum, ut eiusdem methodum sequerer, quae inter aliorum doctorum methodos ad res morales exponendas valde accommodata mihi visa fuit... Ceterum, benigne lector, te admonitum volo, ne existimes me opiniones illas approbare. ex eo quod *non reprobem*; eas enim quandoque fideliter exponam cum suis rationibus, et patronis, ut alii pro sua prudentia, cuius ponderis sint, adiudicent. Deinde advertas, quod cum aliquam opinionem *veriorem* dico, tunc contrariam non habeo ut *probabilem*, etsi non expresse ut *improbabilem* damnem. Insuper quando unam ex sententiis *probabiliorem* appello, nullo iudicio dato de probabilitate alterius, aut utor hoc verbo, *non audeo damnare*, non propterea intelligo eam probabilem dicere, sed iudicio prudentiorum remittere ». Monit. auct. ad lect. init. operis. Et iterum l. 5. n. 76.: « Et hic rursus repeto, id quod sub initio protestatus sum, nempe quod, cum aliquam opinionem unice *probabiliorem* appello, non ideo contrariam dicere probabilem intelligo. Sicut pariter, cum dico de aliqua opinione *non audeo damnare*, sive *improbabilem dicere*, non ideo admitto ut probabilem; sed de eius probabilitate dubito. Item, cum aliquam sententiam *veriorem* voco, intelligo oppositam *non solida probabilitate* mihi pollere, licet *omnino non reprobem* ». — Attamen negari nullo pacto potest, reapse a S. D. implicite saltem ut sat probabiles haberi opiniones quasdam, quas non solum refert, sed et earum rationes expendit, eisque robur ipsemet addere videtur, si graves recensens theologos inquiat, e. g., Salm. probabilem censent, etc., vel addat in fine, immo Pal. dicit, Lugo addit, advertit, etc. Ut sat probabiles etiam habet S. D. opiniones quas *non improbabiles* dicit, l. 3. n. 1012. — Acta S. Sed. v. 1. p. 467. seqq.

VI. — DE CONSCIENTIA DUBIA

139. Dubium est suspensio *assensus* circa obiectum apprehensum; non solum quoad specificationem, verum etiam quoad ipsum actus exercitium, quia nimirum non habetur sufficiens ratio pro alterutra parte. Quare conscientia dubia ea est, quae haeret suspensa

circa actionis honestatem, in neutram partem inclinans. Conscientia haec, cum iudicium non involvat, conscientia proprie non est, sed potius defectus conscientiae ; conscientia enim iudicium, non suspensio iudicii est. Attamen haec iudicii suspensio conscientia vocatur, quatenus cum hac iudicii suspensione saepe de facto agimus. Huiusmodi dubium coniungi potest cum iudicio reflexo de insufficientia motivi seu rationis ad assentiendum, et tunc huiusmodi iudicium magis proprie conscientia dubia appellatur. — L. l. 1. n. 20.; Suarez tr. 3. d. 12. s. 5.

140. « Dubium dividitur in *negativum* et *positivum*. *Negativum* est, quando ex neutra parte occurrunt rationes probabiles. *Positivum* est, quando pro utraque parte vel saltem pro una adest grave motivum sufficiens ad formandam conscientiam probabilem, licet cum formidine de opposito ; ideo *dubium positivum* fere semper coincidit cum *opinione probabili* ». L. l. 1. n. 20. Dubium item aliud est *strictum*, aliud *latum*. *Strictum* dubium habetur, quando mens unam partem *determinate* suo assensu non amplectitur, sed utrique anceps adhaeret ; *latum* est, quando mens uni parti adhaeret, quin tamen omnino firmum praestet ei assensum. — In priore sensu intelligendum est quod habet S. Alph. apud Aertnys n. 70. in fine : « Ubi duae opiniones concurrunt aeque probabiles, neutra probabilis, sed tantum dubia remanet ». Potest sane mens *dubia* permanere, id est, assensum suspendere ; sed bene etiam potest determinate adhaerere uni prae alia, et etiam utrique, si motiva non sint contradictoria, sed disparata, assensu quidem non certo et firmo, sed probabili, non sine formidine oppositi. Dubium ergo strictum provenire potest ex eo quod pro utraque parte aequales vel fere aequales sint rationes ; vel etiam ex eo quod pro neutra sint rationes, vel nonnisi leves pro utraque adsint rationes. Ac ut quando pro utraque parte rationes adsunt, licet aequales, ab illis ratio moveri potest ad assensum, sic quando nullae vel leves adsunt rationes, dubium tunc spernendum est, nec consequenter probabilitatem oppositam vel certitudinem impedit. — Non agimus in praesenti de conscientia *positive* et *late dubia*, seu *probabili*, de qua iam diximus ; sed unice sermo erit nobis de conscientia *negative* et *stricte dubia*.

141. Dubium praeterea dividitur in *speculativum* et *practicum*. Dubium speculativum est dubium de licito vel illicito *secundum se* ; dubium practicum est dubium de licito vel illicito, prout est *ratio operis hic et nunc*. *Speculativum* est, quo quis dubitat de rei veritate vel de liceitate rei in genere, seu in universali, e. g., an baptismus cum aqua distillata sit validus, an pingere die festo sit opus servile. *Practicum* est, quo quis dubitat de liceitate seu honestate actionis in particulari, *hic et nunc exercendae*, e. g., an hac die fe-

stiva in istis circumstantiis liceat mihi pingere, an hunc puerum aqua distillata baptizare liceat. *Hic et nunc exercendae:* nam secus, licet actio consideretur pluribus circumscripta circumstantiis, adhuc circa eam dubium speculativum haberi potest, si non agatur de actione exercenda, et per conscientiam in praesenti dirigenda. Dubium practicum exoritur semper ex alio dubio speculativo vel *iuris* circa legem, vel *facti* circa particularem aliquam rem. — Hinc conscientia *speculative* dubia, et *practice* dubia. — L. l. 1. n. 21.; S. Th. 1. p. q. 79. a. 13.

142. *Vis directiva conscientiae dubiae* patet ex sequentibus propositionibus. — *Cum conscientia practice dubia, an actio licita vel illicita sit, illicitum est agere.* — Sola enim conscientia *certa*, regula morum est. Cf. n. 13. seqq. Hinc illud; *In dubiis tutior pars est eligenda. Tutior*, quae nempe stat pro observatione legis. *C. Inquisitioni* 44. *de Sent. exc.*; L. l. 1. n. 22.; S. Th. Quodl. 8. a. 13.; Suarez tr. 3. d. 12. s. 5.

An actio licita vel illicita sit. Et sic in dubio, utrum debeas occidere vulneratum in bello, ne vulnerum dolores protrahantur, peccat quis sive occidat sive non occidat. Itemque in dubio, an actio sub gravi vel sub levi tantum prohibeatur, si nihilominus quis cum hoc agat dubio, graviter peccat. E contra in dubio, an hodie sit dies abstinentiae strictioris iuris, non peccat quis, si abstineat a carnibus et lacticiniis, licet dies sit nullius abstinentiae.

143. *Cum conscientia speculative dubia licet operari, modo efformari possit conscientia practice certa.* — Nam ut constat ex dictis n. 13. seqq. conscientia certa, utcumque tandem efformata sit, si saltem morali certitudine innitatur, est sufficiens morum regula, immo sola regula morum. — *Licet operari*; ubi nempe agatur de solo licito vel illicito. Ubi enim agitur de rei veritate et de effectu necessario obtinendo, si illicitum est agere cum probabilitate, illicitum consequenter est agere cum dubio. Cf. n. 47. seqq.; L. l. 1. n. 25.; Suarez d. 12. s. 5.

144. *Media, quibus ex conscientia speculative dubia gradum quis faciat ad conscientiam practice certam, sunt:* 1° Perpendere morali quadam diligentia ipsum dubium. Si enim, ut ait S. Alph. l. 1. n. 24., « omnibus ponderatis, adverteret dubium esse inane, hic bene potest dubium suum deponere sine alia reflexione, et sic actionem exsequi ». — 2° Inquirere praxim bonorum virorum sine scrupulo operantium. — 3° Consilium docti et prudentis viri. — 4° Ratio quaedam probabilis, *a fortiori* rei demonstrativa, quae forte veritatem inquirendo inveniri possit. — 5° Generalis quaedam ratio, seu generale quoddam principium *reflexum*, ita dictum, quia nos inducit ac flectit ope ratiocinationis ad rite definiendam questionem, non de intrinseca et obiectiva veritate rei, quae *per se* et in suo *imme-*

diato principio resolvi non potest; sed de subiectiva liceitate nostrae actionis, quae bene apparere potest ex generali aliquo extrinseco principio. Sic iudex dubius est, an Titius sit reus, ex intrinsecis et directis rationibus iuris seu facti. Verum ex generali et reflexo principio, *In dubio favendum est reo*, Titium incunctanter absolvit. — L. ib.

145. *Generales quaedam adsunt revera rationes, seu generalia quaedam adsunt effata et principia,* quae praesto semper esse possunt, ut quis a dubio *negativo* ad moralem *certitudinem* immediate, vel saltem *ad probabilitatem* gradum faciat, ex qua deinde ope principiorum probabilismi conscientiam sibi certam efformare possit. Porro huiusmodi regulae et principia sunt sequentia. Suarez tr. 3. d. 12. s. 5. n. 7.; Lugo de Iust. et Iur. d. 23. n. 110.

146. *In dubio melior est conditio possidentis.* C. 6. *de Praescript.* — Axioma istud *in foro externo*, tum ecclesiastico, tum civili receptum est tanquam regula certa iudiciorum. *Praesumendum* quippe est eum, qui rem possidet, iure eam possidere, nisi contrarium pateat. Idem sane valet *in foro interno* conscientiae. Etenim *certa* et *legitima* possessio moralem parit certitudinem de dominio rei, L. l. 1. n. 35., l. 4. 210., l. 6. n. 905. 927.; et ratio est, quia attentis humanis moribus, nemo est, moraliter loquendo, negligens; immo e contra omnes diligentes et valde diligentes sunt, in rebus suis custodiendis. Insuper, ubi non proceditur ex falsa suppositione, idem est ius fori externi et interni; utrumque enim forum in principiis naturalis iustitiae et aequitatis fundatur. Unde communiter theologi praefatam regulam pro foro conscientiae admittunt. L. l. 1. n. 26.

Porro aliqui dicunt hoc axioma valere tantum in materia iustitiae. « Ego tamen, ait S. Alph. l. c., nescio, quomodo in omnibus negari possit ». Et haec sane est longe communior et verior sententia. Huius extensionis ad alias etiam materias ratio, eadem cum debita proportione est, ac in materia iustitiae. Nemo enim sine sufficienti ratione spoliari iuste potest bono, quod suum est. Homo autem naturaliter, adeoque *certe* et *legitime* omnino, suam possidet libertatem, quae profecto aliquod bonum et ius suum est. Hoc ergo bonum ad iustitiam etiam pertinet, et, qui hoc iniuste aut adimit aut labefactat, iustitiam laedit. Sine iniustitia homo liber servituti subiici non potest. — Nullum autem dubium esse potest, quod in dubiis legibus, libertas semper sit in *praevia* sui possessione. *Lex* enim cuinam imponitur nisi *libero?* Unde est quod licitum est non quidquid lex *permittat,* sed quod lex non *prohibeat,* L. 28. § 2. *Ex quib. caus. maior.,* adeoque prohibitio haec *manifeste* est probanda, C. 23. *de Verb. signif.* — Suarez tr. 3. d. 12. s. 5. n. 8.; Lugo de Iust. et Iur. d. 17. n. 87., d. 23. n. 110.

147. *In dubio;* h. e. *in dubio negativo,* et ratio axiomatis tunc patet, quia pro *possessore* stat *possessio,* adeoque moralis certitudo, pro *petitore* nulla prudens ratio habetur. Haec regula, prout a DD. tradi et admitti in scholis consuevit, nunquam de statu *opinionis,* sed solum de statu *dubii* presse sumpti intellecta et recepta fuit. Si enim de *opinione* agitur, regulae tunc servandae sunt, quae communiter dantur circa conscientiam probabilem. Cf. Lugo de Iust. et Iur. d. 23. n. 110.

In dubio vero *positivo,* seu probabilitate, si probabilitas adest ex utraque parte, ita ut hinc stet *possessio* et *probabilitas iuris,* inde tantum aequalis vel fere aequalis contraria *probabilitas iuris,* melior iterum est conditio possidentis, ut per se patet. Si vero ex una quidem parte stet *possessio,* ex altera vero contraria *probabilitas iuris,* vel ex una parte *possessio* et simul *probabilitas iuris,* ex altera longe maior contraria *probabilitas iuris,* tunc *certo melior* non est conditio possidentis, sed *dubia.* Enimvero prima sententia tenet, iudicem teneri rem adiudicare actori, quia ius possessionis praevalet in pari causa, non autem in causa minus probabili. Regula enim 65.ª Iuris in 6.° sic se habet: « *In pari delicto, vel causa,* potior est conditio possidentis »; et L. 128. ff. *de div. Reg. Iuris* dicitur. « *In pari causa* possessor potior haberi debet ». Secunda vero sententia tenet, meliorem adhuc esse conditionem possidentis, nec iudicem posse hunc possessione expoliare. Ratio est, quia « certum est, quod *legitima possessio* cuique tribuit *ius certum* rem retinendi, donec non constet de iure alterius, ut dicunt communissime... *ius certum,* quod nequit superari, nisi a iure certo alterius per rationes convincentes ». Possessio enim definitur: ius insistendi in re non prohibita possideri § 4. *Retinendae de Interdictis* Inst.; L. l. 1. n. 36.; Ithur. Cas. 1. n. 2. Cf. L. l. 3. n. 547. 562. 711., etc.

Possessio ergo, de qua in praesenti effato, est possessio *certa* et *legitima.* Dicitur *certa,* h. e. quod certum sit possessionis factum; *legitima,* h. e. *bona fide* incepta et continuata; itemque *titulo iusto,* saltem apparenti, vel saltem existimato, vel praesumpto, incepta et continuata, qualis est, e. g., donatio, emptio, haereditas et similia, per quae dominium alicuius rei solet acquiri. Si ergo possessio est dubia, vel incepta dubia fide, vel dubio titulo, specialem ipsa per se non exhibet possessori praerogativam et praesumptionem, contra quam nulla valeat contraria probabilitas. L. n. 36. 47., l. 4. n. 219.

148. *Probabilitas iuris,* quae ex alterutra parte tantum, vel ex utraque esse potest, est *probabilitas tituli iusti realis,* seu *reapse existentis,* ex quo verum et reale oritur *rei dominium et proprietas.* Ad legitimam enim possessionem, de qua in axiomate, sufficit *titulus*

iustus saltem *apparens,* quia. e. g., interfuit donatio vel emptio ab illo, qui putabatur dominus, licet non esset; vel saltem *exsistimatus,* quia putatur intercessisse actionem per titulum significatam, licet non intercesserit; ut contingit quando quis putat rem sibi donatam aut a se emptam, et tamen hoc non fuit factum; vel saltem *praesumptus,* quia, e. g., ob temporis diuturnitatem in quieta possessione, aliasve circumstantias, prudenter existimatur titulum aliquem interfuisse, quamvis possessor nullum determinate allegare possit. Ista ergo probabilitas *iuris,* ut patet, est omnino extra *possessionem* ipsam, quae non nisi ius tribuit insistendi in re, seu eam detinendi, licet forte ipsius dominium et proprietas ad te non pertineat, cum *realiter* non adfuerit titulus iustus.

149. Iam vero *probabilitas tituli iusti realis,* seu reapse existentis, dupliciter esse potest: 1.° Probabilitas *iustitiae tituli* ad incipiendam vel continuandam possessionem et proprietatem rei, testamentum, e. g., formalitatibus legalibus destitutum. 2.° Probabilitas *realitatis seu exsistentiae tituli iusti* ad eumdem effectum, e. g., donationis, cum probabile etiam sit quod res fuerit furto ablata. Prior illa probabilitas dicitur *iuris,* posterior ista dicitur *facti.* Ubi de hac agatur, « quando factum non plane probatur, non est probabile, quod reus possit condemnari, cum leges nunquam reum permittant condemnari, nisi delictum vel debitum *plene probetur;* non probatur autem plene et sufficienter ad sententiam, quando, licet duo vel tres testes testificentur, alii tamen testes contrarium testantur; per hos enim eliditur, vel minuitur illorum testificatio, atque ideo non manet probatio sufficiens requisita ad probationem plenam et condemnationem ». Lugo de Iust. et Iure d. 16. n. 100. Cf. etiam d. 23. n. 100., d. 16. n. 34. 96. 99.

150. Ex praefato ergo axiomate plures resolvi possunt casus practici *dubii negativi,* in quo omnis desit vera probabilitas, utrum nempe advenerit, an praeterierit tempus obligationis legis. « In dubio inceptionis, v. g., an impleveris annos 21., non teneris ad ieiunium, quia tunc possessio est pro libertate. Secus in dubio praeteritionis, v. g., an in sabbato transacta sit hora mediae noctis, nequis edere carnes, tunc enim possidet lex. Sic etiam, si dubites, an habeas annos 16 ad professionem, vel annos 25 ad sacerdotium, nequis profiteri aut ordinari. Ita communiter ». L. l. 1. n. 99. 32.

151. *In dubio standum esse pro eo, pro quo stat praesumptio.* — Nam praesumptio, desumpta ex ordinarie contingentibus, vel ex aliis personae et rei circumstantiis, moralem certitudinem, vel saltem probabilitatem efficit. « In obscuris inspici solere, quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet ». L. 114. de R. I.; R. I. 14. in 6°. Anticipata quaedam probatio rei est ex indiciis, ante dire-

ctas probationes. Quare praesumptio rem, prout veram exhibet, et stat pro ea parte, quae non tenetur per se ipsam factum contrarium probare, sed onus illud probandi transfert in partem alteram. Quoties enim aliquid praeexistere scitur, quod natura sua perseverat, donec facto aliquo contrario tollatur, illud perseverare existimatur, quamdiu de contrario illo facto non constat, quod consequenter ab adversaria parte erit probandum.

152. Hinc, si soleas tali tempore diligenter recitare breviarium, et dubites, an aliquam partem recitaveris, praesumptio tibi favet, et te ab obligatione recitandi seu repetendi eximit. Si amens, sed qui habeat lucida intervalla, voverit, et postea dubitet, an compos sui voverit, non obligatur, quamdiu non apparet compotem sui fuisse. L. l. 1. n. 26. Attamen in foro poenitentiae, in quo, ut ait S. Thomas 4. D. 17. a. 3. q. 3., standum est dicto poenitentis pro se, et contra se, praesumptio cedit affirmatae a poenitente veritati. — Lugo de Poenit. d. 20. n. 17. 19.; L. l. 3. n. 270., l. 6. n. 600. par. *Limitant.*

In casu item dubii, non praesumitur coniugum baptismus, relate ad matrimonium, si pars vel partes acatholicae parentes habuerint pertinentes ad sectam, quae respuit baptismum: praesumitur e contra, si parentes habuerint pertinentes, ad sectam quae baptismum admittit, in eaque secta fuerint zelosi. S. O. 1. Aug. 1883., Collect. S. C. de P. F. n. 662. ed. 1ª.

Ubi agatur de obedientia superiori praestanda in dubio praesumptio stat, *per se loquendo, semper* pro superiore. L. l. 1. n. 93. 98. 99. *Per se loquendo semper*, nam *per accidens* potest aliquando fieri, quod praesumptio non adsit pro superiore, puta in dubio de liceitate rei, accedente etiam superioris praecepto, e. g., quando superior « solet temere et imprudenter praecipere pro libito quae non licent... quando etiam accedente praecepto praelati, res manet in dubio (quoad eius intrinsecam liceitatem); nec auctoritas, doctrina, probitas, vel prudentia praelati sufficit, ad deponendum dubium, qui casus possibilis est ». Lugo Resp. Mor. l. 3. d. 19. n. 11.; L. l. 3. n. 617.

153. *In dubio factum non praesumitur, sed demonstrari debet.* L. 10. C. *de Non numer. pec.* — Nam non est danda ratio non entis, sed entis; quia non ens non habet sui causam, sed ens. Hoc autem intellige de facto *principali,* si dubium sit; quia, si certo constet factum *principale,* et dubium sit de facto *accessorio,* tunc alia valent principia; *In dubio omne factum praesumitur recte factum; In dubio praesumitur factum, quod de iure faciendum erat; In dubio standum pro valore actus;* secluso semper proprio vel alterius vel communitatis iniusto damno. Nam omne ens naturaliter tendit ad sui per-

fectionem et bonum. Si ergo nihil constat obstare, natura pergit cursum suum prosequi. Si quid consequenter erat faciendum illud praesumitur factum. Constat *de facto* peractae Confessionis, dubitas *de iure,* utrum recte cum dolore, cum proposito confessus fueris; acquiescere potes. Tria haec posteriora principia valent et pro libertate et contra libertatem. *Pro libertate,* si non obstet contraria et certa praesumptio vel bonum commune; nam non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet. *Contra libertatem*, si nempe contraria et certa praesumptio vel bonum publicum obstet; bonum enim commune praevalet privato. — L. l. 1. n. 26. 27. 137. 182. 251., l. 3. n. 201., l. 6. n. 505.; L. *Quoties* 12. *de Reb. dub. ff.*

154. In dubio ergo, an aliquid cibi vel potus sumpseris; itemque in dubio, an cibum vel potum sumpseris post mediam noctem, potes Eucharistiam accipere. Nisi enim in utroque casu factum probetur, possidet libertas. L. l. 1. n. 38. 39.; Elbel 166. 167.; Amort. Theol. t. 2. d. 5. 9. 4., qui haec in fine animadvertit: « Dico tamen, eum peccaturum saltem venialiter, qui, solius compotationis voluptuariae, sic mercaretur circa leges Ecclesiae, se exponendo periculo transgressionis saltem materialis, et, si ita faciat ex consuetudine aut proposito semper hoc modo operandi, nulla concurrente alia rationabili causa, v. g., sitis, infirmitatis, peccabit mortaliter, quia tale propositum arguit contemptum interpretativum et defectum caritatis erga Deum et Ecclesiam, cuius decorem conspurcat ». — Busemb. ap. La Croix. l. 1. n. 470. VI.

Enimvero, quamvis liceat uti opinione probabili contra legem, non licet tamen in fraudem legis agere voluntarie procurando statum dubii contra legem, ne legem quis observare deinde teneatur.

Baptismus dubius in ordine ad matrimonium initum vel ineundum ut validus habetur; adeoque matrimonium pronuntiatur validum vel invalidum pro variis circumstantiis. Invalidum est habendum matrimonium dubie baptizati cum non baptizata. Validum e contra habendum est matrimonium duorum dubie baptizatorum, et dubie baptizati cum baptizata. S. O. 17. Nov. 1830., 9. Sept. 1868., 18. Sept. 1872., 7. Iul. 1880., 18. Sept. 1890., 12. Apr. 1899., Collect. S. C. de P. F. n. 1872., ed 1ª.

Matrimonium vero dubium, propter commune bonum, ut validum communiter habetur. Sed propter religionis praestantissimum bonum, ut invalidum declaratur dubium infidelium polygamorum, qui ad fidem convertuntur, matrimonium. Collect. S. C. de P. F. n. 1301. 1304. 1332. 2184. ed. 1ª.

155. *In dubio nemo malus praesumitur, nisi probetur.* — Axioma hoc corollarium est praecedentis. Cum enim facta et consequenter delicta non praesumantur, sed demonstrari debeant, neque quispiam

malus praesumi debet, sed probandus est. Nemo quidem gratis malus est.

156. *Odia restringi et favores convenit ampliari.* R. I. 15.ª in 6.° — Nam nemo odiosus, omnes vero grati esse desiderant. Quare favores sunt odiis praeferendi. *Favor* intelligitur quidquid libertati indulget, vel gratiam concedit. R. 122.ª de R. I. *Odium* quidquid libertatem restringit, poenam statuit, ius aliquod laedit. Cum autem aliquando fiat, ut quod uni sit *favor*, alteri *odium*, videndus est casus particularis, ut determinetur, an favor odio, vel odium favori sit praeferendum. Hinc exurgit generale principium: *In obscuris minimum est sequendum*, R. I. 30.ª in 6.°, L. 9. *de Reg. Iur.*, adeoque interpretatio legis facienda est minus onerosa et libertati benignior. Unde aliud est generale principium: *Semper in dubiis benigniora praeferenda sunt.* L. 56. de R. I. Itemque aliud: *Nisi de mandato certus extiteris, exequi non cogeris quod mandatur.* C. *Cum iure* 31. *de Off. et pot. iud. del.* L. l. 1. n. 97.

157. Falsum est igitur, quod ubi sermo sit *generatim* de dubio speculativo, de liceitate vel illiceitate actionis, *in dubiis pars tutior est eligenda.* Et sane in hac Regula Iuris Can. non agitur de dubio speculativo, in quo ope principii reflexi potest quis sibi certam conscientiam efformare, et sic eligere partem omnino tutam; sed agitur vel de dubio practico, de conscientia nempe practice dubia, cum qua non licet agere, vel etiam agitur de casibus illis, in quibus finis est necessario obtinendus. Agitur vero cum primis *de foro externo*, in quo saepe specialis adest ratio tutius sequendi ad scandala, abusus et offensiones fidelium removenda; vel de honestate et meriti maioritate, non de salutis necessitate. L. l. 1. n. 68. 79., H. A. tr. 1. n. 39.; Struggl tr. 1. q. 5. n. 17.

158. *Qua peccati specie reus sit, qui agit cum conscientia practice dubia?* — Reus iste erit peccati eiusdem rationis ac speciei cuius est peccatum, de quo dubitat. Ratio est, quia dubitans de illa malitia, et nihilominus agens, affectum habet ad illam malitiam. Unde, si dubites, an sit mortale, peccas mortaliter; si dubites generatim, an sit peccatum non attendens, ne in confuso quidem, ad malitiam gravem, quae inesse possit, venialiter peccas. L. l. 1. 22. 23.; Elbel 140.

159. Qui *ex erronea conscientia* peccavit non tenetur in confessione explicare illam circumstantiam *conscientiae erronae*, quia non mutat speciem; siquidem omne peccatum contra conscientiam est, et non pendet ab obiectiva rei veritate, nisi quatenus illa per conscientiam diiudicatur, et voluntati proponitur. Excipe casum *censurae et reservationis:* siquidem tunc *erronea conscientia* explicanda est, ut constet de exemptione a censura et a reservatione. Excipe etiam

casum, quo secus peccatum non intelligeretur, e. g. si quis die feriali missam omittendo credat se graviter peccare.

160. *Quid quis agere debeat, si inter duo praecepta constitutus, dubius haereat, quodnam eligere debeat, puta, si urgeat praeceptum missam audiendi, et graviter aegrotanti assistere debeat?* — Conscientia haec dici solet *perplexa*. Debet quis, tali occurrente casu, sufficienter, quantum in ipso est, veritatem inquirere ut dubium deponat. — Veritate sufficienter inquisita, et dubio remanente, potest is et debet illud eligere, quod minus malum ipsi videtur; ac, si utrumque aeque grave videatur, quodlibet eligere potest. Quod verum est, etiamsi quis culpabiliter in istam perplexitatem se coniecisset, modo de culpa praeterita doleat. Ratio est, quia ad impossibilia non datur obligatio, adeoque tunc cessat obligatio minor; vel, si sint aut videantur aequales, aut ob ignorantiam discernere quis nesciat, quaenam minor sit, utralibet cessat; ac, etiamsi quis putet ita agendo se peccare, reapse non peccat ex defectu libertatis. — Suarez d. 12. s. 5.; Lessius in q. 19. d. 19. a. 6. d. 9.; L. l. 1. n. 10.; Elbel 141.

Si agens eligat id, quod sibi maius malum videtur, peccat iuxta excessum mali apprehensi, cum libere hunc excessum is eligat.

161. *Si dubites utrum alicui obligationi iam satisfeceris, tenerisne adhuc satisfacere?* — R. Affirmative, si dubium sit *mere negativum*. Nam tali dubio nulla adest prudens ratio satisfactionis, adeoque impossibile est principio aliquo reflexo sibi efformare conscientiam de non satisfactione, quum lex certa omnino perseveret. In tali dubio omnino valet axioma: melior est conditio possidentis. Cf. Ithur. Cas. 44. n. 15.

Si dubium vero sit *positivum*, controvertitur. Prima sententia, quam omnino tenet et tenendam putat S. Alph. l. 1. n. 26.-29., l. 3. n. 700. par. ult., l. 6. n. 477., quaest. reform., recentes retract. q. 1. et 18. etc., aliique tenent plures, affirmat. Ratio est 1.° quia non satisfit obligationi certae per impletionem dubiam: 2.° quia cum in dubio melior sit conditio possidentis, et lex certo exsistens possideat contra libertatem, huic praevalet, eamque sibi semper obligatam habebit, donec certo lex non sit adimpleta. Cf. praeterea L. l. 1. n. 20. 33. 99., l. 3. n. 112. 290. Secunda sententia, quae tum extrinsece tum intrinsece valde probabilis est, negat adesse talem obligationem. Ratio est ipsamet fundamentalis ratio probabilismi, quam eruditissime et doctissime exponit ll. supra cc. S. D., nempe *lex dubia non obligat*. Etenim lex non obligat in *abstracto et universali*, sed in casu *concreto et particulari*, L. l. 1. n. 78. Atqui licet certa sit exsistentia legis *secundum se;* eadem tamen, qua obligans *in tali casu concreto et particulari* incerta est, et *prudenter* omnino incerta pronuntiatur,

si vere probabiliter eidem iam satisfactum fuerit. Ergo aut dicendum est obligationem iterum satisfaciendi legi in casu praedicto esse nullam; aut dicendum praedictum principium, *lex dubia non obligat,* non esse universaliter verum, sed exceptionem pati; quod non convenienter diceretur. Nam quod verum est, semper verum est; et pro omni particulari quod in universali continetur.

Ex hac autem ratione apparet, quod obligatio reapse non est certa, quod assumitur in prima ratione oppositae sententiae, si probabile est legi iam esse satisfactum. Contra certitudinem enim dari non potest probabilitas. Quoad secundam rationem, ut ex iam dictis constat, possessio praevalet *in dubio mere negativo;* ut autem certo praevaleat etiam *in dubio positivo,* oportet ut sit *certa et certo legitima possessio.* Porro quando in casu particulari vere probabiliter constat legem fuisse adimpletam, possessio legis pro isto casu concreto et particulari fit prudenter *dubia;* si enim reapse satisfecisti, possidet reipsa libertas. *Legitima* praeterea *certo* non est, cum probabiliter desit titulus iustus obligationis; probabiliter enim credere potes te iam satisfecisse, adeoque titulus iustus, saltem praesumptus, probabiliter non est. Hanc praeterea sententiam plures iique gravissimi theologi tenent. Ipse S. Alph. l. 1. n. 76. edit. an. 1757., hanc sententiam *communem* dixit, et ex ipsis probabilismi principiis ipsemet deduxit; et, l. 4. n. 150. dicit *communissimam.* Unde D'Annibale eam *tutam ducit,* Summ. ed. 4. p. 1. n. 169.

162. Cum haec quaestio ab aequiprobabilistis, uti quaedam capitalis quaestio habeatur, abs re non erit nonnihil immorari in doctrina S. Alphonsi circa eam. — Proposita quaestione: « Si quis probabiliter iudicat iam *voto* satisfecisse, an teneatur, hoc non obstante, *votum* implere » respondet S. Alphonsus., l. 1. n. 29. pag. 14. ed. P. Gaudé: « Negant *plures AA.,* nempe Roncaglia, Salmant. cum Leandro, Lugo et alii; quia, ut aiunt, cum obligatio legis eo casu sit dubia, etiam legis possessio. — Olim probabilem hanc opinionem putavi, ductus magis a probabilitate extrinseca, quam intrinseca; sed re melius perpensa, nunc minime illam probabilem censeo. Hinc oppositam dico tenendam cum Concina, Filliuccio, Leandro et aliis. Ratio, quia ... cum votum est certum, libertas ligata remanet ab obligatione voti, donec votum certe non sit impletum ». Sane Elencho 2. Quaest. Reformatar. qu. 1 S. Doctor haec scribit: « Si quis probabiliter iudicet implevisse *votum, horas canonicas,* sive *poenitentiam,* an teneatur ei satisfacere, si adhuc probabile sit vel dubium non implevisse? Negant plures Auctores,.... Sed oppositum est tenendum, quia possidet obligatio iam contracta, donec certe non fuerit impleta ».

163. Sed videtur revera S. Doctor vel revocasse suam retra-

ctationem, vel certe dubius deinde fuisse. Nam quoad *ipsam quaestionem generalem* propositam in nostro Quaesito, ecce quid habet in eadem editione Theologiae Moralis l. 1. n. 99., quae habenda est ut omnino definitiva ex P. Gaudé: « Quid in dubio, an legem impleveris? In dubio negativo teneris implere; secus, in positivo. Cardenas et Illsung cum Croix ». R. P. Gaudé, ut S. Doctorem liberet a quadam contradictione, vel a nova retractatione, vel certe ab omni eius dubio super ista quaestione hanc subiicit notam 99 d): « Quod S. Alphonsus hic breviter scribit: te scilicet non amplius teneri ad legem implendam in dubio positivo, an illam impleveris, *id explicatione indiget.* Dictum S. Doctoris valet pro casu, *quo probabilitas unica adest*, quod nempe legem impleveris; vel casu *quo notabiliter probabilius est*, ideoque quadam certitudine morali tibi constat, legem adimpletam esse. Casu autem, quo utrinque adest probabilitas, minime solutus es a legis obligatione, iuxta doctrinam S. Alphonsi reformatam, uti liquet ex l. 1. n. 29. et Elencho 2. quaest. reformatar. q. 1. ».

164. Sed haec R. P. Gaudé nota fundamentum omnino non habet nisi in praeiudicata opinione de aequiprobabilismo. Neque in textu Theologiae Moralis neque in quaestione 1. reformata invenitur ullum vestigium *unicae vel duplicis probabilioris* opinionis. Quare dictum S. Doctoris bene per se clarum est, et *nulla indiget explicatione.*

Idque confirmatur ex ipsa citatione La-Croix l. 1. n. 599. 600. quem laudat S. Alphonsus. Etenim S. Doctor paucis verbis resumit ipsissimam doctrinam La-Croix, a quo sumpsit etiam citationes Cardenas et Illsung. Et La-Croix certo certius aequiprobabilista non est.

165. Insuper, si a *generali quaestione* gradum faciamus ad quaestiones particulares, videbimus profecto S. Alphonsum et constanter tenere tutum esse in conscientia sequi, quoad obligationem, opinionem probabilem; et possessionem praevalere *in dubio non in probabilitate.* Et sic l. 3. n. 290. pag. 560. ed. P. Gaudé: « *In dubio* de consuetudine possidet praeceptum; unde petenda est dispensatio. Secus, *si probabile* sit adesse consuetudinem ».

Itemque l. 3. n. 112. q. 3. § *secunda vero sententia* pag. 432. ed. P. Gaudé: « Hic non versamur *in dubio*, sed *in opinione probabili.... In dubio* enim praesumptio stat pro lege... Quando autem *probabile est*, quod obligatio legis nunquam inceperit, vel quod lex abolita sit, tunc cessat praesumptio pro lege, et possidet libertas ».

166. Ac magis ad propositum casum faciunt ea quae S. Doctor habet l. 4. n. 150. ed. P. Gaudé pag. 574. Quaestionem tractat S. Doctor: « Utrum, si quis dubitat, an aliquid omiserit de Officio, te-

neatur id recitare? » Et respondet: «... Si *dubium* est *mere negativum*, utique tenetur; quia *in dubio* possessio stat pro praecepto... Si vero *dubium est positivum* ita ut *probabiliter* iudices dixisse non teneris repetere; prout docent communissime..... Item dicit Croix.. male facere, *qui habens coniecturam* quod aliquam partem dixerit, eam repetit; quia viam scrupulis aperit ». Et si hoc valet de Officio, ad quod quis ex lege Ecclesiae tenetur; nonne idem valet de Rosario, ad quod quis tenetur ex suo privato voto?

167. Atque hic etiam P. Gaudé notam subiicit inquiens, S. Doctorem praedictam opinionem ex mera oblivione reliquisse in ultima editione ex praecedentibus editionibus. Sed iterata oblivio est, immo pluries repetita oblivio est. Nonne potius dicendum implicitam fuisse retractationem retractationis? Ac quis unquam poterit prudenter affirmare oblivionem in praecedenti quaestione e. g. de Breviario, cum eam S. Alphonsus non obiter et breviter, sed ex professo et sat prolixe pertractet? Neque vero rarus est praedictus dubii casus, sed valde practicus et frequens.

168. Dicendum ad summum esset S. Doctorem post retractationem dubium et indecisum fuisse. Enimvero circa aliam similem quaestionem: « An teneatur quis confiteri aliquod peccatum mortale certe commissum, *in dubio*, an illud fuerit vel ne confessus? » respondet, l. 6. n. 478. ultimae editionis Theologiae Moralis: « *Si dubium est negativum.* equidem tenetur illud confiteri, ut communiter docent..... Contra vero, *si dubium est positivum*, ita ut ille *probabiliter credat* peccatum illud iam confessum, adest sententia non teneri ad illud confitendum, et hanc tuentur Suarez, Navar., Sylvest., Bonacin., Lugo, Salmantic., Croix etc. Verum sicut probabilis minime visa fuit opinio alibi relata eorum Auctorum, qui dicebant non esse obligationem implendi vota, quae probabiliter impleta sunt; ita nec valeo hanc approbare sententiam quoad peccatum probabiliter confessum; cum obligatio confessionis sit certa, et satisfactio dubia ».

Animadvertendum autem est primo quomodo S. Alphonsus, licet generalem afferat rationem; nihilominus se refert non ad quaestionem generalem, sed ad quaestionem particularem de voto, circa quam, *sententiam* reformavit suam; sed revera etiam sententiam reformavit circa quaestionem *horarum canonicarum* et poenitentiae. Deinde, quamvis S. Doctor suam reformaverit sententiam, verum tamen semper manet alteri ipsum adhaesisse sententiae, l. 6. n. 477. editionis romanae an. 1757, et Benedicto XIV. dicatae; et ibi poenitentem ipse liberat ab iteranda confessione, « ut etiam *communiter dicunt* Suarez, Sanchez, Navarrus, Bonacina, Filliuccius, Roncaglia, Viva, Tamburini, Croix, Lugo, Escobar, Granadus, et Fagundez,

Salmanticenses cum Sylvestro, Henriquez etc. ». Habemus igitur S. Alphonsum cum Concina contra S. Alphonsum cum Suarez, Lugo aliisque pluribus clarissimis theologis. Nonne notabiliter praevalet posteriori S. Alphonso prior S. Alphonsus ? sententiam docens, quam Lugo, de Poenit. D. 16. n. 58., inquit *communiter docere omnes?* Et quod adhuc plus est verum manet haec haberi apud S. Alph. l. 6. n. 505. eiusdem ult. ed.: « Sedulo advertendum non esse cogendos poenitentes ad repetendas Confessiones, **nisi moraliter certo constet** eas fuisse invalidas, ut recte dicunt Croix, Gobat, Holzm., Mazzotta, et Elbel cum Fill. *et communi* ».

169. Exposita doctrina nullam contra se habet difficultatem ex casu debitoris, si probabiliter tantum suum solvit debitum. Nam, *si ea doctrina huic casui applicari non possit et affirmetur obligatio restitutionis;* hoc erit tantum, quia non est revera *casus probabilismi* qui versatur tantum circa *honestatem humanae actionis,* et non circa *veritatem rerum*, et ob specialem iustitiae rationem, quae non valet pro aliis praeceptis.

Audiatur S. Alphonsus: « Quando debitum est certum, et probabilitas versatur *circa factum solutionis*, certe ex probabili solutione debitor non liberatur; quia solutio probabilis aequare non potest debitum certum ». L. l. 3. n. 700, ed. P. Gaudé p. 167. Enimvero, ut habet idem S. D. l. c. in nota, « non possumus uti opinione probabili cum damno proximi, quando probabilitas est tantum facti... Quotiescumque est opinio tantum probabilis *hanc actionem non esse prohibitam*, potest aliquis formare conscientiam certam tali opinione... Quando opiniones versantur *circa res ipsas*, saepe tenetur homo praeferre certam probabili, quando scilicet ex iustitia, vel ex caritate vitare damnum tenetur, *quod in re ipsa subest*... Nam primum dicit ordinem ad operantem, et omnino tollit periculum malitiae; secundum vero dicit ordinem ad rem ipsam, et non tollit periculum detrimenti, quod est in ipsa ».

Haec autem de proposito casu habet Card. de Lugo de Poenit. d. 11. n. 59. 60.: « In primis, si illa centum debeantur ex promissione liberali videtur satisfieri solutione probabili; sicut qui ex voto debet ieiunium, si ieiunet observando ieiunium iuxta probabilem opinionem... Si autem debeantur ex contractu oneroso, ut ex emptione, permutatione, etc. *tunc fortasse non satisfacit;* quia non servatur aequalitas, dando pro re certa aliam incertam, quae eo ipso minus valet; et quia intentio contrahentium ea videtur esse, ut detur sibi pecunia certa pro mercibus certis; *quae rationes..... non procedunt in aliis omnibus praeceptis,* in quibus obbligatio est certa, v. g. ieiunandi, recitandi officium etc., et tamen satisfacit homo, si iuxta probabilem sententiam ieiunet, audiat sacrum, vel

recitet officium, etc. ». Ac P. Palmieri in Comp. P. Gury n. 80. addit: Ita Lugo, qui scite etiam *de contractu oneroso* dubitanter dicit: *fortasse non satisfacit*: nam, si res sit de contractibus, quos *bonae fidei* appellant, in quibus nempe iudici fit facultas multa ex aequo et bono inter litigantes arbitrandi, iam et ipsa *aequalitas*, quae in contractu oneroso servanda est, *prudenti* id est *probabili* iudicio determinari solet ».

170. Illud ergo axioma, *lex dubia non obligat*, intelligendum est de lege dubia *dubio positivo*, seu *vere probabiliter dubia*. Porro lex multipliciter dubia positive esse potest, circa *suam existentiam*, et circa *suam cessationem;* circa existentiam, an lata, an promulgata, an tempus obligationis advenerit, an ad talem casum extendatur; circa cessationem, an abrogata, an eius excusatio vel dispensatio adsit, an iam impleta fuerit; et in omnibus hisce casibus dicimus locum habere praefatum axioma; nisi velimus admittere veritatem propositionis generalis, et negare simul veritatem propositionis in generali contentae. Age vero lex dubia esse potest:

1.° Quoad *ipsam exsistentiam et promulgationem*, de qua S. Alph.: « Lex ut obliget, non tantum promulganda est, sed etiam promulganda *ut certa*. Et hoc punctum firmiter est hic statuendum », l. 1. n. 63. seqq. et 97. Ac, ut alios praetermittamus, haec eximius Doctor apud S. Alph. l. 1, n. 66.; « Quamdiu est iudicium probabile, quod nulla lex sit prohibens actionem, talis lex non est sufficienter proposita homini; unde, cum obligatio legis sit ex se onerosa, non urget, donec certius de illa constet ». C. 31. *de Off. iud. deleg.*

2.° Quoad eius *intelligentiam et obviam interpretationem*, ac sive *obscura* sit, sive *ambigua* sit. Cum enim lex sufficienter proponi debeat ut obliget; non censetur legislator velle obligare ultra id quod clare et determinate in lege exprimitur. R. 1. 30.ª 57.ª in 6.°; L. 9. C. *de Leg. et Const.;* Suarez in 1. 2. tr. 3. d. 12. s. 5. n. 7.

Obscura: e. g. an praelati regulares, cum et ipsi suas habeant oves missam pro ipsis, diebus festis, applicare debeant. Quae quaestio, bis apud S. Sedem proposita, nondum est soluta. Giraldi Expos. I. P. p. 2. s. 85. t. 3. — *Ambigua:* cautum est, horas canonicas beneficiatum non recitantem *post sex menses ab obtento beneficio fructus suos non facere;* fructus tamen intelligendi sunt, non anterioris et posterioris temporis, sed posterioris tantum.

3.° An interpretationem *extensivam*, vel *restrictivam* habeat, de quo S. Alph. l. 3. n. 1036.: « Cum dubitatur, an lex comprehendat aliquem casum vel subiectum, perinde est ac si dubitetur, *an exsistat lex pro illo casu vel subiecto, et ideo possidet libertas* ». Cf. etiam l. 1. n. 27. 97.; Lugo de Poenit. d. 16. n. 59., de Iust. et Iur. d. 23. n. 110.

4.° An cessaverit, sive statim ac lata fuerit, quia nunquam fuit recepta, sive temporis progressu per desuetudinem; de quo S. D. l. 3. n. 112.: « Nec obstat sententia prima, quam secuti sumus l. 1. n. 97., scilicet quod in dubio, *an lex recepta sit*, lex bene obliget; nam hic non versamur *in dubio*, sed *in opinione probabili*... *In dubio* enim *praesumptio* stat pro lege, cum delictum, in non recipiendo legem iustam, non praesumatur, Quando autem *probabile* est, quod obligatio legis nunquam inceperit, vel abolita sit, tunc cessat praesumptio pro lege et *possidet* libertas ». Idem S. D. habet l. 1. n. 107. par. *An vero,* l. 4. n. 47. Et idem consequenter dicendum, cum probabile est, finem legis *adequate* cessasse, L. l. 1. n. 199, vel consuetudine legem abrogatam esse, L. l. 3. n. 290., vel in particulari casu opus non esse dispensatione, L. l. 1. n. 192., l. 1. n. 304. — Sane statim ac dubia est legis obligatio, dubia consequenter evadit eius possessio; adeoque nullam habet vim in casu argumentum desumptum ex Regula possessionis.

5.° *An lex iusta* sit vel *iniusta;* et hic triplex casus contingere potest. Primus est, quod dubitetur de iustitia legis, quia dubitatur de ipso legislatore, an sit superior legitimus. Porro in hoc casu, si dubium de legitimitate superioris sit *positivum*, de quo agimus; *vere* nempe *probabile* sit, quod non sit legitimus superior, eo ipso vere probabilis evadit non exsistentia legis, adeoque non obligat. Cf. L. l. 1. n. 98. 121. — Si dubium vero sit *mere negativum*, legi obediendum est, « semper ac superior est in pacifica possessione suae potestatis; tunc enim melior est eius conditio iam possidentis ius praecipiendi ». L. l. 1. n. 98., l. 4. n. 47.

Alter casus est, quod dubitetur de iustitia legis, quia dubitatur, an superior excedat suam potestatem. *In dubio positivo,* seu vera probabilitate de excessu potestatis, idem dicendum ac in casu praecedenti. Eo ipso enim, quod vere et manifeste probabile sit, quod superior suam excedat potestatem, vere probabilis evadit non exsistentia legis, adeoque non obligat. Cf. L. l. 3. n. 617. — Si dubium vero sit *mere negativum,* praesumptio, per se loquendo, semper stat pro superiore.

Tertius casus est, quia dubitatur de liceitate ipsius rei praeceptae. *In dubio positivo* seu vera probabilitate, lex non est dubia, adeoque obligat. Superior enim praecipit tunc rem probabiliter licitam, immo certo licitam; praecipit enim, ut subditus amplectatur aliquam opinionem probabilem in praxi, quod certe licitum est. Ergo licite et iure praecipit. Ergo subditus obedire tenetur. Lugo Resp. Mor. l. 3. d. 19.; L. l. 1. n. 93. 99. 124., l. 4. n. 47.

« Limitant vero communiter dd. praefatam sententiam, et dicunt subditum non teneri obedire, 1.° si res sit valde difficilis et molesta...

Limitant 2.° quando subditus obediendo exponeret se vel alterum periculo gravis incommodi subeundi in vita, fama, honore aut bonis ». L. l. 4. n. 47., l. 3. n. 617., l. 1. n. 31. « Ratio, quia subiectio et obedientia debita superiori non tollit ius et possessionem tuam vel illius circa bonum honoris, famae, corporis, aut fortunae. Ergo non teneris te hac certa possessione privare in re tam magni momenti; sed potius aequitati consonum videtur, ut habeatur maior ratio tuae possessionis certae, et haec praeferatur iuri, vel *possessioni* aliquo modo *dubiae* superioris ». Elbel 173; Laymann c. 5. n. 12.; Suarez tr. 3. d. 12. s. 5. Insuper, quia tunc in casu rei valde difficilis vel nocivae merito dubitari potest, an superior excedat limites suae potestatis, adeoque legis existentia dubia evadit; vel etiam locus tunc dari potest legitimae epikeiae, secundum varias particularis casus circumstantias.

Si dubium vero sit *mere negativum,* praesumptio, ut iam dictum est, semper stat pro superiore. Cf. Suarez de Relig. t. 4. c. 10. l. 4. c. 15.; Lugo Resp. Mor. l. 3. d. 19. Ceterum, ad praxim magis quod attinet, « communis est sententia omnium thth. tam recentium, quam antiquorum, qui docent in obscuris esse obediendum superiori, ubi non est certum peccatum; et sic docuerunt omnes, qui de hac re egerunt. Ita etiam omnes mysticae theologiae magistri cum S. Ignatio de Loyola in Ep. de Virtut. obed. ». L. l. 1. n. 100. 194.; Lugo l. c. n. 3.; Suarez tr. 3. d. 12. s. 5.

VII. — DE CONSCIENTIA SCRUPULOSA

171. Scrupulus est inanis apprehensio, et hinc ortus timor et anxietas, alicubi esse peccatum, ubi non est; vel peccatum grave, ubi non est nisi peccatum leve. Quare conscientia scrupulosa est illa conscientia, quae ex vana quadam causa *dubitat* de alicuius actionis honestate, ideoque *formidat* de peccato. Huiusmodi *formido* optime stare potest cum *iudicio determinato* de honestate rei; ea enim non nisi levi et inani motivo innititur. Si vero ea *formido* sit cum *iudicio determinato,* aliquid esse peccatum, quod revera non est, hoc iudicium, quatenus ex inani motivo procedit animumque affligit et anxiat, potest sane dici scrupulus, vel conscientia scrupulosa, late loquendo; proprie vero est conscientia *erronea* vincibilis. Potest item esse scrupulus cum vero *dubio practico,* sit hoc peccatum necne, ex inani motivo, suspicando forte esse peccatum, absque ullo determinato iudicio, quod sit vel non sit peccatum. Et sic rursus est scrupulus vel conscientia scrupulosa late dicta, proprie vero est conscientia *dubia.* — Ferraris Supplem. v. *Scrupulus.*

Conscientia *scrupulosa* differt a conscientia tenera. Haec enim est conscientia agnoscens, timens et fugiens tum gravia tum levia peccata; et etiam simplices imperfectiones, quantum cum divina gratia potest, studet vitare.

172. *An liceat operari cum conscientia scrupulosa?* — Responsio patet ex duabus seqq. propositionibus hoc num. et seq. — *Licet operari cum conscientia scrupulosa, manente scrupulo; dummodo iudicetur esse scrupulum, et ut talis contemnatur. Neque vero opus est, ut ad singulos actus efformetur hoc expressum iudicium, quod sit scrupulus, sed sufficit quod contra eum quis agat ex iudicio experientiae praeteritorum actuum.* — Ratio 1.ª est, quia taliter scrupulosus habet motivum prudens contemnendi dictamen conscientiae scrupulosae; quia scrupulus ex levi fundamento procedit, nec consequenter tollit iudicium aliunde certum vel probabile; et quia confessarii et theologi communiter dicunt scrupulos esse deponendos; aut, si deponi non possunt, esse contemnendos. Ratio 2.ª est, quia tunc habetur iudicium saltem virtuale illius contemptus scrupulorum. -- Suarez tr.. 3. d. 12. s. ult.; L. l. 1. n. 18. 19.

Qui est scrupulosus, quin sciat aut advertat, se esse scrupulosum, aut saltem in hac actione scrupulosum, non potest agere contra conscientiam scrupulosam; si iudicium de peccato efformetur; vel dubium de eo habeatur — Ratio, quia talis libere eligeret illud, quod malum iudicat, vel de quo dubitat, an malum sit.

173. *Undenam scrupuli procedant? — Causae scrupulorum, dispositivae, permissivae, effectivae, occasionales, aliae sunt intrinsecae, aliae extrinsecae.* — Scrupulorum causae *intrinsecae* sunt: 1.° Naturalis corporis constitutio, admodum disposita ad suspiciones et timores, uti est indoles melancholica, 2.° Infirma capitis valetudo, praesertim in mulieribus. 3° Ignorantia, qua quis Dei et Ecclesiae praecepta non bene percipit. 4.° Superbia occulta, qua quis nimis proprio fidit iudicio. 5.° Nimia abstinentia et vigiliae immoderatae, quibus, capite debilitato, facile conturbatur animus. 6.° Immoderatus et indiscretus fervor. — *Extrinsecae* vero scrupulorum causae sunt: 1.° Deus, qui scrupulos permittit *in iustis*, ut sic purgati magis proficiant; *in tepidis*, ut christiana pietatis officia ferventius obeant; *in poenitentibus*, ut praeteritorum peccatorum poenam luant. A. Deo scrupuli esse censentur, si iis exagitati meliores evadant. — 2.° Daemon. qui, « Deo permittente movere potest melancholichos humores in homine, per quos imaginatio vel errare potest, vel turbari ad timorem inordinatum ». S. Ant. I. p. t. 3. c. 10. Scrupuli a daemone provenire existimantur, si scrupulosus ad teporem adduci, a virtute retrahi, et praecipue ad desperationem inclinari se sentiat. — 3.° Societas scrupulosorum, praesertim si horum consiliis se mo-

derentur scrupulosi, et frequenter de rebus animae cum his confabulentur: quibus enim sociamur, hos imitamur facillime. — 4.° Lectio librorum, qui nimis rigidi sunt, « statuentes duriora praecepta, quae non possit humana conditio sustinere »; S. Ambros. in ps. 118.; sensim sine sensu iis assentimur opinionibus, quibus, studemus.

174. *Quaenam sint signa conscientiae scrupulosae?* — « 1.° Pertinacia iudicii. qua scrupulosus sapientum consiliis parere renuit, varios consulit, sed nullius iudicio acquiescit, immo quanto magis plures audit, eo plus perplexus evadit. — 2.° Frequens iudicii mutatio ex levibus motivis, unde oritur inconstantia in agendo, mentisque perturbatio, praesertim in operationibus externis, puta in celebratione missae, etc. — 3.° Habere reflexiones impertinentes plurium circumstantiarum, quae in actione adfuerint vel adesse potuerunt ». L. l. 1. n. 11. — 4.° Si putet se peccare in eo, in quo pii homines nullum omnino peccatum inveniunt; si preces suas anxie recitet, easque continue de novo ordiatur; si excutiendae conscientiae non faciat finem, et minima quaeque explicet, et saepe etiam repetat in Confessione. — 5.° Si signis ridiculis, gestibus aliisque modis utatur ad scrupulos deponendos. — 6.° Si scrupulosum iudicaverit confessarius, vel alius vir prudens. — La-Croix l. 1. n. 515. seqq.

175. *Quaenam sint remedia conscientiae scrupulosae?* — 1.° Scrupulos contemnere, contra illos agere, nec cogitatione fovere. « Scrupulosus tenetur aliquando obligatione gravi adversus scrupulos operari, cum ex scrupulorum anxietate possit grave damnum timere in profectu spirituali, aut in valetudine corporis, vel mentis ». L. l. 1. n. 17. 13. — 2.° Iudicio confessarii, vel alterius pii ac docti viri acquiescere. « Hoc enim super omnia *praecipuum,* immo *unicum* potest dici remedium huiusmodi infirmorum esse.... Hac obedientiae anchora destituti nunquam ipsi sanari possunt ». L. l. 1. n. 12. 13. 16. « Postquam scrupulosus unius confessarii, vel boni viri, responsum vel exemplum accepit, non debet alios consulere, ne assuescat ad anxietates inutiles diutius fovendas ». Sporer n. 108. — 3.° Bonorum vitam et consuetudinem tanquam regulam intueri, et aliorum scrupulosorum conversationem vitare; itemque a lectione librorum scrupulos excitantium abstinere. L. 1. n. 2. — 4.° Antequam operetur, non iudicare quidquam esse peccatum, nisi certo sciat; ne ex errore conscientiae reapse peccet. Post operationem utatur « regula a dd. sapienter tradita, nempe, eos qui sunt timoratae conscientiae, nisi moraliter certo sciant, se in grave peccatum consensisse, immunes esse a peccato iudicandos, nam impossibile est, peccatum in animam ab eo abhorrentem ingredi, quin ab ea clare cognoscatur ». L. l. 1. n. 15.; Suarez tr. 3. d. 12. s. ult. — 5.° Assuefacere se ad sequendas sententias mitiores et minus etiam tutas.

Busemb. ap. La-Croix. l. c. « Pro scrupulosis, servanda est regula illa a B. Alberto M. et S. Antonino tradita: Inter duram et benignam sententiam circa praecepta, benigna interpretatio, ceteris paribus facienda est ». L. l. 1. n. 19. — 6.° Nunquam otiari; quia otium implet phantasiam cogitationibus scrupulosis. L. l. 1. n. 12. — 7.° Destruere causas scrupulorum; v. g., melancholicus evacuet medicamentis atram bilem, pertinax frangat suum iudicium, superbus suae prudentiae non confidat, rudis instructionem petat, timidus meditetur bonitatem Dei, quae non imponit praecepta redigentia ad insaniam. — 8.° Instanter ac confidenter se Deo commendare, *qui consolatur nos in omni tribulatione nostra*, 2. Cor. 1., 4.; L. l. 1. n. 12.

176. *Proderit etiam nosse scrupulosorum privilegia:* 1.° quod scrupulosus non teneatur in agendo adihibere examen et diligentiam, nisi valde mediocrem, nec tantam quantam alii; et quod, dum angit scrupulus nec suppetit consilium, possit libere agere quod vult, nisi certum et evidens sit esse peccatum. Cfr. Vasq. in 1. 2. d. 57. — 2.° Quod nihil teneatur repetere ex praeteritis Confessionibus, nisi certo sciat illud esse mortale, et se rite confessum non esse. Non est autem certus, quamdiu dubitat. Unde suadet Laym., ut scrupulosus nunquam confiteatur dubia et scrupulos. Et Sa. v. *dubium*, aliique dicunt, non teneri confiteri nisi quae iurare possit esse mortalia, et nunquam esse confessum. — Ratio utriusque privilegii est, quia in scrupuloso nimio timore peccandi turbatur ratio, ut non possit recte rem examinare. Unde esto aliqua confessus non fuerit, non tenetur tamen cum tanto damno et periculo anxietatis perpetuae procurare integritatem confessionis, cum ab ea saepe minores difficultates excusent. L. l. 6. n. 476. 477. — 3.° « Immo aliquando potest quis taliter scrupulis angi, quod licet ei videatur certo aliqua non dixisse, adhuc ad ea confitenda non teneatur ». L. l. 1. n. 16.

177. *Quaenam esse debeat ratio agendi confessarii cum scrupulosis? — Hisce regulis continetur:* 1.° Patiens ac caritate plenus sit, cum scrupulosorum cura longa sit et ardua, ac miserrima eorum conditio. — 2.° Sit discretus, adeo ut rite cognoscat, quaenam sit in poenitente scrupulorum origo; et an sit scrupulosus in omnibus, an in uno tantum, ut malis congruenter mederi valeat. — 3.° Sit prudens, in regulis videlicet praescribendis, quae quidem generales sint oportet: regulis enim particularibus scrupulosi fere nunquam valent se accommodare, quia eas sibi applicare nequeunt. Immo semper dubitant, utrum casus fuerit satis explicatus, atque perceptus, utrum regula sibi praescripta casui illi sit bene accommodata. — 4.° Brevis et dictatorius sit in suis responsis; et omnia, quoad potest, prompte definiat, ac firmiter: secus poenitens auctoritate ipsius confessarii in sua anxietate confirmaretur.

178. Speciatim confessarius advertat, ut plurimum scrupulos versari, circa tria: 1.° quod malae cuicumque cogitationi quae menti obversatur, v. g., contra fidem, castitatem, caritatem, praebeatur assensus; 2.° quod Confessiones praeteritae nullae fuerint, aut etiam sacrilegae, vel ob defectum integritatis, vel ob doloris imperfectionem; 3.° quod in omni actione peccatum vel peccati periculum videatur inesse.

179. Si 1.um, poenitenti imperet, ut timores huiusmodi omnino despiciat, eumque doceat, non pravas cogitationes, sed pravos consensus esse peccata. Saepe etiam expediet scrupuloso imponere, ut a Confessione huiusmodi cogitationum se poenitens abstineat, nisi ita certo sciat in illas consensisse, ut illico queat iurare. « Neque est quod terreamur propter moram temporis, aut vehementiam cogitationis, nam haec etiam saepe sunt naturalia et involuntaria, et interdum ex timore, postea maiora apparent, quam revera fuerint ». Suarez d. 12. s. ult. « Fac tamen diligenter animadvertas, daemonem vel sensum ipsum subinde tentationes nonnullis maxime scrupulosis iniicere sub enuntiatione consensum exprimente, hoc vel simili modo: *Volo peccare, volo consentire;* cum tamen nullus adsit voluntatis consensus, qui non ex incidentibus verbis, sed ex proprio ipsiusmet voluntatis superioris actu repetendus est ». Ithur. Cas. 18. n. 5.; Elbel de Act. hum. 226. seqq.

Et Lehmkuhl, Cas. Consc. ed 3.ª Friburgi Brisgoviae 1907., De Actib. hum., Concup. (1), Cas. (9), R. 2.: « Satis diu mens istis rebus impuris occupari potest, quin plena sit advertentia plenusque consensus, qui tamen ad peccatum mortale requiritur ». Idque si quis « plenius advertens, timore perculsus ad orationem confugit, satis ostendit eum antea *non plene* consensisse, neque mortalis peccati reum esse ». Ac de Reg. Act. hum., Consc. scrupul., Cas. (17) R. 2.: « Si quis habitualiter sit in eo statu, ut potius mori, quam Deum offendere velit, nullatenus angi debere variis istis contra castitatem tentationibus, neque iis quae usque ad sensum gaudii et satisfactionis (aut naturalis desiderii) progressa sint. Haec enim affectio, illeque sensus nondum est voluntarius consensus, in quo solo peccatum consistit. Fieri quidem potest, ut aliquando quaedam negligentia venialis se ingerat; sed haec est miseria humana, quae continuam humilitatem et vigilantiam doceat, non timorem et anxietatem ». Et iterum de Peccato, Advert. ad pecc. necess. Cas. (37) R. 2.: « Fieri omnino potest, ut *satis diu* inhaereat (quis) cogitationi delectationi praeviae, antequam revera plena adfuerit mortalis malitiae advertentia ».

180. Si 2.um, et generalem iam alias poenitens Confessionem expleverit, aut per aliquod notabile tempus ad Poenitentiam diligenter

et pie accedere consueverit, huic imponat, ut non amplius de culpis praeteritis cogitet, neque ullum amplius de iis verbum faciat, nisi iurare possit, se certo peccata illa mortalia perpetrasse, et illa nunquam in Confessione deposuisse. Quod si post Confessionem rite peractam redeat, tunc confessarius inauditum dimittat ei praecipiens, ut accedat ad Communionem. Ita se gessit S. Bernardus, qui sacerdoti cuidam prae scrupulis a missae celebratione se abstinere volenti dixisse fertur : *Vade et in fide mea celebres*, et liberatus fuit. Neque dicas : Utinam qui ita loquitur esset alter Bernardus ! « Quisquis ita dicis, ait S. Antoninus ex Gersone, erras : non enim commisisti te in manibus hominis, quia litteratus, quia pius ; sed quia tibi est praepositus ».

181. Si 3.um, confessarius imponat, ut libere agat et scrupulos despiciat : immo contra eos operetur, quoties evidens peccatum non appareat ; quia, generatim loquendo, isti ob rationem ex nimio illo timore perturbatam putant esse peccatum, ubi non est. Unde oportet iis praeceptum iniungere, ut scrupulos vincant, ne inutiles tam sibi quam aliis evadant ; atque ut postea de talibus actionibus se minime in Confessione accusent. « Non enim oportet scrupulum explodi *speculative*, sed *practice*, neque ita ut non sentiatur, sed ut non consentiatur per determinatum iudicium ». Suarez l. c. n. 4. Qua in re animadvertendum est, quod etiamsi contingere possit, ut aliquando errent materialiter sic agendo, non peccabunt tamen formaliter ratione obedientiae, quam confessario praestant ; quia non homini tunc obediunt, sed Deo dicenti : *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit.* Neque vero « in rebus moralibus quaerendam omnimodam certitudinem, ac dubitationem, quae in aliis fortasse esset rationabilis, in scrupuloso pro nihilo esse existimandam ». Suarez l. c. n. 6. — L. l. 1. n. 12. 19. ; La-Croix l. 1. n. 527. seqq.

182. *An scrupuli sint utiles ?* — « Scrupulus... *per aliquod spatium temporis*, non parum prodest animae, quae se dat spiritualibus exercitiis ; immo magnopere purgat et mundat talem animam separando illam valde ab omni specie (apparentia) peccati iuxta illud Gregorii, *Bonarum mentium est, ibi culpam cognoscere, ubi culpa nulla est* ». S. Ignatius de Loy. Exer. Spir. Reg. de Scrup. 3.a ; La-Croix l. 1. n. 513. — Si vero *per longum tempus* protrahantur, « scrupuli sunt noxii, imprimis corpori, quia destruunt valetudinem, attenuant caput, saepe redigunt hominem ad insaniam, vitam saepe abbreviant ; deinde animae, quam reddunt intricatam, desolatam, perplexam, quandoque desperabundam ; confundunt intellectum, iudicandi vim perturbant, saepe totum hominem, insignibus talentis praeditum, reddunt ad omnes functiones ineptum : praeterea impediunt multa bona opera, prodigunt tempus multis vanis ac inutilibus cogitationibus, etc. ». La-Croix l. c. n. 514.

COMMENTARIUS TERTIUS

DE QUARTO DECALOGI PRAECEPTO

Honora patrem tuum et matrem tuam.

Exod. xx., 12.

I. — DE INTRINSECA NATURA HUIUS PRAECEPTI

1. « Praecepta Decalogi ordinantur ad dilectionem Dei et proximi. Inter proximos autem maxime obligamur parentibus. Et ideo immediate post praecepta ordinantia nos in Deum ponitur praeceptum ordinans nos ad parentes, qui sunt particulare principium nostri esse, sicut Deus est universale principium. Et sic est quaedam affinitas huius praecepti ad praecepta primae tabulae ». S. Th. 2.2. q. 122. a. 5.

2. Praeceptum hoc primario et directe respicit obligationes filiorum erga parentes, secundario autem et implicite spectat obligationes parentum erga filios, nec non obligationes mutuas: aliorum consanguineorum, et aliorum Superiorum atque inferiorum. « Huius Praecepti usus latissime patet, nam praeter eos, qui nos genuerunt, multi praeterea sunt, quos in parentum loco colere debemus, vel potestatis, vel dignitatis, vel utilitatis, vel praestantis alicuius muneris, et officii nomine ». Catech. Rom. P. 3. C. 5 nn. 2. 8. « Per prius aliquid debetur parentibus, quam patriae et consanguineis, quia per hoc quod sumus nati a parentibus, pertinent ad nos et consanguinei et patria. Et ideo, cum praecepta Decalogi sint praecepta legis, magis ordinatur homo per ea ad parentes, quam ad patriam, vel ad alios consanguineos. Nihilominus tamen in hoc praecepto, quod est de honoratione parentum, intelligitur mandari quidquid pertinet ad reddendum debitum cuicumque personae, sicut secundarium includitur in principali ». S. Th. 2. 2. q. 122. a. 5. ad 2.

3. Quartum hoc praeceptum de actibus per se est virtutis pietatis, observantiae, duliae, obedientiae; et praeterea gratiae.

4. *Pietas* sumitur 1.° latiori sensu pro *religione*, et sic idem est esse *pium* ac esse *religiosum*; et *pii* Dei cultores, *impii* vero idololatrae et peccatores nuncupantur. « Deus longe excellentiori modo est principium essendi, et gubernationis, quam pater vel patria. Et ideo alia virtus est religio, quae cultum Deo exhibet a pietate, quae exhibet cultum parentibus et patriae. Sed ea, quae sunt creaturarum, per quandam superexcellentiam et causalitatem transferuntur in Deum... Unde per excellentiam pietas cultus Dei nominatur; sicut et Deus excellenter dicitur *Pater noster* ». S. Th. 2 2. q. 101. a. 3. da 2. — Accipitur 2.° latiori item sensu pro *misericordia* seu benigno affectu erga ope nostra egentes. « Sicut August. dicit: ..... *more vulgi nomen pietatis etiam in operibus Misericordiae frequentatur. Quod ideo arbitror evenisse, quia haec fieri praecipue mandat Deus, quae sibi prae sacrificiis placere testatur; ex qua consuetudine factum est, ut et Deus ipse pius dicatur* ». S. Th. l. c. a. 1. ad 2. — Sumitur 3.° *pietas* proprie; et specialis virtus est, ad quam pertinet exhibere cultum parentibus et patriae. « Dicendum, quod aliqua virtus specialis est ex hoc, quod respicit aliquod obiectum secundum aliquam specialem rationem. Cum autem ad rationem iustitiae pertineat, quod debitum alii reddat, ubi invenitur specialis ratio debiti alicui personae, ibi est specialis virtus. Debetur autem aliquid alicui specialiter, quia est connaturale principium producens in esse, et gubernans Hoc autem principium respicit pietas, in quantum parentibus et patriae, et his, qui ad haec ordinantur officium et cultum impendit ». S. Th. l. c. a. 3.

5. Ut in omni virtute ad iustitiam, quae virtus ad alterum est, pertinente, ita etiam in pietate triplex distinguitur obiectum, nempe obiectum *cui*, obiectum *quod*, seu materiale, et ratio formalis obiectiva.

6. Obiectum *cui* pietatis sunt 1.° parentes, quia ipsi post Deum sunt praecipui auctores ortus nostri et nostrae educationis; 2.° patria, quia etiam patria est aliquo modo principium nostri ortus et educationis; 3.° alii consanguinei, non quod principium sint ortus nostri, sed quia in illis sanguinis communione parentes quodammodo repraesentantur; 4.° benevoli patriae, quia in ipsis favorem et auxilium patriae conspicimus. Quare sicut propter parentes pietas cultum defert consanguineis, ita propter patriam patriae benevolis et foederatis. « Dicendum, quod homo efficitur diversimode aliis debitor secundum eorum diversam excellentiam, et diversa beneficia ab eis suscepta. In utroque autem Deus summum obtinet locum, qui et excellentissimus est, et est nobis essendi et gubernandi primum principium. Secundario vero nostri esse et gubernationis principia

sunt parentes, et patria, a quibus, et in qua nati et nutriti sumus. Et ideo post Deum est homo maxime debitor parentibus et patriae. Unde sicut ad religionem pertinet cultum Deo exhibere, ita secundario gradu ad pietatem pertinet exhibere cultum parentibus et patriae. In cultu autem parentum includitur cultus omnium consanguineorum; quia etiam consanguinei ex hoc dicuntur, quod ex eisdem parentibus processerunt..... In cultu autem patriae intelligitur cultus omnium concivium et omnium patriae amicorum. Et ideo ad hos pietas principaliter se extendit..... Communicationes consanguineorum et concivium magis referuntur ad principia nostri esse, quam aliae communicationes, et ideo ad has nomen pietatis magis extenditur ». S. Th. 2 2. q. 101. a. 1.

7. Pietas ergo est etiam inter coniuges et quoad filios, « quoniam inter coniuges est cultus et officium ad invicem, tanquam coadiutores ad conservationem consanguinitatis utriusque, quam quilibet coniugum a suis habet parentibus: conservatur namque propagatione filiorum utriusque parentis sanguis. Et idem dicimus de filiis, quia scilicet respiciuntur a pietatis virtute, ut conservatores consanguineitatis a parentibus susceptae ». Caiet. in 2. 2. q. 101. 1.

8. Obiectum *quod*, seu materiale pietatis est *cultus*, *obsequium* et *officium*, cultus quidem et *obsequium per se*, *officium per accidens*. « Parentibus et concivibus aliquid debetur dupliciter: uno modo *per se*, alio modo *per accidens*. *Per se* quidem debetur eis id quod decet patrem in quantum pater est, qui cum sit superior, quasi principium filii existens, debetur ei a filio reverentia et obsequium. Per accidens autem aliquid debetur patri, quod decet eum accipere, secundum aliquid quod ei accidit; puta si sit infirmus, quod visitetur et eius curationi intendatur; si sit pauper, quod sustentetur, et sic de aliis huiusmodi; quae omnia sub debito obsequio continentur. Et ideo Tullius dicit...., *pietas* exhibet et *officium et cultum*, ut *officium* referatur ad obsequium, *cultus* vero ad reverentiam sive honorem; quia ut dicit August..... *dicimur colere homines, quod honorifica vel recordatione, vel praesentia frequentamus* ». S. Th. 2. 2. q. 101. a. 2

9. *Cultus* ergo parentibus debitus consistit in reverentia et honore ipsis exhibendo; *obsequium* in eo quod filius « eorum obediat imperio, et vivens beneficiis eorum pro suo modo rependat », S. Th. l. c. q. 102. a. 2.; *officium*, in quolibet subsidio vitae necessario illis suppeditando, si eo egeant. Ut *officium obsequio* continetur, ita *officium* et *obsequium* in *cultu* comprehenduntur. Nam « in cultu non solum intelligitur honor, sed etiam quaecumque alia, quae pertinent ad decentes actus, quibus homo ad alium ordinatur ». S. Th. l. c. ad 1. Itemque « in honoratione parentum intelligitur

omnis subventio, quae debet parentibus exhiberi, ut Dominus interpretatur Matth. 15. Et hoc ideo, quia subventio fit patri ex debito tanquam maiori ». S. Th. l. c. q. 101. a. 2. ad 1. « Parentibus in quantum huiusmodi debetur reverentiae honor. Sed sustentatio et alia huiusmodi debetur eis ratione alicuius accidentis, puta in quantum sunt indigentes, vel servi, vel aliquid huiusmodi, ut supra dictum est q. 101. a. 2. Et quia quod est per se, prius est eo quod est per accidens, ideo inter prima etiam praecepta legis, quae sunt praecepta Decalogi specialiter praecipitur honoratio parentum, in qua, sicut in quodam principali, intelligitur mandari sustentatio, et quidquid aliud parentibus debetur ». S. Th. 2. 2. q. 122. a. 5. ad 3. « Huic *honori*, inquit Catech. Rom. P. 3. c. 5. n. 7., haec omnia coniuncta sunt, amor, observantia, obedientia et cultus. Scite autem in Lege posita est *honoris* vox, non amoris aut metus, etiamsi valde amandi ac metuendi parentes sint. Etenim qui amat, non semper observat, et veneratur : qui metuit, non semper diligit : quem vero aliquis ex animo honorat, item amat et veretur ».

10. *Ratio formalis obiectiva* pietatis est *specialis honestas* quae in eo cultu est ; orta *proxime* ex ratione *debiti* illius cultus, *remote* ex ratione *principii ortus nostri*, quae in nostris parentibus est. Ideo enim pietas exhibet cultum et obsequium parentibus, quia hoc illis debitum est ; ideo autem hoc illis debitum est, quia ipsi sunt principium ortus nostri. Pietas ergo a caritate erga proximum prorsus distinguitur. Caritas enim vult bonum et benefacit quidem parentibus, sed *propter Deum*, quatenus nempe ad Deum ordinantur. Pietas vero illis bene vult et benefacit, secundum quod sunt nobis essendi principium. « Sicut (autem) religio est quaedam protestatio fidei, spei et caritatis, quibus homo primordialiter ordinatur in Deum ; ita etiam pietas est quaedam protestatio caritatis, quam quis habet ad parentes et patriam ». S. Th. 2. 2. q. 101. a. 3. ad 1. Pietas item penitus distinguitur a *iustitia legali*, quae quidem « respicit bonum patriae, sed secundum quod est *bonum commune* » per observantiam legum obtinendum : « Pietas se extendit ad patriam, secundum quod est nobis quoddam essendi principium ». S. Th. l. c. ad 3.

11. *Observantia* virtus est, « per quam cultus et honor exhibetur personis in dignitate constitutis ». S. Th. 2. 2. q. 102. a. 1. Hinc patet obiectum *cui*, obiectum *quod*, et *ratio formalis obiectiva* observantiae.

12. Obiectum *cui* observantiae sunt personae omnes in dignitate constitutae scilicet superiores, qui actu nos gubernant, aliique omnes aliqua praediti excellentia, quippe qui idonei sunt, qui nos gubernent. « Necesse est, ut eo modo per quendam ordinatum descensum distinguantur virtutes, sicut excellentia perso-

narum, quibus est aliquid reddendum. Sicut autem carnalis pater particulariter participat rationem principii, quae universaliter invenitur in Deo; ita etiam persona, quae quantum ad aliquid providentiam circa nos gerit, particulariter participat rationem patris; quia pater est principium et generationis, et educationis, et disciplinae, et omnium, quae ad perfectionem humanae vitae pertinent; persona autem in dignitate constituta est sicut principium gubernationis respectu aliquarum rerum; sicut princeps civitatis in rebus civilibus, dux autem exercitus in rebus bellicis, magister autem in disciplinis et simile est in aliis. Et inde est, quod omnes tales personae *patres* appellantur, propter similitudinem curae; sicut 4. Reg. 5. servi Naaman dixerunt ad eum: *Pater, et si rem grandem dixisset tibi Propheta,* etc. Et ideo sicut sub *religione,* per quam cultus tribuitur *Deo,* invenitur *pietas,* per quam coluntur parentes, ita sub *pietate* invenitur *observantia,* per quam cultus et honor exhibetur *personis in dignitate constitutis* ». S. Th. 2. 2. q. 102. a. 1. Atque hinc patet, personas in dignitate constitutas, ut iam dictum est, eas hic proprie esse, quae non tantum excellentiam habent, sed etiam potestatem gubernandi, reges, heri, praeceptores, summus Pontifex, Episcopi, aliique omnes, qui idoneitatem habent nos gubernandi ratione suae excellentiae. Et sic idem Angelicus Doctor l. c. ad 2. « dicendum, ait, quod aliquis ex hoc quod est in aliqua dignitate constitutus, non solum quandam status excellentiam habet, sed etiam quandam potestatem gubernandi subditos, unde competit sibi ratio principii, prout est aliorum gubernator. Ex hoc autem quod aliquis habet perfectionem scientiae, vel virtutis, non sortitur rationem principii quantum ad alios, sed solum quandam excellentiam in seipso. Et ideo specialiter quaedam virtus determinatur ad exhibendum honorem et cultum his, qui sunt in dignitate constituti. Verum, quia per scientiam et virtutem, et omnia alia huiusmodi aliquis idoneus redditur ad dignitatis statum, reverentia, quae propter quamcumque excellentiam aliquibus exhibetur, ad eandem virtutem pertinet ». Propter variam autem dignitatem varia observantia est, civilis, religiosa; naturalis, supernaturalis, quae sanctis delata, *dulia* nuncupatur.

13. Obiectum *quod* seu materiale observantiae est honor, et cultus seu obsequium; ille debitus est ratione excellentiae personae in dignitate constitutae, iste ratione potestatis in subditos. « Dicendum, inquit S. Th. 2. 2. q. 102. a. 2., quod ad eos, qui sunt in dignitate constituti pertinet gubernare subditos. Gubernare autem est movere aliquos in debitum finem: sicut nauta gubernat navem, ducendo eam ad portum. Omne autem movens habet excellentiam quandam et virtutem supra id quod movetur. Unde oportet, quod in eo,

qui est in dignitate constitutus, primo consideretur excellentia status cum quadam potestate in subditos, secundo ipsum gubernationis officium. Ratione igitur *excellentiae* debetur ei honor, qui est quaedam recognitio excellentiae alicuius. Ratione autem officii *gubernationis* debetur ei cultus, qui in quodam obsequio consistit, dum scilicet aliquis eorum obedit imperio, et vicem beneficiis eorum pro suo modo rependit... Excellentiae eorum, qui sunt in dignitate constituti, debetur *honor* ratione sublimioris gradus, *timor* autem ratione potestatis quam habent ad coercendum; officio vero gubernationis ipsorum debetur *obedientia,* per quam subditi moventur ad imperium praesidentium, et *tributa,* quae sunt quaedam stipendia laboris ipsorum ».

14. Honor sane testificationem quandam importat de excellentia alicuius vel verbis vel factis, sicut inclinationibus, vel exterioribus etiam rebus, puta munerum oblatione. A laude distinguitur, quia laus in solis verbis consistit. Distinguitur a gloria, quae effectus honoris et laudis est, quia ex hoc quod testificamur de bonitate alicuius clarescit bonitas eius in notitia plurimorum, et hoc importat nomen gloriae, quae est clara cum laude notitia. s. Th. 2. 2. q. 103. a. 1.

15. Ratio *formalis obiectiva* observantiae est specialis illa honestas, quae relucet in cultu et honore exhibendo personis in dignitate constitutis, quae *proxime* exoritur ex ratione *debiti* illius cultus, *remote* ex illa *dignitate.* Est autem duplex debitum. « Unum quidem *legale*, ad quod reddendum homo lege compellitur, et sic debet homo honorem et cultum his, qui sunt in dignitate constituti, praelationem super ipsum habentes. Aliud autem est debitum *morale,* quod ex quadam honestate debetur; et hoc modo debemus cultum et honorem his, qui sunt in dignitate constitutis, etiamsi non simus eis subiecti ». S. Th. 2. 2. q. 102. a. 2. ad 2. Iam vero personae in dignitate constitutae dupliciter considerari possunt, secundum *personalem* eorum dignitatem, et secundum quod ordinantur ad *bonum commune.* Cultus illis exhibitus quatenus ad bonum commune ordinatur non ad observantiam, sed ad pietatem pertinet. Cultus vero illis exhibitus pertinens specialiter ad personalem eorum utilitatem et gloriam ad observantiam proprie pertinet, secundum quod a pietate distinguitur. S. Th. 2. 2. q. 102. a. 3. Cum autem pietas cultum et honorem exhibeat, ut observantia cultum et honorem etiam exhibet, pietas licet proprie ab observantia distinguatur, per quandam excellentiam observantia dici potest; quemadmodum licet pietas proprie dicta a religione distinguatur, religio per quandam supereminentiam pietas dicitur. S. Th. l. c. a. 1. ad 1.

16. Ad *duliam* quod attinet, « dulia potest accipi dupliciter.

Uno modo communiter, secundum quod exhibet reverentiam cuicumque homini ratione cuiuscumque excellentiae. Et sic continet sub se pietatem et observantiam, et quamcumque huiusmodi virtutem, quae homini reverentiam exhibet. Et secundum hoc habebit partes specie diversas. Alio modo potest sumi stricte, prout, secundum eam, reverentiam exhibet servus domino : nam dulia servitus dicitur... Et secundum hoc non dividitur in diversas species, sed est *una specierum observantiae*... eo quod *alia ratione* servus reveretur dominum, miles ducem, discipulus magistrum ; et sic de aliis huiusmodi ». S. Th. 2. 2. q. 103. a. 4. Dulia « est quaedam observantiae species ; quia per observantiam honoramus quascumque personas dignitate praecellentes ; per duliam autem proprie sumptam servi dominos suos venerantur. Dulia enim graece, servitus dicitur ». S. Th. l. c. a. 3. Atque hinc patet *observantiam* non esse virtutem specialem, specie specialissima, sed virtutem specialem specie subalterna. Et hoc insinuat Angelicus Doctor dicendo q. 102. a. 1. quod ad observantiam spectat colere et honorare principem, ducem, magistrum, dominum, etc. quos vero asserit q. 103. a. 4. diversa ratione coli et honorari.

17. *Obedientia*, quamvis sub religione, *pietate* et *observantia* comprehendatur, proprie tamen specialis virtus est. « Cum enim inferiores suis superioribus multa debeant exhibere, inter cetera hoc est unum speciale, quod tenentur eorum praeceptis obedire. Unde obedientia est specialis virtus ; et eius speciale obiectum est praeceptum tacitum vel expressum. Voluntas enim superioris quocumque modo innotescat, est quoddam tacitum praeceptum. Et tanto videtur obedientia promptior, quanto expressum praeceptum obediendo praevenit, voluntate superioris intellecta ». S. Th. 2. 2. q. 104. a. 2. Enimvero superioris voluntas subditi regula est. Hic autem superiori subiici potest, etiamsi superior expresse non praecipiat ; ad eoque tunc veram adhuc praestat obedientiam. — Et q. 104. a. 3. ad 1. Idem S. Doctor ait : « dicendum, quod obedientia procedit ex reverentia, quae exhibet cultum et honorem superioribus. Et quantum ad hoc sub diversis virtutibus continetur, licet secundum se considerata prout respicit rationem praecepti, sit una specialis virtus. In quantum ergo procedit ex reverentia praelatorum, continetur quodammodo sub observantia ; in quantum vero procedit ex reverentia parentum sub pietate ; in quantum vero procedit ex reverentia Dei sub religione, et pertinet ad devotionem, quae est principalis actus religionis ». In quantum vero procedit ex communi bono procurando sub *iustitia legali* continetur, et ad eam pertinet. Quin imo, « si obedientia large accipiatur pro executione cuiuscumque, quod potest cadere sub praecepto, et inobedientia pro omis-

sione eiusdem ex quacumque intentione, sic obedientia erit generalis virtus et inobedientia generale peccatum ». S. Th. 2. 2. q. 104. a. 2.

18. *Denique* quoad *gratiam* « dicendum, quod secundum diversas causas, ex quibus aliquid debetur, necesse est diversificari debiti reddendi rationem : ita tamen, quod semper in maiori illud quod minus est contineatur. In Deo autem primo et principaliter invenitur causa debiti ; eo quod ipse est primum principium omnium bonorum nostrorum. Secundario autem in patre ; quia est proximum nostrae generationis et disciplinae principium. Tertio autem in persona, quae dignitate praecellit, ex qua communia beneficia procedunt. Quarto autem in aliquo benefactore, a quo aliqua particularia et privata beneficia percepimus, pro quibus particulariter ei obligamur. Quia ergo non quidquid debemus Deo, vel patri, vel personae dignitate praecellenti debemus alicui benefactorum, a quo aliquod particulare beneficium recepimus, inde est quod post religionem, qua debitum cultum Deo impendimus ; et pietatem, qua colimus personas dignitate praecellentes ; est gratia, sive gratitudo, quae benefactoribus gratiam recompensat ; et distinguitur a prae missis virtutibus, sicut quodlibet posteriorum distinguitur a priori, quasi ab eo deficiens ». S. Th. 2. 2. q. 106. a. 1. Benefactori ergo debetur etiam per se honor et reverentia eo quod rationem principii habet, et per accidens subventio vel sustentatio, si indigeat. S. Th. 2. 2. q. 107. a. 3. Gratia autem sive gratitudo beneficium recompensat gratiarum actione, et aliquid gratis impendendo. S. Th. l. c. a. 6. Ei opponitur ingratitudo, quae pro diversitate circumstantiarum interdum lethale, interdum veniale est peccatum. Grave non est, nisi magna fuerit ingratitudo. S. Th. 2. 2. q. 107.

II. — DE OBLIGATIONIBUS FILIORUM ERGA PARENTES

19. Filii alii sunt *legitimi et naturales*, alii *naturales*, alii *legitimi*. — Filii *legitimi et naturales* ii sunt, qui ex viro eiusque uxore nascuntur. — *Filii legitimi et naturales* iure *praesumuntur*, qui orti sunt ex matre iusto matrimonio coniuncta ; nisi *iuridice* certo constet eorum origo ab alio quam a marito matris. Pater enim is habetur, *quem nuptiae demonstrant*. Mater quidem certa est ; pater vero praesumitur. Et haec praesumptio in foro conscientiae vim etiam habet. C. B. (Cod. Germ.) 1591. 1717. 1720.

20. Foetus nono editur plerumque mense, ex quo conceptus fuit, interdum ineunte septimo, nonnunquam decimo pleno, videlicet non ante 180 dies, nec post 300 dies, C. I. (Cod. Ital.) 161.

seqq.; C. G. (Cod. Gall.) 315.; C. H. (Cod. Hisp.) 108.; C. A. (Cod. Austr.) 138. 163.; C. B. 1592. 1717.; C. L. (Cod. Lusit.) 101. — Hinc eius, qui vel *post septimum mensem* ab inito matrimonio, vel *ante decimum mensem* a soluto matrimonio, nascitur, is pater est, quem nuptiae demonstrant, nisi aliud sit evidentissimum; C. L. 103. Minime vero obstat, quod mater fuerit adultera, C. I 165.; C. G. 313.; C. H. 109.; C. A. 158., vel quod ipsa filium adulterinum fuerit professa, C. A. 158., nisi talia proferat indicia, quae in foro externo satis forent, Lugo de Iust. d. 12. n. 26, quamvis sit fide dignissima, et iurata, ac moriens id asserat; nemo enim meretur fidem allegans turpitudinem suam, C. *Inter* 8. § ult. *de Donat.* L. 654. 924. — Foetus editus *ante septimum mensem* ab inito matrimonio, habetur legitimus dumtaxat, si maritus vel duxit sciens volens mulierem praegnantem, vel, cum praesens esset, natum prorsus non repudiavit, C. I. 161.; C. G. 314.; C. H. 110.; C. L. 102. Foetus, serius editus *post decimum mensem* a solutione matrimonii, ut illegitimus habetur, nisi matris valetudo et mores et rerum circumstantiae, aliud suadeant, C. I. 169.; C. G. 315.; C. H. 111. - C. L. 102. seqq.

21. *Filii naturales* seu *illegitimi* ii sunt, qui extra matrimonium nascuntur. Hi iure canonico sunt *irregulares;* iure civili a *legitimis* distinguuntur potissimum quoad successionem in paternam haereditatem. C. A. 155. 165.; C. H. 114. 127. 134. 139. — *Filii naturales,* si nati sint ex viro et muliere, inter quos matrimonium iniri non potuisset, sive iure naturali sive iure divino et canonico, ex eodem canonico iure appellantur *spurii* seu *nati ex damnato coitu,* C. 3. 10. *Qui fil. sint legit.,* et sunt *adulterini, sacrilegi, incestuosi,* et *nefarii;* hi sunt qui ex adscendentibus et descendentibus nati sunt. Ex iure autem civili omnes *illegitimi* dicuntur, et *recognosci* non possunt, in variis casibus tamen per varias leges determinatis, C. I. 180.; C H. 119.; C. G. 335.; C. B. 1732.; C. L. 122. 134. In aliis vero casibus per leges non exceptis *agnosci et legitimari* possunt. C. I. 179. 195.; C. G. 331. 334.; C. L. 119. — *Agnoscuntur* parentum confessione, iure civili, *authentica,* C. I. 181.; C. G. 334.; C. H. 131.; C. B. 1718., iure canonico, *simplici et nuda,* C. 10. *de Probat.;* ac postquam agniti fuerint conditionem sequuntur agnoscentis seu matris, seu patris, seu utriusque, C. I. 185. — Agniti vero *legitimantur* subsequenti matrimonio, ipso iure, C. 1. 6. *Qui fil. sint leg.;* C. I. 194.; C. G. 331.; C. H. 120. 121.; C. A. 161.; C. B. 1719.; C. L. 119.; ac etiam post contractum iam matrimonium agnosci possunt, C. I. 197.; C. H. 121. Cf. C. G. 331. — Ex quo vero fuerint legitimati perinde habentur, ac si ex iusto matrimonio editi fuerint, C. 6. *Qui fil. sint leg.;* C. I. 194.; C. G. 333.; C. H. 122.; C. A. 161.; C. L. 121. Cf. Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. 24.

n. 16. At *agnitus* tantum eius dumtaxat filius intelligitur, qui eum agnovit. C. I. 182.; C. G. 336.; C. H. 129. 134. — Ex C. B. 1589. 1705. omnino contra ius naturale statuitur, quod filius naturalis et pater non reputentur *consanguinei!* et e contra in suis ille cum matre relationibus iuridicam habeat conditionem filii *legitimi!* — In dubio, utrum quis ex legitimo matrimonio natus sit, legitimus est praesumendus. C. I. 120. — L. l. 3. n. 951.

22. *Filii legitimi* sunt, filii *naturales legitimati,* et *adoptivi.* C. I. 737. *Adoptio* est actus, quo in locum filii adsciscitur is, qui natura talis non est. Ex recentioribus legibus adoptatus perinde habetur, ac filius legitimus et naturalis eius dumtaxat, qui eum adoptavit, eiusque successionis ius acquirit, C. I. 202. 204. 210. 737.; C. G. 343. 344. 350.; C. B. 1741. 1757.; C. L. 124. 129. Verum patris sui naturalis potestati non eximitur, nec in patris adoptantis potestatem et familiam transit, C. I. 210. 212.; C. G. 348. 349. Secus vero est ex C. A. 183; C. H. 177.; C. B. 1765. Adoptio haec perpetua est, et ne mutuo quidem consensu dissolvitur, C. I. 217. Et ita etiam Iurisconsulti Gallici. Secus est ex C. A. 185.; C. B. 1768.

23. *Filii legitimi et naturales,* quoad donationes capiendas et quoad ius successionis tales habentur ex quo revera *concepti sunt,* dummodo *vitales* postea nascantur, C. I. 724.; C. G. 725; C. A. 138. *Vitalis* natus est, qui natus est post 180.^{um} diem a conceptione, C. I. 160. 162.; C. G. 312. 314.; C. A. 138., et perfecte natus est. In dubio, qui vivus editus fuit, vitalis natus fuisse praesumitur, C. I. 724. Abortivi, si non supervivant, uti mortui nati habentur. — *Filii naturales* tantum, sive *legitimati,* sive *agniti,* ius successionis acquirunt ab inito parentum matrimonio, vel ex eo tempore quo postea agniti fuerint, C. I. 197.; C. H. 124. — *Filii legitimi* tantum, ius acquirunt successionis ex eo tempore, quo fuerunt adoptati, quasi, tunc primum concepti fuissent. C. I. 210. 217.; C. B. 1754. 1757. Nullum ex C. H. 177. adoptatus ius acquirit successionis, nisi ex testamento, vel ex praevia conventione. Ex C. B. 1767. ius successionis excludi potest in adoptionis contractu. — Fieri ergo potest donatio vix concepto, et, vidua praegnante relicta, haereditas interim ad nasciturum pertinet filium. Sed, eo mortuo nato, ad proximiores patris cognatos devolvitur.

24. Minores septennio *infantes*, quasi *non fantes. fandi impotentes,* dicuntur. Si rationis usum iam adepti sint, quamvis legibus humanis non teneantur, lege tamen tenentur naturali. — A septennio ad annum decimumquartum, si masculi; ad duodecimum, si feminae, *impuberes* dicuntur; *puberes* vero ultra praedictam aetatem; ex proxima nempe generandi potestate, ea aetate, adepta. — Impuberes, si desinunt esse sub patris potestate, patris morte vel filio-

rum emancipatione, *pupilli* appellantur, L. 239. *de Verb. sign ;* facti puberes, *minores* vocantur usque ad 25. annum aetatis ex Iure Romano, L. 1. *de Minoribus.* — Recentiori Iure, quavis alia sublata distinctione, qui vel quae nondum compleverint 21. aetatis annum *minor* nuncupatur ; tali aetate expleta, vocatur *maior,* C. I. 323. 240.; C. G. 388. 488.; C. B. 2.; C. L. 97. 311. Ex C. H. 320. *maior* aetas anno 23.° expleto constituitur ; C. A. 21. 174. anno 24°. — *Maior* est clericus in beneficialibus, et aliis spiritualibus causis, qui 14.um aetatis annum expleverit. C. *Si annum* 3. *de Iudic.* in 6.° — *Minore* aetate filius, nisi sit emancipatus, sub patria potestate constituitur. C. I. 220.; C. B. 1626. *Maior* vero regulariter sua ipse gerit negotia. Ex C. L. 311. libere de sua persona et bonis disponere potest.

25. Cum filii a parentibus exsistentiam habeant, ideo, praeter amorem *pietatem* illis debent. Uti enim amor parentum est ad benefaciendum, ita amor filiorum est ad honorandum parentes, S. Th. 2. 2. q. 31. a. 3. ad 3.. q 26. a. 9. ad 1. ad 3. Quamvis autem amor honorem non importet, amorem honor includit, quoniam quem ex animo honoramus etiam amamus. Quare quando peccato filiorum sola caritas erga parentes laeditur, sola malitia in eo contenta illa sola est, quae est contra pietatem filialem. Si vero illud peccatum aliam habet contra aliam virtutem malitiam, tunc nova haec species priori superadditur. — Pietas duo *per se* exigit, *reverentiam* et *obsequium*, *per accidens* vero *opem* praestandam, si indigeant. Hinc est quod peccatum *contra pietatem* laedere potest tum amorem, tum reverentiam et obsequium erga parentes, uti e. g. si filius, internum odium concipiat contra parentes, vel externe verbis aut alia actione eos contristet, *contra amorem* peccat ; si parentibus maledicat *contra amorem et contra reverentiam* peccat, si contemnat parentes et parentum praeceptum *contra reverentiam et obedientiam* peccat. Alia etiam species speciei contra pietatem accedere potest, e. g., si filius patrem infamet aut verberet, contra pietatem et contra iustitiam peccat. — Maiori etiam aetate filii parentibus debent amorem, honorem et reverentiam, quia ipsi semper filii, illi semper parentes sunt. — S. Th. 2. 2. q. 26. a. 9. 10., q. 101. a. 7. ; L. 333.; C. I. 220.; C. G. 371 ; C. H. 154.; C. A. 144. 154.

26. Ex SS.; pluribus in locis sub gravibus poenis praecipitur amor, honor et obedientia erga parentes. Eccli. 3., 8. 9. 18 ; 7., 29. 30.; Prov. 19., 26.; Deuter. 27., 16.; Exod. 21., 15.; ad Ephes. 6., 1.; ad Coloss. 3., 20. – Atque hoc praeceptum ratione etiam constat ; quia triplicem respectum habent parentes ad filios, nempe ratione causae, ratione praeeminentiae, et ratione regiminis. Consequenter filii eos amare debent, ut suae existentiae auctores, honorare, ut Su-

periores, eisque tamquam rectoribus a Deo legatis obedire. Praeceptum autem hoc *per se* grave est. — « Inter proximos enim maxime obligamur parentibus ». S. Th. 2. 2. q. 122. a. 5. Ratio est, quia ut docet idem S. Th. 2. 2. q. 102. a. 3. personae parentum substantialius nobis coniunguntur, quam quaelibet aliae personae in dignitate constitutae. Magis enim ad substantiam pertinet generatio et gubernatio, cuius principium sunt parentes, quam exterior gubernatio, cuius principium sunt aliae personae in dignitate constitutae. Praeterea « exhibitio honoris vel cultus non solum est proportionanda personae cui exhibetur, secundum se consideratae, sed etiam secundum quod ad exhibentes comparatur. Quamvis ergo virtuosi secundum se considerati sint magis digni honore, quam personae parentum; tamen filii magis obligantur propter beneficia suscepta ab ipsis parentibus, et coniunctionem naturalem, ad exhibendum cultum et honorem parentibus, quam extraneis virtuosis ». S. Th. l. c.

27. Licet ergo amor, honor et obedientia, prout aliis hominibus exhibentur, pertineant praecise ad virtutem caritatis, observantiae et obedientiae, prout tamen exhibentur parentibus pertinent ad virtutem pietatis, secundum quod *specialis* quaedam virtus est, quae cultum et officium praestat parentibus tanquam praecipuis vitae auctoribus post Deum, aliisque consanguineis, in quibus propter sanguinis communionem parentes quodammodo repraesentantur. Ea tantum autem peccata specialem contra pietatem malitiam prae se ferunt, quae *immediate* laedunt eorum personam, seu intrinseca personalia bona, ut odium, detractio, percussio; *non*, *furtum*. Cum tamen pater respectu filii, et idem est de filio respectu patris, *ius suum* retineat quoad vitam, famam, honorem, filius in his rebus peccans contra patrem, peccat simul contra pietatem et iustitiam. Occulte autem, invito patre, bona patris auferens, per se contra iustitiam solum commutativam filius peccat, et per se ad restitutionem tenetur.

28. Pietas enim, quae est inter filios et eorum parentes, non excludit strictam inter eos iustitiam. Illa officia, quae habentur inter *filios* et *parentes*, uti etiam inter *maritum* et *uxorem*, inter *fratres* et *sorores*, ac inter alios *consanguineos*, si *has* tantum *harum personarum conditiones* respiciunt, *iustum quoddam deficiens* continent, et nonnisi ad *pietatem* pertinent, ut v. g. filiorum educatio est. Verum illa officia, quae easdem inter se personas respiciunt, prout sunt *homines*, *iustum continent stricte tale*, et ad iustitiam commutativam spectant. Quare furtum commissum a filio contra patrem furtum est laedens iustitiam commutativam, ut quodlibet aliorum furtum. Si filius item patrem occidit peccat contra iustitiam, ut quilibet alius homicida, sed praeterea additur etiam gravior contra pieta-

tem malitia. Similiter, si coniux non servat connubii fidem peccat contra iustitiam, ut quilibet alius violans fidem datam in contractu bilaterali et oneroso; sed praeterea malitia additur gravior contra pietatem. Ratio autem est, quia illa officia, quae pertinent *ad pietatem,* recedunt a perfecta distinctione et alteritate personarum, quae proprie requiritur a iustitia commutativa.

29. Ad rem S. Th. 2. 2. q. 57. a. 4.: « Ius sive iustum dicitur per commensurationem ad alterum. Alterum autem potest dici dupliciter: uno modo, quod simpliciter est alterum, sicut quod est omnino distinctum, sicut apparet in duobus hominibus, quorum unus non est sub altero, sed ambo sunt sub uno principe civitatis, et inter tales est simpliciter iustum. Alio modo dicitur aliquid alterum non simpliciter, sed quasi aliquid eius existens; et hoc modo in rebus humanis filius est aliquid patris, quia quodammodo est pars eius, et servus est aliquid domini, quia est instrumentum eius. Et ideo patris ad filium non est comparatio, sicut ad simpliciter alterum; et propter hoc non est ibi simpliciter iustum, sed quoddam iustum, scilicet paternum; et eadem ratione nec inter dominum et servum, sed est inter eos dominativum iustum. Uxor autem, quamvis sit aliquid viri, quia comparatur ad eum sicut ad proprium corpus, tamen magis distinguitur a viro, quam filius a patre, vel servus a domino; assumitur enim in quamdam socialem vitam matrimonii; et ideo inter virum et uxorem plus est de ratione iusti quam inter patrem et filium, vel dominum et servum: quia cum vir et uxor habeant immediatam relationem ad domesticam vitam, ideo inter eos non est etiam simpliciter politicum iustum, sed magis iustum oeconomicum ». Verum, ut habet idem A. D. ibid. ad 2. « *Filius,* in quantum est *filius* est aliquid *patris*, et similiter *servus*, in quantum est *servus,* est aliquid domini; uterque tamen prout consideretur, *ut quidam homo,* est aliquid secundum se subsistens ab aliis distinctum. Et ideo, *in quantum uterque est homo,* aliquo modo ad eos est iustitia: et propter hoc etiam aliquae leges dantur de his, quae sunt patris ad filium, vel domini ad servum ».

Hinc patet filiosfamilias bene habere posse dominium rerum. Hoc autem dominium res spectat, ipsis quovis titulo dominii translatitio datas, vel propria industria acquisitas. Nam, *ad bona paterna* quod attinet, nullum filiis, *vivente patre,* strictum ius est in paterna bona. Unde, si quid filiisfamilias ex hisce bonis surripiant, ad restitutionem *per se* tenentur. *Per se,* nisi nempe agatur de re minoris momenti, et prudenter praesumatur patrem eam remittere obligationem.

30. Iamvero *quoad amorem,* contra eum non peccatur, si parentes ex filiorum agendi ratione contristentur, quando iusta et gravis

causa urgeat aliquid faciendi, et constet parentum offensionem ex mera eorum morositate provenire.

Filii autem sive sint *legitimi,* id est in legitimo matrimonio ex marito et uxore nati, sive sint *illegitimi,* id est extra legitimum matrimonium nati; itemque sive sint *naturales* ex patre et matre generati, sive sint *adoptivi,* non ex generatione sed ex adoptione, omnes debent parentibus amorem, honorem, obedientiam. Amorem autem debent omnes tum interno affectu tum exteriore opera. eis etiam opem prestando, si in necessitate, sive corporali sive spirituali, reperiantur. Ut enim sub honore continetur amor, ita etiam sub eodem honore continetur necessariorum subventio. S. Th. Quodl. 3. a. 16.

31. *Quoad reverentiam*, omnis quidem irreverentia et contemptus in parentes, ceteris paribus, gravior est quam in alios proximos, etiam propinquos, etiam in dignitate constitutos, ob maiorem cum eis coniunctionem, quae post Deum primum gradum obtinet, ob maiorem ipsorum dignitatem. Licet autem, si filii parentum honorem laeserint, laesum honorem eis reparare deberent, veniam ab eis postulando, etiam coram aliis, in quorum adspectu peccarunt, certe tamen praesumi potest, saltem ut plurimum, ubi filii id facere renuerent, parentes remittere filiis hanc obligationem, ne filii iterum in Dei offensam incurrant, et aeternum animae discrimen subeant. Cf. S. Alph. n. 334.

32. *Reverentia* laedi potest verbis, gestibus et factis, nempe graviter, in illis etiam, quae quoad alios levia sunt, dummodo levia prorsus non sint. Quare graviter filii peccant: *Verbis,* passim parentes aspere alloquendo: vel etiam nullum benevolentiae signum eis ostendendo; eos *praesentes* verbis contumeliosis appellando; vel eis *ex animo maledicendo; Gestibus*, torvis oculis eos aspiciendo, eis *praesentibus* irridendo, subsannando; *Factis,* manus in illos *considerate* levando, in signum ipsos percutiendi, eos criminum accusando, nisi de criminibus agatur in rempublicam perniciosis, ut est haeresis, perduellio, etc. — L. 333. 334.

33. *Obsequium* item graviter laeditur, parentibus non obediendo in iis, quae *ad domesticam gubernationem* et *oeconomiam* spectant, vel *ad bonos* pertinent *mores;* si tamen parentes serio et in re gravi praecipiant; excepta electione status, matrimonii ineundi, religionem ingrediendi, nisi tamen parentes ex iusta causa filiis hac in re contradicant. Grave pariter committitur peccatum, eos quasi parentes non agnoscendo, nisi id fiat ex iusta causa, et exterius tantum se eorum filium esse dissimulando. Minime vero peccant munia religionis contra parentum vetitum explentes. Nam quoad ea omnia, quae ad salutem pertinent, « immediate subduntur Deo, a quo

instruuntur per legem naturalem vel scriptam » S. Th. 2. 2. q. 104. a. 5. ad 2. — L. 334. 335.; S. Th. Quodl. 2. a. 9., 2. 2. q. 104. a. 2. 5.; C. A. 148.; C. L. 142.

34. *Obedientia* a filiis parentibus praestanda illimitata non est, sed suos habet fines, quibus circumscribitur. — Ratio est, quia obedientia praestanda est, secundum Superioris potestatem; in illis nempe, ad quae se extendit ius praelationis. Atqui paterna potestas, familiae regimen et gubernationem, filiorum rectam educationem non excedit. Apposite S. Th. Quodl. 2. q. 5. a. 9.: « Dicendum quod, cum obedientia praelato debeatur, ad illa extenditur debitum obedientiae, ad quae extenditur ius praelationis. Habet autem pater carnalis ius praelationis in filium primo quidem quantum ad domesticam conversationem. Sic enim est paterfamilias in domo, sicut rex in regno; unde sicut subditi regis tenentur obedire regi in his, quae pertinent ad gubernationem regni; ita etiam filii et alii tenentur obedire patrifamilias in his, quae pertinent ad dispensationem domus. Secundo quantum ad morum disciplinam, unde Apostolus dicit ad Hebr. 12., 9. *Patres quidem carnis nostrae habuimus eruditores et obtemperabamus eis.* Debet enim pater filio non solum educationem, sed etiam disciplinam, ut Philosophus dicit. In his ergo filius tenetur obedire patri carnali, et non in aliis ».

35. Atque haec doctrina generalis est: quilibet subditus non debet in omnibus suo superiori obedire, sed in illis tantum, quae ad propriam subiectionem et superioris praelationem pertinent. Deo tantum debet homo in omnibus obedire, quia Deo quantum ad omnia subiicitur, cuilibet alii superiori humano nonnisi limitata quadam et determinata ratione subiicitur. Ad rem S. Th. 2. 2. q. 104.: a. 5. « In his quae pertinent ad dispositionem actuum et rerum humanarum, tenetur subditus suo superiori obedire secundum rationem superioritatis; sicut miles duci exercitus in his, quae pertinent ad bellum, servus domino in his, quae pertinent ad servilia opera exequenda; filius patri in his, quae pertinent ad disciplinam vitae et curam domesticam, et sic de aliis..... Deo subiicitur homo simpliciter quantum ad omnia, et interiora et exteriora, et ideo in omnibus ei obedire tenetur. Subditi autem non subiiciuntur suis superioribus quantum ad omnia, sed quantum ad aliqua determinate, et quantum ad illa medii sunt inter Deum et subditos. Quantum ad alia vero immediate subduntur Deo, a quo instruuntur per legem naturalem, vel scriptam ».

36. *An filius circa status electionem debeat parentes consulere, eisque obedire?* — R. 1.° Si agitur de statu coniugali communius docent ThTh. filium *per se* teneri *consulere* parentes. Ratio est, quia hoc exigit obsequium a filiis parentibus praestandum, ut in re tam gravi, et in

qua ipsi maiorem habent experientiam, eorum audiant consilium. Sed haec obligatio *per se levis est*. Etenim primo non constat de gravi obligatione, cum de ea inter DD. valde disputetur. Cf. S. Alph. l. 6. n. 849. Praeterea haec obligatio gravis esse non potest, cum filii non obligentur etiam sequi parentum consilium, sed liberi sint. Satis autem, vel per se, vel per alios viros prudentes, cognoscere possunt, quae in tali negotio occurrunt; ne in eo errent. — Si agitur vero de statu religioso certum est *per se* non teneri neque expedire, communiter loquendo, quod filii *consilium* expectent parentum; quia parentes hac in re nullam habent cognitionem et experientiam, imo saepe in hoc negotio amici non sunt, sed inimici. S. Thom. Opusc. 17. Contra retrahentes homines a religionis ingressu, c. 9.

2.° Quoad *electionem* status filii *per se* non tenentur obedire parentibus. Etenim vocanti Deo magis obtemperandum est, quam contradicentibus hominibus. Iusuper in iis, quae ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed solum Deo, quia omnes homines natura sunt pares. « Secundum ea, quae ad naturà corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed solum Deo; quia omnes hominis natura sunt pares; puta in his, quae pertinent ad corporis sustentationem, et prolis generationem. Unde non tenentur servi dominis, nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda, aut aliquo alio huiusmodi ». S. Th. 2. 2. q. 104. a. 5, S. q. 45. a. 5. ad 1., q. 47. a. 6. — Proinde graviter peccant parentes, qui filios invitos, aut directe aut etiam indirecte cogunt ad statum eligendum sive religiosum, sive clericalem; vel contra, si eos omnino invitos ab aliquo vitae statu eligendo sine iusta causa impediant. Dicitur *per se;* secus enim dicendum, si parentes ob graves et rationabiles causas filiis contradicant. Cf. nn. seqq.

37. Verum, generatim loquendo, suadendum non est filiis aetate minoribus, ut insciis, vel invitis parentibus clericalem aut religiosum statum amplectantur, quoties res non adeo urget, aut non satis constat de vocatione divina S. Alph. l. 4. n. 68. Attendendum praeterea est ad recentiores leges, quibus parentes auxilio brachii saecularis a quocumque loco proprios filios abducere et ad se revocare possint. C. I. 221.; C. G. 374.

38. *Quandonam filii parentibus rationabiliter invitis obedire teneantur, quoad ipsum matrimonium ineundum?* — Conc. Trid. Sess. 24. cap. 1. de R. M. inquit « vera ac rata esse quidem matrimonia a filiis familias sine parentum consensu contracta; sed vero Sanctam Dei Ecclesiam illa semper detestatam esse, ac prohibuisse ». Quoniam autem Ecclesia detestata est nunquam matrimonia a filiis, pa-

rentibus irrationabiliter invitis, contracta, consequens est, ut ea sola ex Tridentino effato detestata sit, et prohibuerit, quae, rationabiliter invitis genitoribus, a filiis contrahuntur. — Causae igitur adsunt, quibus parentes rationabiliter inviti esse possunt quoad ipsum matrimonium ineundum. Et sane rationabiliter inviti sunt parentes, 1.° si filius, nulla speciali ratione urgente, matrimonium inire velit ante debitam aetatem, et statum acquisitum, ita ut cogatur deinde, in continua necessitate et pauperie simul cum uxore et filiis versari; hoc enim, vergit in ipsius filii damnum. Et parentibus favet ipsa lex positiva, quae aetatem praescribit, qua filii liberi sint in ordine ad matrimonium. Cod. Ital. art. 63.; Cod. Gall. art. 148. — 2.° Si nubere velit personae inhonestae, irreligiosae, acatholicae, etc.; hoc enim in maius adhuc vergit damnum eiusdem filii. Parentibus iterum favet lex positiva Ecclesiae mixta prohibens coniugia. — 3.° Si filia ducere velit virum se *indignum*, cum quo nempe contrahere non potest sine suae familiae *dedecore*, iuxta suae regionis usum, ob disparitatem in nobilitate. Qui tamen spectato genere obscurus est, clarus hic esse potest divitiis, litteris, bello, dignitate. Plerumque autem turpius est ac deformius si filiae, quam si filii, nubant imparibus vel indignis, adeo ut vix unquam filia in matrimonium cum indigno iungatur, quin indidem grave familiae dedecus nec non rixae et graves inimicitiae progignantur. Cf. Ithur. Cas. 14. — 4.° « Communiter dicunt.... teneri filium obedire, si matrimonium illud valde referat ad tollenda gravia dissidia vel sublevandam gravem necessitatem parentum, non iam vigore praecepti, sed ex virtute pietatis, quia filius tenetur subvenire parentibus in necessitate. Et huic consentit D. Th. in 4. D. 2. 29. q. 1. a. 4., ubi docet: *Pater non potest cogere filium ad Matrimonium per praeceptum; sed potest eum inducere ex rationabili causa; et tunc sicut se habet filius ad causam illam, ita se habet ad praeceptum patris;* at si illa causa *cogat de necessitate, vel honestate, et praeceptum similiter cogat; alias non* ». S. Alph. l. 6. n. 850. Obligatio praeterea tale matrimonium ineundi « intelligi etiam debet quoties illi non esset horror valde intolerabilis erga illam mulierem; caritas enim neminem potest obligare ad tantum, ut ei vivendum esset totam vitam suam cum uxore, quam notabiliter horreret ». S. Alph. Hom. Apost. Tr. 18. n. 10. — 5.° Parentes rationabiliter inviti esse possunt, ob scandala et odia consanguineorum exoritura, ratione praesertim disparitatis *in divitiis*. « Tunc filii tenentur sub mortali obedire parentibus ab huiusmodi matrimonio abstinendo, quando possunt sine gravi suo incommodo ». Caritas enim non obligat cum tali incommodo. S. Alph. l. 6. n. 851. Ac grave certe incommodum pro filio est, si omittere cogatur matrimonium cum puella, cum qua credit quietam ducturum vitam.

Neque vero omittendum, quod, inito matrimonio, facile animi reconciliantur, dissidia et scandala evanescunt. L. l. c. Cf. Hom. Apost. Tr. 18. n. 16.

39. *An possit filius nomen dare militiae invitis parentibus?* — Potest, ex Cod. Civ. Ital. art. 221. Potest etiam ex Cod. Civ. Gall. art. 374., modo aetatem duodeviginti annorum attigerit. Hoc tamen videtur valere tantum pro foro externo; excipe, nisi adsint causae sufficientes, v. gr. si filius in domo paterna omnino male tractetur, etc. Ita communiter. Gury 370.

40. Maiori etiam aetate, ut iam dictum est, filii parentibus debent amorem, honorem, reverentiam, et etiam opem, si egeant; quia ipsi semper filii, illi semper parentes sunt. Obedientiae vero obligatio cessat, quando filius amplius sub patria potestate non est. C. L. 142. Cessat haec patria potestas aetate maiori filii, vel emancipatione. Verum si filius, licet maior vel emancipatus, pergat habitare in domo paterna, patri manet adhuc subiectus, eique obedire tenetur in illis, quae pertinent ad domesticum ordinem, ratione domesticae potestatis, quae in patre est super tota domo.

41. *Opem* etiam parentibus *egentibus* debent filii, eosque consequenter alere debent, et grave est religionem etiam ingredi, eos in egestate deserendo. Grave item est ex hoc capite non curare sacramenta aegrotantibus conferri; mortuos tradi sepulturae; pro eorum anima sacrificium aliquod offerri. — S. Th. 2. 2. q. 101. a. 2., a. 4. ad 4., q. 102. a. 2., q. 123. a. 5. ad 3.; L. 333. 335.; C. I. 139.; C. G. 205.; C. A. 154.; C. B. 1617.

42. « *Utrum aliquis teneatur contrahere, ut dote sustentet patrem, si aliter non possit?* » — « Dicendum, ait A. D. Quodl. 10. a. 9., quod casus propositus non videtur esse de facili possibilis. Vix enim contingere potest, quod aliquis parentes sustentare non possit absque matrimonii contractu, saltem manibus operando vel mendicando. Si tamen hoc contingeret, esset idem iudicium de virginitate servanda in isto articulo, et de aliis perfectionis operibus, sicut est introitus in religionem, de quo quidam varie opinantur. Dicunt enim aliqui, quod si aliquis habet patrem indigentem, debet ei dimittere, si quid habet, ad eius sustentationem, et sic potest licite religionem intrare, parentum curam Patri caelesti committens, qui etiam aves pascit. Sed, quia haec opinio nimis videtur aspera, ideo melius videtur dicendum, quod aut iste qui habet propositum intrandi religionem, videt se in saeculo non posse vivere sine peccato mortali, vel non de facili. Si timet sibi periculum peccati mortalis; cum magis teneatur saluti animae suae providere quam corporali necessitati parentum, non tenetur in saeculo remanere. Si autem videt, se posse in saeculo conversari absque peccato, distinguendum vi-

detur; quia si sine eius obsequio parentes nullo modo vivere possunt, sic tenetur eis servire, et alia opera perfectionis praetermittere, et peccaret eos dimittens; si vero sine eius obsequio possunt aliqualiter sustentari, non autem honorifice non propter hoc tenetur opera perfectionis dimittere. Secus autem est de illo, qui iam religionem intravit, quia, cum iam sit mortuus mundo per professionem, solutus est a lege, qua in mundanis obsequiis parentibus tenebatur, secundum doctrinam Apostoli ad Rom. 7. In aliis autem spiritualibus, puta orationibus et huiusmodi, iis tenetur servire ».

43. *An propter parentum necessitatem debeat filius religiosum statum deserere?* — « Aliud dicendum est, inquit S. Th. 2. 2. q. 101. a. 4. ad 4., de eo, qui est adhuc in saeculo constitutus, et aliud de eo, qui iam est in religione professus. Ille enim, qui est in saeculo constitutus, si habet parentes, qui sine ipso sustentari non possunt, non debet, eis relictis, religionem intrare: quia transgrederetur praeceptum de honoratione parentum: quamvis quidam dicunt, quod etiam in hoc casu licite posset eos deserere, eorum curam Deo committens: sed, si quis recte consideret, hoc esset tentare Deum, cum habens ex humano consilio quid ageret, periculo parentes exponeret sub spe divini auxilii. Si vero sine eo parentes vitam transigere possunt, licitum esset ei, desertis parentibus, religionem intrare; quia filii non tenentur ad sustentationem parentum, nisi causa necessitatis. Ille vero, qui iam est in religione professus, reputatur iam quasi mortuus mundo, unde non debet occasione sustentationis parentum exire claustrum, in quo Christo consepelitur, et se iterum saecularibus negotiis implicare. Tenetur tamen, salva sui Praelati obedientia, et suae religionis statu, pium studium adhibere, qualiter eius parentibus subveniatur ». Et ib. ad 3. « si carnalibus parentibus nostra obsequia sint necessaria, ut sine his sustentari non possint, nec nos ad aliquid contra Deum inducant, non debemus intuitu religionis eos deserere. Si autem sine peccato eorum obsequiis vacare non possumus, vel etiam si absque nostro obsequio possunt sustentari, licitum est eorum obsequia praetermittere, ad hoc quod amplius religioni vacemus ».

44. *An filii parentibus debeant etiam propria bona?* — R. Negative. *Pietatem* filii parentibus debent, non *operas*. Quare, si filius in domo paterna operas praestet. v. g., fabri, sutoris, quod ex eis lucratur, suum est, deductis alimentis, quae a patre accipit; cum iam sua opera et labore, sustentari valeat, nec amplius paterna egeat sustentatione. Verum, si nihil petit, videtur ea patri remittere ex grato animo et pietate. Idem dicendum est de bonis a filio acquisitis, donatione, testamento, etc.; ea quidem filius sua facit, sed patri educationis expensas refundere tenetur. C. A. 150. 154.;

C. B. 685. 1618. Neque vero tenetur de suis bonis patris debita solvere. — Haec *iure naturali* constant, et iure positivo confirmantur, quod naturalem determinans obligationem parentibus adscribit usumfructum bonorum suorum filiorum. — Ad *Ius positivum* quod attinet, distinguenda sunt *dominium*, seu proprietas bonorum, *ususfructus*, *administratio*. Distinguenda item sunt varia *bona* et varia *Iura;* Ius Commune seu Romanum, et varia Iura Recentiora, quae vigent in variis regionibus. — Ex recentioribus Codicibus filii familias, *generatim*, licet minores nec emancipati, dominium directum habent omnium bonorum, quae iusto aliquo titulo, haereditatis, donationis, propriae industriae, etc. ipsis obveniunt; capaces sane sunt dominii proprietatis. Administratio autem omnium bonorum est penes patrem, vel matrem, vel tutorem, qui filiorum incapacitatem, vel imperitiam supplere debent, donec maiores fiant, vel emancipationem obtineant. Maiores plenam habent administrationem bonorum suorum; emancipati vero eam nonnisi limitatam habent. Tandem ususfructus aliquorum saltem bonorum conceditur patri, vel matri patriam potestatem habenti, donec filii maiores fiant vel emancipentur. Amittitur autem ab alterutro parente, qui post mortem compartis, alias init nuptias. Excipiuntur communiter ab usufructu bona filiis relicta vel donata cum conditione. quod pater usufructum non percipiat; bona quae filii proprio officio, professione, arte, labore, separata industria sibi acquirunt. Parentes autem filios alere et educare debent pro eorum conditione et fortuna. C. I. 230.; C. G. 385.; C. L. 148. — Cum ius parentum quoad filiorum bona partem constituat illorum iurium, unde *patria* habetur *potestas*, de eo mox magis in particulari dicemus patriam potestatem declarantes. — L. 488.; C. B. 1627.

III. — DE PATRIA POTESTATE

45. *Patria potestas* est complexus iurium parentum in filios, quae ex duplici causa exoriuntur, 1° quia liberi ab ipsis vitam habuerunt; 2° quia eos parentes debent convenienter educare. C. A. 147.; C. L. 137. Ea est ex Iure simul Naturali et Positivo, ius naturale definiente et determinante. Iura enim parentum in filios *ex iure naturali et civili* profluunt.

46. *Iure Naturali* parentibus, sive legitimis sive illegitimis, debetur *pietas;* nempe patri et matri, eaque ipsis aeque et perpetuo competit, quoad amorem et honorem, non tamen quoad obedientiam, postquam filius maior effectus fuerit. vel emancipatus sit. C. I. 220. Parentibus praeterea competit potestas quoad ea, quae ad

spiritualem filiorum salutem pertinent. Et haec etiam utrique pariter competit, immo et avo et aviae. Si vero inter se dissentiant, ille praevalet, qui filii saluti consulit. Et, patre mortuo, si dissentiant mater tutrix et avia paterna, haec potior erit. Bened. XIV. Ep. *Probe te* § 20. 21. 23., Ep. *Postremo mense* § 16. 17. 17.; C. *Ex litteris* 2. *de Conv. infid.* — Parentum naturalis potestas in his, quae pertinent ad salutem animae, *infantia exacta*, finitur; in his quae pertinent ad electionem status finitur *pubertate*, C. *Cum virum* 12. *de Regul.*; C. A. 148.; in his quae pertinent ad domesticam curam et disciplinam *emancipatione* finitur. Verum in iis, quae spectant ad sustentationem corporis et generationem prolis, filii sui iuris sunt. Ac quoad matrimonium ineundum communiter nonnisi parentum consilium exquirere tenentur. L. 325. — Emancipatio autem naturaliter habetur, cum iam sufficienter per aetatem adoleverit filiusfamilias, ita ut iam paterfamilias ipse esse possit, et per se ipsum rite considerare, et se obligare circa ea quae ad personam suam et ad sua bona exteriora pertinet. C. 11. 12. *de Regul.*; S. Th. 4. D. 27. q. 2. a. 2., D. 38. q. 1. a. 1. q. ult. Sol. 3., 2. 2. q. 104. a. 5., S. q. 43. a. 2., q. 58. a. 5.

47. *Patria potestas*, distincta est *a maritali potestate*; illa a patre et a matre simul in filium, haec a marito in uxorem exercetur; illa in filiorum educatione et bono, haec in uxoris defensione et coniugali bono versatur. Distinguitur autem utraque potestas *a potestate domestica* eiusdem patrisfamilias et mariti. Nam haec exercetur in totam domum, in uxorem, filios, famulos, et respicit rectum totius familiae ordinem et commune bonum ipsius familiae, quae, filiis in paterna domo remanentibus, naturaliter se extendit etiam ad nepotes eorumque uxores.

48. « Abdicatio, quae graeco more ad alienandos liberos usurpabatur et apoceryxis dicebatur, Romanis legibus non comprobatur.. Patribus ius vitae in liberos necisque potestas olim erat permissa ». LL. 6. 10. *de Patr. pot.* C. In veteri tamen disciplina, iure civili, ac proinde etiam canonico, patria potestas patuit adhuc latissime. Etenim hoc iure patri integrum erat filios sacris ordinibus, vel instituto cuivis regulari perpetuo mancipare, CC. 2. 3. 4. 6. 7. Caus. 20. q. 1., et cui vellet matrimonio iungere, C. 1. *de Desp. impub.* At saec. XII. Caelest. III. potestatem fecit filiisfamilias pubertatem adeptis e monasterio exeundi, C. 14. *de Regul.*, tum saec. XIII. Bonif. VIII. potestatem fecit recedendi a sponsalibus initis ab ipsorum parentibus, C. un. *de Desp. impub.* in 6°.

49. *Iure Communi* patria potestas soli patrifamilias competit, eaque per se perpetua erat, Inst. l. 1. t. 9. § 2. 3., t. 12; lib. 1. tit. 6. ff. § 3.-5.; *de Patr. pot.* C. lib. 8. t. 46.; C. 2. *de Convers. infid.* —

Verum *ex Recentioribus Legibus* competit etiam matrifamilias, C. I. 220.; C. G. 372.; C. B. 1634. 1684. 1685.; C. L. 138. Sed mater ea non utitur, quamdiu ea utitur pater, cui principaliter competit, C. I. 46. 220. 230. 231.; C. G. 141. 373. 507.; C. A. 144. 147.; C. H. 154.; C. B. 1634.; C. L. 139. 155. — Competit autem in filios *legitimos et naturales*, in *naturales agnitos*, in *naturales agnitos et legitimatos*, et aliquo saltem modo etiam in *adoptivos*, C. I. 66. 184. 194. 210. 211. 220; C. H. 154.; C. A. 183.; C. B. 1306. 1757. 1765.; C. L. 166. Patria potestas a patre exercetur, eoque mortuo vel absente, a matre aequo iure, C. I. 46. 220. 231.; C. H. 154.; C. G. 141. 390.; C. A. 144. 147.; C. B. 1627. 1684. Attamen ius est patri morienti matri superstiti praescribere, quem velit in filiorum educatione et bonorum administratione modum servari, C. I. 235. 1059. Cf. C. G. 391.; C. B. 1852. seqq. Si mater secundas ineat nuptias, in potestate erit Consilii familiae, vel iudicis pupillaris, ei permittere vel adimere tutelam, C. I. 237.; C. G. 395.; C. A. 255. — Deficientibus parentibus, et non nominato tutore, tutela iure spectat ad avum paternum; et, hoc deficiente, ad maternum, C. I. 244.; C. B. 1776. — Porro patria potestas partim in *personas*, partim in *res* filiorum exercetur, C. B. 1627.

50. *Patria Potestas exercetur 1.° in personas* facultate, quam habet pater retinendi domi filium, nisi filium velit voluntarie nomen dare militiae, C. I. 221.; C. G. 374.; facultate quam habet pater moderate corrigendi et puniendi filium discolum; eum etiam a propria domo arcendi, et recurrendo etiam ubi opus sit ad tribunal, eumque collocandi in domo alia educationis seu correctionis, C. I. 222.; C. H. 155. 156.; C. G. 375. seqq.; C. A. 145.; C. C. 1631. 1632.; C. L. 143.; L. 3. *de Patr. pot.* C. — Insuper filius prohibetur sine parentum consensu in adoptionem se dare, C. I. 208. 224. 315. 330.; C. G. 346.; C. A. 181.; C. B. 1747., et matrimonium inire, C. I. 63. 208.; C. G. 148.; C. A. 49. 153.; C. H. 1305.; C. L. 1058. Matre autem dissentiente, sufficit patris consensus C. I.; C. G. ll. cc.; C. L. 1061. Parenti postremo decedenti ius competit tutoris dandi. C. I. 242.; C. G. 397.; C. B. 1777.

51. Filiusfamilias si 25 ann., filiafamilias si 21 ann. nondum expleverit, indigent ad matrimonium contrahendum parentum vel saltem patris consensu. Hisque mortuis vel impeditis, avi est dare minoribus consensum, et, eo deficiente, aviae sive paternae sive maternae. His quoque deficientibus, opus est *consilio familiae*, si legitimi sint, *tutelae* si illegitimi. C. I. 63. 64. 65. 66.

52. *Excepto matrimonio*, quod ante pubertatem ex lege canonica nullum est, *quoad alios actus et contractus* filiifamilias *minores* naturaliter tantum obligantur, et, si suo tempore restitutionem in

integrum non petant, etiam civiliter; et qui cum eis contrahunt naturaliter et civiliter obligantur. Quare, si sponsalia inierint, si votum emiserint, sponsalibus et voto obligantur. Si quid donaverint dominium transferunt in accipientem, et si quid dono ipsi accipiant dominium licite accquirunt et retinent. C. 1. de *Desp. impub.*; C. I. 1304.; C. G. 1314.; C. H. 160. 161.; C. A. 244. 246.; C. B. 106.; C. L. 98. 99.; Inst. l. 3. t. 19. § 6.; S. Th. 2. 2 q. 88. a. 8., 4. D. 27. q. 2. a. 2.; L. l. 3. n. 918.; Lugo de Iust. d. 22. n. 228. 295. 300.

53. Minores non emancipati contrahere *firmiter* nequeunt absque assistentia tutoris, C. I. 277.; C. G. 450.; C. H. 262. 1263.; C. A. 152.; C. B. 106. seqq. Minores vero emancipati habiles sunt ad faciendos administrationis actus et contractus, a lege determinatos. Pro reliquis vero assistentia curatoris requiritur, C. I. 317.-319.; C. G. 480. 484. 487.; C. H. 317. In re autem maioris momenti tutor et curator ab auctoritate pendent *consilii familiae*, C. I. 277.-301. 314. seqq.; C. G. 450. 468. 483.; C. H. 269. Ex C. I. Comm. 9. seqq. minores emancipati, sive mares sive feminae, commercium legitime exercentes censentur maiores, ac possunt bona sua etiam immobilia alienare. — Quamvis ergo minor *valide contrahat*, ex Recentioribus Legibus *firmiter non contrahit*, si non observentur variae earundem legum praescriptiones, et tunc conceditur ipsis *restitutio in integrum*, quae in foro etiam conscientiae valet, cum huiusmodi lex sit definitiva iuris, et iusta: siquidem est *propter bonos mores* tuendos, propter familiarum pacem et bonum, propter bonum commune. — C. G. 2012.; C. I. 317. 319. 1899.

54. Ex C. I. *minor* restituitur quia *minor*, et actio nullitatis admittitur: 1.° Si minor non emancipatus actum ex se confecit sine interventu patris seu eius legitimi repraesentantis. 2.° Si minor emancipatus actum ex se confecit, pro quo lex exigit assistentiam curatoris. 3.° Cum non observantur formalitates pro quibusdam actibus constitutas per speciales legis dispositiones. — Actio vero nullitatis non admittitur: 1.° Si *minor* mala arte et dolo occultavit suam conditionem *minoris*. 2.° Si agatur de obligatione ex delicto vel quasi delicto exorta. 3.° Si probetur quod solutum est in commodum et utilitatem minoris fuisse conversum. — C. I. 1300. 1303. 1305. 1306. 1307. 1899.

Ex C. G. *minor* restituitur quia *laesus*, et actio nullitatis admittitur, si legis praescriptiones in contractibus *minorum* non fuerint observatae. Rescissio non admittitur, 1.° Si laesio ex causali eventu contigerit. 2.° Si minor commercium aut artem aliquam exerceat quoad contractus initos ratione sui commercii seu artis. 3.° Si de obligatione agatur profluente ex delicto vel quasi delicto. 4.° Si probetur quod solutum est in eorum cessisse commodum et utili-

tatem. — C. G. 1304. 1305. 1306. 1308. 1310. 1312. 2012.; L. l. 3. n. 514. 918.. Cf. Troplong, della Vendita cap. 2. art. 1594. num. 166. seqq.

Ex C. H., non servatis legis formalitatibus, contractus minoris rescissioni obnoxii fiunt. Ad restitutionem autem non tenetur, nisi quatenus re accepta ditior evaserit. — C. H. 317. 420. 1163. 1304. 1764. 1765.

Ex C. L. actus minoris sunt nulli, si fiunt sine debita auctoritate. Sed ipsi hac nullitate uti non possunt quoad obligationem super res artis aut professionis propriae, vel si dolo utantur, ut habeantur uti maiores. — C. L. 237 seqq.

Ex C. A. non potest quidem generatim minor valide obligari sine consensu patris, aliisque legis praescriptionibus. Libere tamen disponere potest de rebus propria industria acquisitis, aliisque ipsi pro suo usu datis post adeptam pubertatem. — C. A. 151. 152. 244. 246. 248.

Ex C. B. minor indiget consensu sui repraesentantis pro quavis voluntatis declaratione, nisi haec ei iuridicum emolumentum procuret, vel nisi agatur de rebus eius liberae dispositioni relictis. Sine praedicto repraesentantis consensu, actus rescindi potest. — C. B. 108. seqq.

55. *Patris potestas exercetur 2.° in res* filiorum, *Ex iure communi* filius initio *res patrisfamilias* erat: quidquid acquirebat patris erat. Deinde *peculium* recognitum est. Peculium est, quodcumque bonum proprium filii, separatum a paternis bonis. Quadruplex est: 1° *Castrense*, acquisitum ex militia vel occasione militiae; et hoc totum, perfecto dominio, filii est: impubes tamen eius administrationem non habet. — 2.° *Quasi-castrense*, acquisitum ex aliquo civili officio, iudicis, advocati, medici, magistri, etc. ex beneficio vel officio ecclesiastico; et huius etiam perfectum dominium ad filium spectat; administratio tamen ad patrem, si impubes ipse sit. — 3.° *Adventitium*, quod advenit filio aliunde quam a paternis bonis, neque patris intuitu, v. g. quod eidem filio provenit ex matre, ex materna linea, vel intuitu matris; vel acquisitum propria industria et labore, alienis liberalitatibus, casu et fortuna. Dominium proprietatis ad filium, usufructus et administratio huius peculii ad patrem, *quoad vivit*, spectat. Quare Iure Romano pater habet usumfructum *omnium* horum bonorum filii; et hic usufructus nonnisi morte patris finitur, secus ac habetur *Iure Recentiore*. — 4.° *Profectitium*, quod vel ex bonis paternis acquisitum est; vel patris intuitu filio est donatum. Et hoc, totum patris est, proprietate, usufructu, administratione. — Inst. l. 2. t. 9 § 1. 2. l. 3. t. 29.; Lugo d. 5. n. 23. seqq.

56. Si filius negotietur extra domum patris ex aliis bonis quam paternis, lucrum est *adventitium*. Si laboret in domo paterna et a patre nutriatur, vel negotietur ex bonis patris, *profectitium* est. — « Si filius pecunia patris vel mutuo accepta, vel occulte surrepta, suomet periculo negotietur, ita ut serio constituat patrem indemnem quocumque eventu conservare, certum est ex communi omnium sententia apud Laymann l. 3. tr. a. c. 8. n. 12. lucrum omne ad proprietatem filii tamquam adventitium peculium pertinere. Cur id rei? nisi quia tametsi lucrum omne pecunia patris comparat, ita comparat, ut lucrum totum derivetur non ex pecunia patris suapte natura sterili, sed ex industria filii, quae pecunia reddit fecundam ». Ithur. Cas. 3. n. 6. — L. 488.

57. Filius ergo habet perfectum dominium nempe proprietatem, usumfructum, administrationem bonorum *Castrensium* et *Quasi-Castrensium*, quare de illis disponere potest pro suo arbitrio, donatione, testamento, alioque contractu, sine ullo requisito patris consensu, dummodo sit pubes. Impubes eorum administrationem non habet ; et iudicis auctoritate de iis disponere potest; *L. Castrense ll. ff. de Castrensi peculio*, L. 2. *Cum multa 7. Cod. de Bonis quae liberis*. Ratio autem est, quia ita expedit bono communi Reipublicae, ut filiusfamilias in bonis acquisitis ex officio aliquo publico, sicut in bonis acquisitis ex bello. sit sui iuris et independens a parentibus, ne alias ab obsequio boni communis retrahatur. *Adventitiorum* dominium directum seu proprietatem habet filius, adeoque mortuo patre illi soli competunt; « ne quod ei, suis laboribus vel prospera fortuna accessit, hoc in alium perveniens, luctuosum ei procedat » § 1. *Per quas person. nobis acquiritur*. Inst.; dominium vero utile, seu usumfructum, et administrationem habet pater, dum vivit. *Dominium:* « Sic etenim et parenti nihil derogabitur usumfructum rerum possidenti, et filii non lugebunt, quae ex suis laboribus sibi possessa sunt, ad alios transferenda adspicientes, vel extraneos, vel ad fratres suos, quod etiam gravius multis esse videtur » ; *Administrationem:* Nam « melius est coarctare iuveniles calores, ne cupidini dediti, tristem exitum sentiant, qui eos post dispersum expectat patrimonium. Cum enim... parentes alere eos... compelluntur, quare ad venditionem rerum suarum prosilire desiderant » ? L. fin. §. *Filiis autem de Bonis quae liberis* C., L. *Cum oportet 6. C.* eod. tit. Aliquando tamen etiam ususfructus ad filium spectat, e. gr. si filius expresse donaretur ususfructus, etc. Cf. Lugo De Iust. et Iure D. 5. S. 2. n. 23. Verum, si bona sint usu consumptibilia, pater de ipsis aestimatis disponere potest, cum obligatione aestimationem reddendi, transacto tempore ususfructus; L. *1. ff. de Usufructu earum rerum, quae usu consumuntur*. Denique *Profectitio-*

rum dominium totale et usufructus ad solum patrem spectat. «Quae enim invidia est, quod ex patris occasione profectum est, hoc ad eum reverti?» § *Sancitum* Inst. *Per quas personas nobis acquir.* Quare de huiusmodi bonis profectitiis nihil potest filius alienare sine consensu patris; L. 3. *de Patr. pot.*

58. Paterfamilias et filiusfamilias pro una persona habentur. Cum igitur nemo secum ipso contrahere possit, si contrahunt, *civiliter* irritum est pactum. *Civiliter*, nam *naturaliter* vicissim obligantur et obligant. Inst. 1. 3. t. 19. § 6. — Filiusfamilias, ne patre quidem consentiente, testari potest, de peculio adventitio vel profectitio; potest vero, etiam invito patre, de castrensi vel quasi castrensi. Inst. l. 2. t. 12.

59. *Ex recentioribus Legibus minores* iure inhabiles habentur *ad se* et *propria bona* tuenda. Hinc quoad utrumque eos repraesentat ille apud quem est patria potestas. C. B. 1630; C. L. 98. 100. — *Administratio* omnium bonorum filiorum *minorum* est penes patrem, vel matrem, vel tutorem, qui filiorum incapacitatem vel imperitiam supplere debent, donec *maiores* fiant, vel *emancipationem* obtineant. Excipienda sunt ex C. B. 1638.; C. L. 147. bona filio data cum exclusione, ab hac administratione, patris. Cf. C. L. 146. 147. — *Maiores* suis gerendis negotiis omnino liberi sunt, nisi in aliquo casu id lex speciatim ipsis vetet; adeoque plenam habent administrationem bonorum suorum; *emancipati* vero eam non nisi limitatam habent. C. I. 323. 310. seqq.; C. G. 488. 476. seqq.; C. A. 149. 187. 251. Cf. C. L. 305. seqq. 311. — Unde is, qui patriam potestatem exercet, filii negotia gerit, C. I. 224. 242.; C. G. 389.; C. A. 149. 152.; is, non filius, in iudicio agit, haereditates filio obvenientes adit, confecto inventario, donationes acceptat, C. I. 226. 1059.; C. A. 205. 222 seqq. 243., eiusque bona administrat, C. I. 224.; C. G. 389.; C. H. 159.; C. A. 149; sed bona sive immobilia, sive mobilia, iis exceptis quae servando servari non possunt vel deteriora fiunt, non potest alienare, hypotheca vel pignore obligare; neque item nomine filii mutuum accipere, aliosque actus exercere, qui simplicis administrationis actus excedunt, nisi ex causa necessitatis vel evidentis utilitatis, et civilis tribunalis decreto, C. I. 224. 225; C. H. 164.; C. G. 389.; C. B. 1640. seqq.; C. L. 150.

60. Pater, vel mater patriam exercens potestatem, *usumfructum* habet eorum, quae filio obveniunt, successione, donatione, vel alio titulo *lucrativo*, C. I. 228. 229. 231.; C. G. 384. 386.; C. H. 160.; C. B. 1640. 1685., nisi bona filio vel testamento relicta, vel donatione data fuerint, ea conditione ne usufructus ad parentes pertineat, C. I. 229.; C. G. 387.; C. B. 1651.; vel filio fuerint testa-

mento relicta, vel donatione data ad aggrediendum aliquem vitae cursum, artem, vel professionem, C. I. 229.; aut ad eius educationem et instructionem, C. H. 162.; vel nisi, invitis parentibus donationem aut legatum acceptaverit, aut haereditatem filius adierit, C. I. 229. Excluduntur item ab eo usufructu illa, quae labore, professione, industria separata sibi filius acquisierit, C. I. 229.; C. G. 387.; C. B. 1620. 1651., et bona successionis filii, qua parentes declarati sunt indigni, C. I. 728.; C. G. 730. — Huic usuifructui obligatio inhaeret alendi, sustentandi, educandi et instruendi filios. C. I. 230.; C. G. 385.; C. B. 1602. 1603. 1606. 1656.; C. L. 148. — Neque pater neque mater usumfructum habet bonorum filiorum naturalium. Eorum tantum bona administrare possunt, sed cum onere rationem reddendi etiam de fructibus; Gousset in a. 304. C. G.; C. I. 184. Cf. C. L. 166. 167.

Ex C. L. 145. 146 147. ad parentes pertinet ususfructus bonorum, quae filiusfamilias acquirit suo labore, sua industria, suis mediis, vel quocumque alio gratuito titulo, nisi data fuerint cum exclusione huius ususfructus, vel filii acquirant armis, litteris, artibus liberalibus, vel acquirant proprio labore et industria, sed vivunt ex se cum patrum permissu.

Ex C. A. 149. 150. 151. 154. bona omnia excepta administratione, ad filium simpliciter pertinent, pater tamen ex redditibus expensas educationis deducere potest. — Ex C. H. 161. ad parentes simpliciter pertinent bona a filiis acquisita eorundem parentum bonis. Ex eodem C. H. 160. ad parentem patriam potestatem exercentem, pertinet ususfructus etiam eorum bonorum, quae filius suo labore et industria acquisivit.

61. Huiusmodi ususfructus finitur *emancipatione filii,* vel morte, vel expleta *minori* aut *legitima aetate;* patre vel matre viduis, transeuntibus ad alias nuptias; *si pater patria potestate abutatur,* aut impositas obligationes non curando, aut bona male administrando, tribunalis sententia accedente; itemque cessat respectu coniugis, cuius culpa legaliter divortium sit pronuntiatum. C. I. 156. 228. 232. 233.; C. G. 384. 386.; C. H. 167. 112.; C. B. 1666. 1673. 1679. 1680. Ex eodem C. B. 1661. 1962. ususfructus finem etiam habet matrimonio filii, et patris renunciatione. Cf. C. L. 149. — Filio autem *maiore* facto, ea quae a parentibus gesta sunt, si facta fuerint secundum legem, rata manent, secus vero irrita ab ipso fieri possunt. Ac, si interim conflictus quoad bona inter patrem et filium, sub patria potestate, exoriatur, ad tribunal iste recurrere poterit. C. I. 224. 227. 2304., C. G. 1314., C. H. 165.; C. A. 271.; C. B. 1667. 1668.; C. L. 153. — L. 488. 543. 544 ; Gousset 682.

Ex C. G. 384. 386. ususfructus conceditur patri, et eo de-

functo, matri innuptae permanenti usque ad ann. 18. filiorum vel eorum emancipationem.

62. *Patria potestas solvitur patris vel filii morte*, C. H. 167.; C. L. 170.; *filii adoptione*, C. H. 167.; C. B. 1757. 1765.; C. A. 183.; *emancipatione filii*, C. I 220. 311.; C. G. 372. 476.-479.; C. L. 170.; C. H. 167.; C. A. 172. 252.; emancipatur autem filius ex ipso iure per matrimonium, C. I. 310.; C. G. 476.; C. L. 304.; secus ex C. A. 175. *Emancipatio*, actus legitimus est, quo pater filium suum minorem dimittit a sua potestate, ut sui iuris efficiatur. Emancipatio fieri non potest ante annum 18., C. I. 311. — *Solvitur* praeterea *aetate maiori*, C. I. 220.; C. G. 372.; C. A. 172.; C. L. 170. Cf. hic 24. Ex C. B. 386., qui emancipationem non admittit, *declaratio maioritatis* haberi potest anno 18° aetatis. — *Solvitur* item, *si pater patria potestate abutatur*, accedente sententia criminis, C. I. Poen. 392.; C. H. 171.; C. B. 1666. 1680.; C. A. 177. 178. Patria potestas in pietate debet non atrocitate consistere. — Si superstes sit mater, illam simpliciter non amittit, quamvis ad alias transeat nuptias. Potest tamen in hoc casu ex C. I. 237. a bonorum filii administratione removeri. Ex C. B. 1697. mater transiens ad alias nuptias amittit ex parte patriam potestatem. Cf. C. L. 155. seqq. — Parentibus interdictis, furiosis, amentibus, eorum patria potestas suspensa manet, C. I. 220. 229. seqq.; C. A. 179.; C. L. 168.; C. B. 1676. seqq. — Soluta patria potestate, filiusfamilias *sui iuris* efficitur. Sive autem sui iuris sit, sive adhuc patriae subsit potestati, cum ipso patrefamilias utiliter contrahere potest, et a 18.° aetatis anno potest testamentum conficere, C. I 763. 1107.; C. A. 271. 569.; ab a. 16°. sed limitate, C. G. 903. 904. — Inst. l. 1. t. 12.

63. *An possit filiusfamilias retinere lucra, quae ex proprio labore, sed non industria separata, in domo paterna ipsi obveniunt?* — Plures et graves theologi negant. Ratio est, quia tunc filiusfamilias laborans non nomine proprio, agere censetur tanquam membrum familiae, et sic omne lucrum bono familiae cedere debet. Illi praeterea non favet, sed obest omnino Ius positivum. Plures etiam et graves theologi affirmant. Ratio est, quia filius peioris conditionis non est, quam famulus; filio ergo cedere debet saltem merces, quae famulo vel extraneae personae laboranti deberetur. Illa certe deberetur filio, si ex conditione sua non tenetur laborare, et extraneam personam supplet, vel si extraordinarium et indebitum omnino laborem in domo paterna impendat. C. L. 144. Neque vero in duobus hisce casibus obesse videtur Ius positivum, cum sint extraordinarii, et, legitima epicheia, non comprehensi positivo Iure, quod casus respicit communiter contingentes. Sed tunc deducendae semper sunt expensae, quas fecerit pater in eo alendo, sustentando, edu-

cando, etc. Eas enim facere non tenebatur pro filio potente lucrari et volente. — Inst. l. 2. tit. 9.; L. 1. 3. n. 488. 3.° 544. 910.; S. Th. 2. 2. q. 57. a. 4.; Ithur. Cas. 3.; Gousset 683. 684. 991.

64. *An filius habeat dominium perfectum in bona mobilia ipsi data a parentibus aut cognatis?* — R. Affirmative, si primo usu sint consumptibilia, quia ipsi ad usum absolute dantur, nisi forte aliqua restrictio apposita fuerit, ut esset pecunia ad libros emendos, ad pensionem solvendam, etc. — « Si non sint primo usu consumptibilia, ut libri, vestes, etc., filius non habet generatim nisi dominium utile, quia parentes fere non aliud ipsi conferre intendunt ». Ita Gur. 546. Verum dicendum potius videtur, eo ipso quod filii possint continuato usu propter propriam utilitatem res has consumere et destruere, habere dominium harum rerum etiam directum, licet forte restrictum, et non omnino absolutum, quatenus ex mente dantis, non nisi in eorum utilitatem res sit tota convertenda, ut, e. g., videre est in libris, vestibus, etc.

65. *An filius censeatur renuntiare usuifructui, ad quem ius habet, si eo vidente et tacente, pater hunc usumfructum percipiat?* — R. Negative, saltem generatim loquendo. Ratio est, quia silentium in tantum aequivaleret renuntiationi, in quantum filius facile reclamare posset. Iam vero, quin id facile possit, plerumque metus reverentialis obstat. — Ex C. I. 234. si, cessante usufructu, adhuc pergant parentes illum percipere, filio apud ipsos morante, et quin constituta fuerit conditio reddendae rationis, parentes vel eorum haeredes non tenentur nisi ad fructus exsistentes a die, quo postulantur.

IV. — DE OBLIGATIONIBUS PARENTUM ERGA FILIOS.

66. *Quaenam sit propria parentum obligatio?* — Parentes principium sunt exsistendi filiorum; et filii aliquid patris sunt. Quare, praeter amorem, parentes debent filiis sive legitimis sive illegitimis *providentiam*, scilicet filiis providere debent *quoad corpus, quoad animam, quoad statum*. L. 336.; S. Th. 1. 2. q. 100. a. 5. ad 4., 2. 2. q. 26. a. 9.

67. *Debent amorem.* Nam quemadmodum quisque seipsum amare debet, ita parentes filios, veluti aliquid sui, carnem de carne sua sincere diligere tenentur; adeoque, quantum in ipsis est eorum bonum curare, eisque in omni re et quoad corpus et quoad animam prospicere debent. Haec amoris obligatio nunquam cessat, quamvis alia educationis obligatio cessat maiori filii aetate vel eius emancipatione.

Apposite S. Thomas 1. 2. q. 100. a. 5. ad 4. « Dicendum, quod

statim ratio naturalis homini dictat, quod nulli iniuriam faciat. Et ideo praecepta Decalogi prohibentia nocumentum extendunt se ad omnes. Sed ratio naturalis non statim dictat, quod aliquid sit pro alio faciendum, nisi cui homo aliquid debet. Debitum autem filii ad patrem adeo est manifestum; quod nulla tergiversatione potest negari; eo quod pater est principium generationis, et esse, et insuper educationis et doctrinae. Et ideo non ponitur sub praecepto Decalogi, ut aliquod beneficium vel obsequium alicui impendatur nisi parentibus. Parentes autem non videntur esse debitores filiis propter aliqua beneficia suscepta, sed potius e converso. Filius etiam est aliquid patris, et patres amant filios ut aliquid ipsorum, sicut dicit Philos. in 8 Ethic. Unde eisdem rationibus non pronuntur aliqua praecepta Decalogi pertinentia ad amorem filiorum, sicut neque etiam aliqua ordinantia hominem ad seipsum ».

68. *Providentiam debent quoad corpus;* adeoque graviter parentes peccant si eos, nondum in lucem editos, periculo exponunt abortus, si natos iam exponunt publicis misericordiae locis, nisi id faciant ex gravi causa. Eos praeterea alere debent, nisi tamen aliunde se alere possint et non indigeant, sive sint legitimi, sive illegitimi sive *spurii*, *C. Cum haberet* 5. *de Eo qui dux.*; C. I. 752.; C. G. 762.; C. H. 139.; C. A. 166.; C. B. 1602. 1667. 1705. 1708. Et si agatur de alimento ad vitam necessario, filium alere tenentur, quamvis iste portionem bonorum sibi a parentibus datam dissipaverit, quia semper filius est. — Ad id autem tenentur simul pater et mater ex C. I. 138.; C. G. 203.; vel pater primum, ut ex Iure Communi, L. 9. C. *de Patr. potest.*, ex Iure Canonico, C. 2 *de Convers. infid.*, C. A. 141. 143. 167.; C. A. 155.; C. B. 1634. 1709. 1739.; C. L. 140. — Adoptivum etiam alere debet adoptans, C. B. 1766., in casu necessitatis ex C. I. 211. — Mater vero tenetur lactare prolem proprio lacte. Id enim postulat ipsa lex naturalis. Attamen haec obligatio *per se* non urget sub gravi; cum gravis deordinatio secus non habeatur. A levi autem culpa excusat *necessitas,* si, e. g., mater sit debilis; *notabilis utilitas,* si, e. g., mater deberet aliam occupationem deserere, qua sustentationem sibi et suae familiae comparat; *consuetudo* apud nobiles familias vigens. Tunc vero mater tenetur sub gravi peccato bonam nutricem quaerere. — L. 336. 949. 951.; C. A. 218.; C. B. 1635.; C. L. 148.

69. *Providentiam debent quoad animam*; quare sub gravi parentes debent filios docere ea, quae necessaria sunt *ad aeternam salutem*, eos bonis moribus imbuere verbis et exemplis, a proximis peccandi occasionibus arcere, debita moderatione corrigere, ne ad iracundiam provocati peiores fiant, eosque delinquentes coercere, implorato etiam iudicis officio, si necesse sit, C. I. 222.; C. G. 377.; C.

H. 155. 156.; C. A. 145.; C. B. 1631.; C. L. 143. Quapropter graviter peccant parentes, sinentes filios libere pravis sociis comitari, pravos libros et ephemerides legere, pravas officinas et scholas frequentare, nisi adsit gravissima causa eos excusans, et harum officinarum et scholarum pericula removeantur. Leo XIII. Litt. Enc. *Sapientiae christianae* 10. Ian. 1890. § *Locus admonet.* — L. 339.

Parentum defectu, ascendentes, avus et avia, filios seu nepotes educare tenentur; primo autem loco avus paternus, qui loco patris succedit, ante maternum. Educationis obligatio, cum sit ex iure naturae, etiam ad filios illegitimos extenditur. Ex civilibus legibus parentum defectus tutore vel curatore suppletur. C. L. 100. 185.

70. Potestas *patris in filium* non est potestas *proprietatis*, uti in rem aliquam sibi utilem, sed est potestas *quaedam iurisdictionis* in personam filii et in bonum ipsius filii, quae proprie dicitur et est potestas *dominativa*, quum tamen filii aliquid patris sint. Potestas est non solum regendi seu directiva, sed etiam urgendi seu coactiva. Quare pater habet potestatem filium educandi disciplina et correptione, ad Eph. 6., 4. Verum haec potestas debita circumscribitur moderatione, ut monet etiam Apostolus Paulus l. c. Ad rem S. Th. 2. 2. q. 65. a. 2.: « Pater et dominus, qui praesunt familiae domesticae, quae est imperfecta communitas, habent imperfectam potestatem coercendi, secundum leviores poenas, quae non inferunt irreparabile nocumentum, et huiusmodi est verberatio ».

71. *Providentiam debent quoad statum*; unde parentes debent filios arte aliqua vel litteris instituere, secundum morem regionis et conditionem familiae. Curare debent, ut filii, qui velint matrimonium inire, honestum ineant matrimonium; et, si filiarum pudicitia in periculo ideo versetur, debent saltem ex caritate eas dotare. Quin immo non desunt qui absolute tenent, patrem obligari ad dandam dotem filiae, quod C. H. 1340. 1341. et C. A. 1220. 1222. 1231. praescribitur, sive contrahat dignum matrimonium, sive religionem ingrediatur, itemque obligari ad dandum patrimonium filio, qui velit sacerdotium suscipere, L. l. 6. n. 819. Ratio est, quia ut pater debet filiis honestam et convenientem collocationem procurare, ita tenetur ipsis media ad illam obtinendam necessaria suppeditare. Attamen ex C. I. 147. et ex C. G. 204. nulla filiis competit *actio* contra parentes, nolentes quidquam suo patrimonio detrahere, ut filii aut filiae matrimonium inire possint, aut alio simili titulo. Cf. C. B. 1610. 1620. 1621. — Si parentes sua bona dilapident, et ideo filios egenos derelinquunt, gravi profecto non vacant peccato. Neque a peccato excusari possunt, si non adhibeant saltem mediocrem diligentiam, ut acquirant bona, quibus filii alantur, habeantque haereditatem

secundum suum statum. Maxime vero tenentur proli relinquere libertatem quoad electionem status; et graviter peccant invitos ad matrimonium vel religionem cogentes vel eos avertentes a tali statu. — L. 336. 337. 339. 740.; S. Th. 2. 2. q. 101. a. 2.; Ferraris v. *Dos* a. 2. n. 1.-5.; Sanchez de Matr. d. 26. n. 7.; C. I. 138. 230.; C. G. 203. 385.; C. A. 139. 148.; C. H. 155.

« Possessiones... ad conservationem naturalis vitae ordinantur; et quia naturalis vita, quae conservari non potest in patre perpetuo, quasi quadam successione secundum speciei similitudinem conservatur in filio, secundum naturam est conveniens, ut in his quae sunt patris succedat filius. Naturale est igitur ut sollicitudo patris ad filium maneat usque ad finem vitae suae ». S. Th. C. G. l. 3. c. 123.

72. *An parentes filios aliquando exhaeredare possint?* -- R. Affirmative; ob iustam tamen et gravem causam criminis contra ipsos parentes, quod talem poenam mereatur. Id constat primo iure naturali. Aequum enim omnino est, ut parentes possint filios, in ipsos graviter iniuriosos, tali poena plectere, et eiusdem poenae timore in proprio officio continere. Constat praeterea iure positivo. Etenim *Ius Romanum* hanc potestatem in parentibus agnoscit, et plures casus determinat, quibus parentes filios exhaeredare possunt. Ac ob eandem criminis rationem possunt filii exhaeredare parentes, et fratres exhaeredare fratres. *Novella* 115. cap. 3. 4., *Novella* 22. cap. 47. — Idem ex *Iure Hispano* habetur 848. seqq.; et *ex Iure Austriaco* 768. seqq.

Ex Iure Italico 725. 1081., et *ex Iure Gallico* 727. 955. 1046. 1047., non habetur quidem exhaeredatio proprie dicta, sed generatim statuitur incapacitas et indignitas succedendi ratione criminis, et revocabilitas ipsius donationis factae ratione ingratitudinis, ob determinata quaedam delicta; si nempe 1.° vitae testatoris fuerint insidiati; 2.° si alio crimine, saevitiis vel gravibus iniuriis rei in eum fuerint; 3.° si alimenta ei denegaverint; 4.° si calumniose eum gravis criminis capitalis ex Iure Gall. accusaverint; et 5.° ex Iure Ital., si ad testamentum condendum vel mutandum coegerint, vel ab eo condendo aut revocando impediverint. — L. 340. 948. 949.; Ferraris v. *Exhaeredatio.*

Ex Iure Germano 1938. 2333. seqq. 2339. seqq. potest quis testamento consanguineum vel coniugem excludere a successione, quin heredem instituat. — Variae praeterea causae indignitatis ad successionem assignantur, quas causas, successione devoluta, opponere potest quilibet habeat interesse in exclusione indigni. — Ac propter graviora quaedam, maxime contra pietatem crimina, eadem fere, ac ea quae indignitatem ex C. I. et ex C. G. constituunt, potest

quis, testamento, suo necessario haeredi adimere portionem ex lege ipsi reservatam. — Quando aliquis descendens prodigus fuerit, vel graviter aere alieno oneratus, potest testator reducere portionem lege reservatam illi descendenti, eam attribuendo aliis haeredibus legitimis, tanquam substitutis fideicommissariis. Potest etiam administrationem committere executori testamentario, et descendens ius tunc habet ad integros annuos reditus.

73. *An parentes teneantur in foro conscientiae legitimam filiis secundum leges relinquere?* — Parentes, verius et secundum communem doctrinam, debent ex civili lege *legitimam* post mortem relinquere filiis suis, sive maribus sive feminis, *naturalibus et legitimis*, immo etiam *naturalibus iure agnitis et legitimatis*, nec non *legitimis* seu *adoptivis*, nisi gravis adsit causa. Lex enim iusta est, et in conscientia quidem obligans. Parentes de lege naturali providentiam filiis debent quoad corpus et quoad statum. Quare lex positiva *legitimam* determinans reapse legem naturalem interpretatur et definit. Sed rariores quosdam necessitatis casus non excludit, quibus aliter agendum ipsum filiorum et familiae bonum suadeat; quod etiam timoratorum praxi confirmatur. — L. 215. 740. 947. 950., H. A. 237.; La Croix p. 3. l. 2. n. 1173.; Gousset 794.

Nullum vero dubium est, quod possint parentes, attentis civilibus legibus, *manualia dona* praesertim remuneratoria filiis facere; si enim haec non prohibentur pro amicis, neque pro coniunctis prohibentur, aut pro piis causis. Possunt praeterea etiam, iisdem personis, maioris momenti dona efficere, si ex meris reditibus fiant; quia horum sunt pleni et liberi domini, neque, ipsis civilibus legibus, tenentur patrimonium reditibus augere. Tandem, si iusta et proportionata gravis adsit causa, possunt etiam, si *legitima* filiorum non laedatur, donationem efficere ex iis quoque, quae patrimonium constituunt. Ratio est, quia lex, *legitimam* determinans, hanc dat parentibus facultatem, ut de reliquis bonis libere disponant pro aliis. Si ergo pater ea aliis extraneis relinquere potest, donare potest etiam ipsis filiis, si rationabilis adsit causa ita agendi, et *legitima* non laedatur. — Illud autem notandum est, quod habet Lugo d. 23. n. 147., nempe « parentes, si *inofficiose* donaverint, h. e. in praeiudicium *legitimae* filiorum, eorum donationes revocari possunt a filiis. Non tamen est *invalida* donatio, sed *irritari potest* ». Idque valet etiam in Iure Italico et Gallico; non enim in utroque hoc Iure dicitur quod *est irrita*, sed quod *erit irrita*. C. I. 821.; C. G. 920. — L. 740. 950.

74. Haec Cl. D'Annibale Summ. Theol. Mor. P. 2. n. 601. ed. 2.ª; n. 573. ed. 4.ª: « Verius *ex iure civili*, parentes debent post mortem suam filiis suis sive maribus sive foeminis, natis ex iustis nuptiis, vel adoptivis, immo et naturalibus iure agnitis, non

tamen spuriis, *legitimam* relinquere. *Ex iure civili;* nam *si iure naturali* tenerentur, spuriis quoque relinquenda esset. Num igitur peccent letaliter qui filiis relinquunt *minus legitima*, plus extraneis, vel in pios usus largiendo; vel *integram* quidem, sed non aequam singulis? Nempe, si nec filii, quibus detrahunt, egeant detracto; et aliis adiiciant ex iusta causa..... Si rem aextimare licet ex communi fere omnium parentum sensu et affectione, quasi ex quodam naturali iure, reor non esse inquietandos, regulariter, 1.° quoad donationes seu largitiones, quae fiunt *brevi manu:* vix enim est, ut quis id sibi nefas ducat; dum ne hoc ingens aliquid sit, vel in odium liberorum fiat. Nec 2.° si aliquid feminis detrahunt, praesertim nuptis, ut maribus adiiciant; et revera vix aliquis est qui id praestare non studeat, quavis arte et fallacia ad legem eludendam adhibita. Nec demum 3.° qui ex gravi causa uni ex maribus plus relinquunt. Adeoque nec hi inquietandi erunt, qui ab eis acceperint, quoad per sententiam iudicis restituere cogantur ».

V. — DE SCHOLIS.

75. Familia societas est omnino naturalis, quam Deus ipse constituit, et ecclesiasticae ac civili societati praesupponitur; utraque enim sine familia, quae prima societas est, et aliarum fundamentum, neque esse neque concipi potest in praesenti rerum ordine. Hinc statim et facile conclusio deducitur, ad parentes primum filios pertinere, neque civilem statum eos sibi posse vindicare ad eos et corporaliter et moraliter educandos, exclusa opera parentum. Qui id asserunt et faciunt ipsa naturae iura denegant et violant. Quare parentes et ius et obligationem simul habent filios christiane educandi, secundum propriam christianam et catholicam religionem, quae sola vera est. Recta filiorum educatio in veritate non in errore consistit

76. Civilis societas nullo pacto id praepedire potest: sed e contrario adiutricem operam conferre tenetur. Societatis enim politicae elementa proxime familiae sunt, quae, cum sint societas imperfecta, civili societate, quae societas perfecta est, evolvuntur et explicantur. Haec enim sola est, quae satis superque sit ad plane satisfaciendum humanis necessitatibus, et ad evolvendas vires, quibus homo ad perfectionem nititur sibi consentaneam. Cum igitur familia in civitatem vel regnum excrescit, praeexistentia sua iura non amittit, sed perficit. Et ideo ex civili vinculo superaddito debet ea et facilius exercere et plenius evolvere. In civili societate illa ulterior quaeritur perfectio, quae in societate domestica obtineri non potest.

77. Praedictum ergo christianorum parentum ius et obligatio

proprios filios in christiana et catholica religione educandi a societate civili supprimi non potest; neque illud sibi civilis societas potest vindicare, uti non potest sibi vindicare e. g. curam ordinis oeconomici seu domestici. Hinc in Enc. *Quanta cura* Pii IX. expresse damnantur profitentes « societatem domesticam seu familiam suae existentiae rationem a iure dumtaxat civili mutuari, proindeque ex lege tantum civili dimanare ac pendere iura omnia parentum in filios, cum primis vero ius institutionis educationisque curandae ». Apposite Leo XIII.: « Patria potestas est eiusmodi, ut nec extingui neque absorberi a republica possit, quia idem et commune habet cum ipsa hominum vita principium. *Filii sunt aliquid patris*, et velut paternae amplificatio quaedam personae: proprieque loqui si volumus, non ipsi per se, sed per communitatem domesticam, in qua generati sunt, civilem ineunt ac participant societatem ». Enc. *de Condit. opificum.*

78. Quam autem grave sit hoc parentum ius et simul obligatio filios christiane educandi in catholica fide, facile patet ex eo quod, quamvis matrimonii inseparabilitas ad naturalem ordinem mutuae iustitiae inter homines servandae pertineat, nihilominus in gratiam fidei, divina interveniente auctoritate, coniugi ius adimitur, quod alter in alterum adquisivit ex contractu matrimonii, et quod naturaliter perpetuum est; scilicet ratione altioris finis supernaturalis, quem Deus sapientissimus intendit. « Matrimonium, ait S. Tho. 4. D. 39. q. 1. a. 2., principaliter est institutum ad bonum prolis, non tantum generandae, quia hoc sine matrimonio fieri posset; sed etiam promovendae ad perfectum statum; quia quaelibet res intendit effectum suum naturaliter perducere ad perfectum statum. Est autem in prole duplex perfectio consideranda, scilicet *perfectio naturae* non solum quantum ad corpus, sed etiam quantum ad animam, per ea quae sunt de lege naturae, et *perfectio gratiae*. Et prima perfectio est materialis et imperfecta respectu secundae. Et ideo, cum res quae sunt propter finem sint proportionatae fini; matrimonium, quod tendit ad primam perfectionem, est imperfectum et materiale respectu illius quod tendit in perfectionem secundam, » et consequentur propter defectum istius secundae perfectionis, nempe gratiae et fidei matrimonium infidelium, licet naturaliter inseparabile, minorem tamen firmitatem habet quam matrimonium fidelium. « Semper autem firmius vinculum solvit minus firmum, si sit ei contrarium; et ideo matrimonium, quod post in fide Christi contrahitur, solvit matrimonium quod prius infidelitate contractum erat ». S. Th. 4. D. 39. q. 1. a. 5. ad 1.

79. Iam vero si parentes hoc habent nobilissimum ius et gravissimam obligationem filios in christiana et catholica fide educandi, filii e

contrario nullum habent ius hanc repudiandi educationem, sed eam omnino docili animo acceptare tenentur. Idque non solum naturali patet ratione, sed diserte Sacris Litteris asseritur. Proverbiorum cap. 1.°, vers. 8°. et 9°. dicitur: « Audi, fili mi, disciplinam patris tui et ne dimittas legem matris tuae .. Fili mi, si te lactaverint *peccatores*, ne acquiescas eis ». Et iterum cap. 6.° vers. 20.° et 21.°: « Conserva, fili mi, praecepta patris tui, et ne dimittas legem matris tuae. Liga ea in corde tua iugiter, et circumda gutturi tuo. Cum ambulaveris, gradiantur tecum; cum dormieris, custodiant te; et evigilans loquere cum eis ». Et Apostolus Paulus ad Coloss. cap. 3°. vers. 20°.: « Filii-ait, obedite parentibus per omnia; hoc enim placitum est in Domino »,

80. Praedictum in filios ius parentes exercere per seipsos possunt, et per alios, qui loco parentum sunt et parentum delegatione funguntur. Hi regulariter scholarum magistri sunt. Scholae igitur pro suis filiis a parentibus seligendae sunt, in quibus christiane et catholice educentur, secundum eorundem parentum religionem. In. vigilare praeterea tenentur parentes, ne ex magistris, ex libris, ex condiscipulis eorum filii periculum obeant propriae animae. Quod si contingat, mature debent parentes proprios filios ab huiusmodi perversis scholis revocare.

81. In praesenti autem societatis statu procul dubio necessitas quaedam adest pro filiisfamilias publicas scholas frequentandi. ut convenienția vitae subsidia possint deinde ipsi sibi comparare. Elementaris etiam in litteris institutio licet non sit absolute omnibus necessaria; necessaria tamen est: qui ea carent multis, neque paucis neque exiguis, obnoxii sunt difficultatibus et incommodis ad vitam decenti ratione transigendam, et ad fidei etiam et morum damna avertenda.

82. Quapropter in christiana et catholica natione eius rectores gravi tenentur obligatione christianas et catholicas scholas constituendi tum potissimum elementares, in quibus prima puerorum institutio habetur, tum etiam medias et superiores scholas. In omnibus enim huiusmodi scholis, etiam in mediis et in superioribus, graviora et gravissima adesse possunt pro pueris et adolescentibus pericula quoad fidem et quod mores. Quam quidem gravem obligationem si Gubernia implerent, id bono cederet summo familiarum et ipsarum nationum. Uti enim familiarum ingenti damno, ita et luctuosissimae catholicarum nationum perniciei sunt athei omnes, indifferentistae, liberi cogitatores, sectarii, massones, haeretici, modernistae, omnes iniqui et impii homines.

83. Societatis rectores a sua aberrant gravissima pro publico etiam bono obligatione, scholas constituendo positive acatholicas, in quibus infidelitas, haeresis, impietas et iniquitas palam in ore atque

in oculis omnium docentur, vel scholas constituendo neutras, quae in puerorum institutione e positivo religionis magisterio praescindunt. Quod vero cum vix practice sit possibile, id quod in huiusmodi scholis, saepe saltem, si non semper, de religione dicitur, contra catholicam religionem dicitur. Ac quamvis in huiusmodi neutris scholis nihil contra religionem dicatur, eae tandem neutrae revera non sunt; nam pueros ipso silentio a religione arcent, et ad indifferentismum et atheismum sponte adducunt sua. Quod ipso patenti facto nostri temporis ubique locorum confirmatur.

84. Ubi schola simul adest catholica, positive acatholica et neutra, non possunt parentes, sine gravi peccato, ad has proprios filios mittere, nisi grave omnino pro ipsis vel ipsorum filiis damnum immineret. Id quidem tunc tolerari potest, ea tamen absoluta conditione, ut proximo aeternae salutis periculo pueri et adolescentes non exponantur. Proximum in huiusmodi scholis periculum remotum reddendum est. Solers ergo vigilantia adhibenda est a patribusfamilias, ne eorum filii damnum patiantur. Ipsi extra scholam proprios filios instituere debent in iis, quae ad catholicam fidem et ad christianam ducendam vitam scire oportet, eosque praesertim docere ea, quae in praedictis scholis impugnantur. Idque autem parentes praestare poterunt vel per seipsos vel per alios idoneos praesertim sacerdotes, quorum assidua opera provideant religiosae propriorum filiorum instructioni. Neque vero sola fides in tuto collocanda est, sed morum etiam honestas maxime quoque est attendenda. Atque hoc aliud non minus grave morum periculum profecto est in illis scholis, quae mixtae sunt, quas nempe pueri et puellae utriusque sexus promiscue simul frequentant.

85. Porro, si his quae modo sunt constabilita praeceptum addatur a Iesu Christo factum Apostolis eorumque successoribus: « Euntes docete omnes gentes... Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis ». Matth. 28., 19. 20., facile intelligitur iure omnino proscriptos fuisse in syllabo sequentes errores:

« 45. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus iuventus christianae alicuius Reipublicae instituitur... potest ac debet attribui auctoritati civili..... »

« 47. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholae, quae patent omnibus cuiusque e populo classis pueris, ac publica Instituta, quae litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi iuventutis curandae sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiae auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subiiciantur ad imperantium placita et ad communium aetatis opinionum amussim ».

« 48. Catholicis viris probari potest ea iuventutis instituendae

ratio, quae sit a catholica Fide et ab Ecclesiae potestate seiuncta, quaeque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines tantummodo vel saltem primarium spectet ».

86. Quae hactenus dicta sunt operae pretium est confirmare doctrina tradita a Leone XIII. in sua Epist. Enc. ad Episcopos Galliae, *Nobiliss'ma Gallorum gens,* diei 8. Febr. a. 1884. Gravissimis verbis monet Summus Pontifex parentes, ut eorum filii in catholicis ac rite institutis scholis educentur. « Ac primo quidem, inquit, ad societatem domesticam quod attinet, interest quam maxime susceptam e coniugio christiano sobolem mature ad religionis praecepta erudiri; et eas artes, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, cum institutione religiosa esse coniunctas. Alteras seiungere ab altera idem est ac reipsa velle, ut animi pueriles in officiis erga Deum in neutram partem moveantur: quae disciplina fallax est, et praesertim in primis puerorum aetatulis perniciosissima, quod revera viam atheismi munit, religionis obsepit, Omnino parentes bonos curare oportet, ut sui cuiusque liberi, cum primum sapere didicerunt, praecepta religionis percipiant, et ne quid occurrat in scholis, quod fidei morumve integritatem offendat et ut ista in instituenda sobole diligentia adhibeatur, divina est naturalique lege constitutum, neque parentes per ullam caussam solvi ea lege possunt. Ecclesia vero integritatis fidei custos et vindex quae, delata sibi a Deo conditore suo auctoritate, debet ad sapientiam christianam universas vocare gentes, itemque sedulo videre quibus excolatur praeceptis institutisque iuventus, quae in ipsius potestate sit, semper scholas, quas appellant *mixtas* vel *neutras* aperte damnavit, monitis etiam atque etiam patribusfamilias, ut in re tanti momenti animum attendant ad cavendum. Quibus in rebus parendo Ecclesiae, simul utilitati paretur, optimaque ratione saluti publicae consulitur. Etenim quorum prima aetas ad religionem erudita non est, sine ulla cognitione adolescunt rerum maximarum, quae hominibus alere virtutum studia, et appetitus regere rationi contrarios solae possunt. Cuismodi illae sunt de Deo Creatore notiones, de Deo iudice et vindice, de praemiis poenisque alterius vitae expectandis, de praesidiis coelestibus per Iesum Christum allatis ad illa ipsa officia diligenter sartaque servanda. His non cognitis, male sana omnis futura est animorum cultura: insueti ad verecundiam Dei adolescentes nullam ferre poterunt honeste vivendi disciplinam, suisque cupiditatibus nihil unquam negare ausi, facile ad miscendas civitates pertrahentur ».

87. Tam quidem verum est id quod idem Summus Pontifex asserit laudatis Litteris, molimenta omnia, quae Ecclesiae nocent, ipsi quoque esse perniciosa et funesta reipublicae, propterea quod

fieri non potest, ut prosperitas civitati comitetur, virtute religionis extincta. Haec igitur floreat, et maxime floreat, et in Gallia et in Italia et in Hispania et in Lusitania, et in Germania et in Austria, et in Anglia et in Russia, in Europa, in America, in universo orbe; et in universo orbe pax summa regnabit, et cum pace vera nationum prosperitas, hominumque felicitas; aeternae felicitatis initium.

VI. — DE CONIUGUM OBLIGATIONIBUS

88. Coniugum obligationes ex matrimonio derivantur.

Inspicere igitur primum oportet causam finalem, ad quam matrimonium per se ordinatur. Est enim in re qualibet causa finalis prima et fundamentalis regula caeterorum omnium, quae in ea sunt. Maxime vero ab ea pendet consideratio moralis honestatis cuiuslibet rei. Porro « per matrimonium ordinantur aliqui ad unam generationem et educationem prolis, et iterum ad unam vitam domesticam ». Hinc matrimonium est legitima coniunctio viri et feminae ad unam generationem et educationem prolis et ad unam vitam domesticam, et « secundum hanc coniunctionem dicitur maritus et uxor ». S. Th. 4. D. 27. q. 1. a. 1. Sol. 1. Maritus et uxor constituunt unum adaequatum principium humanae generationis. Primus ergo et fundamentalis matrimonii finis, *principalis*, *principalior finis* ex S. Th., est humanae prolis legitima procreatio et educatio. S. Th. 4. D. 26. q. 1. a. 1., D. 33. q. 1. a. 2. Ex eo alter profluit secundarius matrimonii finis, mutuum auxilium, quod et praesupponit illud unum indivisum humanae prolis principium constitutum, et ad convenientem humanae sobolis susceptionem et educationem ordinatur. Unde S. Thomas, ex S. Augustino, ait loc. cit. Sol. 2., matrimonium dicitur « ex hoc quod mulier non debeat ob aliud nubere, nisi ut sit mater ».

89. Hinc inter virum et mulierem vera societas est, *societas coniugalis*. Apposite S. Th. S. q. 41. a. 1.: « *Secundarius finis matrimonii* est mutuum obsequium sibi a coniugibus in rebus domesticis impensum. Sicut enim naturalis ratio dictat, ut homines simul cohabitent, quia unus non sufficit sibi in omnibus, quae ad ipsam vitam pertinent, ratione cuius dicitur homo naturaliter politicus; ita etiam eorum, quibus indigetur ad humanam vitam, *quaedam opera sunt competentia viris, quaedam mulieribus*. Unde *natura movet, ut sit quaedam viri ad mulierem associatio* ».

90. Hoc autem consortium communis vitae propter operum communicationem, uti apparet, nequit esse principalis matrimonii finis, cum illum, nempe *prolem*, praesupponat. Audiatur Ang. Doct.

S. q. 49. a. 2. ad 1.: « *In prole* non solum intelligitur procreatio prolis, sed etiam educatio ipsius, ad quam sicut ad finem ordinatur tota communicatio operum, quae est inter virum et uxorem, in quantum sunt matrimonio coniuncti, quia patres naturaliter thesaurizant filiis, ut patet 2. ad Cor. 12., et sic in prole, *quasi in principali fine*, alius quasi secundarius includitur ».

91 « Matrimonium habet *pro fine principali prolis* procreationem et educationem... pro fine secundario communicationem operum, quae sunt necessaria in vita, et secundum hoc *fidem* sibi invicem debent... Habet ulterius alium finem, inquantum inter fideles est, scilicet significationem Christi et Ecclesiae; et sic bonum matrimonii dicitur *sacramentum*... Remedium (concupiscentiae) secundarius ipsius finis est... Secundum quod matrimonium ordinatur ad suum principalem finem, qui est bonum prolis, uxor viro coniungitur indissolubili coniunctione, vel saltem diuturna... Sed quantum ad secundum finem, qui est dispensatio familiae et communicatio operum, uxor coniungitur viro *ut socia* ». S. Th. S. q. 45. a. 1. c. ad 7. a. 5. c.

92. « Insuper matrimonium ex intentione naturae ordinatur ad educationem prolis non solum per aliquod tempus, sed per totam vitam prolis. *Unde de lege naturae est quod parentes filiis thesaurizent, et filii parentum haeredes sint* ». S. Th. 4. D. 33. q. 2. a. 1. « Inseparabilitas enim matrimonii non ordinatur ad prolis bonum, *quod est principalis matrimonii finis*, nisi quantum ad hoc quod per parentes filiis provideri debet in totam vitam per debitam preparationem eorum, quae sunt necessaria in vita ». S. Th. l. c. qc. 4. Sol. 1.

93. Cum igitur in matrimonio mutuum acquiratur dominium unius in corpus alterius, quo vir et femina fruuntur in ordine ad humanam generationem, *mutua* exurgit coniugum stricta ex iustitia *obligatio* servandi *connubii fidem*. Ac, cum ex ipsa matrimonii natura coniugale vinculum nascatur, etiam altera parte consentiente, nunquam nefarii adulterii crimen poterit abesse, si coniux datam frangat fidem. Alia etiam exurgit *mutua obligatio cohabitationis* ex praedicto dominio et iure possessionis, quod alter habet in alterius corpus. Itemque *obligatio* habetur *mutui amoris*, et amicitia mariti et uxoris, cum sint quasi quid unum. Tandem *parentum obligatio* ex eodem fonte dimanat *in filiorum educatione*. Parentum enim est et esse primum dare propriis filiis, et illos consequenter ad debitam adducere perfectionem physice et moraliter, physica et morali educatione. Filii enim sunt aliquid patris, ut ait Philosophus, et quasi una eademque res cum propriis parentibus; adeoque parentes in hoc officio educationis exercendo, ab ipsa natura imposito, verum habent ius, quo nonnisi iniuria privari possunt. Ut enim naturaliter quis amat seipsum, et hoc eodem naturali amore ipsa naturae vi

inclinatur ad perfectionem sibi debitam acquirendam, ita etiam eodem naturali amore prosequitur quod ei intime coniungitur, et ad eum pertinet, et consequenter ad eius promovendam perfectionem incitatur. Propinquissimi autem parentibus filii sunt, eisque naturaliter coniuncti, ut ipso naturali instinctu confirmatur.

94. Contra connubii fidem servandam difficultas exoriri potest ex eo quod forte mulier sterilis sit, et matrimonium sit ad prolem procreandam. — Responsio valet, quae a S. Th. affertur contra inseparabilitatem matrimonii ex eodem capite. — « Matrimonium principaliter ordinatur ad bonum commune ratione *principalis finis*, *qui est bonum prolis*, quamvis etiam ratione *finis secundarii* ordinetur *ad bonum matrimonium contrahentis*, *prout per se est in remedium concupiscentiae*. Et ideo in legibus matrimonii magis attenditur quid omnibus expediat quam quid uni competere possit. Quamvis ergo matrimonii inseparabilitas impediat bonum prolis in aliquo homine, tamen est conveniens ad bonum prolis simpliciter, et propter hoc ratio (obiecta) non sequitur », nempe quod inseparabilitas matrimonii est contra bonum prolis, quia aliquis vir ex accidentali quadam causa non potest ex aliqua femina prolem accipere, *qui tamen ex alia concipere posset*, *et quae etiam ex alio viro impregnaretur*. S. Th. 4. D. 33. q. 2. a. 1. ad 4. Porro, ut patet, etiam simplex adulterium cederet in gravissimum detrimentum status coniugalis et prolis. Unde omnibus gentibus detestabile crimen est.

95. Hinc matrimonium definitur C. 11. *de Praesumptionibus* et Inst. l. 1. t. 9. § 1.: Maris et feminae coniunctio individuam vitae consuetudinem retinens. *Individuam vitae consuetudinem* affert, « idest non temporaneam, sed per se duraturam usque ad mortem. Vitae consuetudo significat *tum in primis ius mutuum cum relativa obligatione in corpus alterius in ordine ad prolem generandam et educandam*, seu *ius coeundi*, *uti dicunt;* tum deinde communionem tori, mensae, et habitationis in unione animarum per mutuum amorem et in aliquali unione bonorum. Proinde matrimonium utrique parti affert *tum ius cum relativa obligatione exclusivum et perpetuum in corpus alterius in ordine ad prolem generandam et educandam* ex 1. ad Cor. 7., 4.; tum communionem tori, mensae et habitationis in unione voluntatum ac bonorum ». Gasparri de Matrim. n. 205. vol. 1., ed. Paris 1891. pag. 119.

Et Cod. Austr. art. 44. « I rapporti di famiglia si stabiliscono col contratto di matrimonio. Nel contratto di matrimonio due persone di differente sesso dichiarano nel modo voluto dalla legge la volontà di vivere in consorzio inseparabile, di procreare figli ed educarli, e di prestarsi reciproca assistenza ». — C. L. 1054.

96. Hisce praestitutis, iam satis superque apparent coniugum

obligationes. Hae generatim aliae sunt *quoad personas*, aliae *quoad bona*, aliae *quoad corpus*. Dicemus hic tantum de obligationibus quoad personas, quae proprie huc pertinent, et quoad bona, quae potius ad Tractatum de iustitia spectant, praetermissis illis quoad corpus, de quibus agitur in Commentario de sexto et nono Decalogi Praecepto.

97. Obligationes *quoad personas*, aliae mutuae, aliae alterutrius tantum propriae sunt. Mutuae sunt: mutuus amor, mutuum adiutorium quoad corpus et quoad animam, coniugale debitum et consequenter communis habitatio, communis mensa, communis torus. Marito competit potestas maritalis in uxorem, et praecipua patria potestas in liberos; et uxorem ipse secundum propriam conditionem alere tenetur. Uxori tanquam matri competit prolem educare, licet dependenter a marito, et curam rei familiaris habere, dependenter etiam a marito, a quo convenientem sustentationem accipiendi ius habet. — Caput uxoris est vir, adeoque uxor sub viri potestate est, in iis quae ad matrimonium, i. e. quae ad individuam vitae consuetudinem pertinent. ad Eph. 5., 22. seqq.; C. A. 91. Quare uxor sine consensu viri, nequit obligari *voto*, S. Th. 2. 2. q. 88. a. 8. ad 3.; L. l. 3. n. 234.; nequit regulariter obligari *contractu;* nequit sine consensu viri *peregrinari*, et *viri domicilium* regulariter *sequi debet*, C. I. 131. 134. 135.; C. G. 214. 217. 220. 221. 222.; C. H. 58.; C. A. 91. 92 ; C. B. 1554.; licet sine causa maritus domicilium mutet; dummodo uxor possit eum sequi sine gravi seu animae, seu corporis detrimento, et C. L. 1186. non in extraneam nationem. Eodem C. L. 1187. non potest uxor scriptum publicare sine consensu viri. — C. *Pervenit* 1. *de Coni. lepr.*; Sanch. de Matr. l. 1. d. 41. n. 2. 4.; L. 251. l. 6. n. 977.; S. q. 64. a. 6. ad 1., Quodl. 4. a. 11.

98. Bonorum domus administrationem uxor habet; sed viro *reverentiam, obsequium et obedientiam*, *praestare debet*, in iis quae spectant ad domus gubernationem et bonos mores. Eius tamen socia, non famula est. Quare, si ipsa est dives, aut nobilis non cogitur praestare viro, quae suae dignitatis non sunt, v. g., coquere cibos, verrere domum, etc. Si tamen viro non obediat *in re gravi*, graviter peccat, et viro modica quaedam coercitio permittitur. 1. Petri 3. 5. seqq.; L. 351. 352. 356., l. 6. n. 972.; Sanch. de Matr. l. 6. d. 6. n. 14. — C. I. 131.; C. G. 313.; C. H. 57.; C. B. 1354. 1356. 1357.; C. L. 1185. 1189.; Leo XIII. Enc. *Arcanum* 10. Febr. 1886.

99. Vir vicissim *amare* et *tueri debet uxorem*, ad Eph. 5., 25.; C. I. 132.; C. H. 57.; C. G. 213.; C. L. 1185.; eam *alere, cum ea habitare;* adeoque *diu* ipsi abesse non licet, nisi ex gravi causa, Gen. 2., 24.; C. 1. *de Coni. lepr.*; C. I. 130. 132.; C. G. 212. 214.; et ne peregrinationem quidem longam inire, muliere invita, C. 8. *de Voto.*

Non tenetur tamen plerumque maritus secum ducere uxorem, cum magno incommodo et impensis, quando negotiorum causa circumcursari contigerit. C. 9. § *In tanta de Voto.* Peccat vero graviter maritus, si verbis contumeliosis vel infamatoriis afficiat uxorem; si illam impediat circa praecepta Dei vel Ecclesiae sine iusta causa, si graviter caedat uxorem, si gubernationem domus et rem familiarem negligat. Ad Col. 3., 18. 19.; L. 356. — Sanch. de Matr. l. 9. d. 5. n. 17.; S. Th. 2. 2. q. 26. a. 11.

100. In his, quae pertinent ad mutuum vitae adiutorium, paris iuris sunt vir et uxor, cum matrimonium mutui adiutorii causa ineatur. Hinc mutuo sibi debent amorem, *fidelitatem*, *assistentiam*, *subsidium*, ad Eph. 5., 25; ad Tit. 2., 4.; Matth. 19., 5.; 1. ad Cor. 7., 3. seqq.; C. I. 130.; C. G. 212.; C. H. 56.; C. A 90.; C. L. 1184., ac si quid adversi alteri acciderit, particeps alter esse debet. Quare mulier virum alio migrantem valetudinis causa, vel in poenam, et vir mulierem sequi debet, L. 353., l. 6. n. 957. 977., et alteri egenti, etiam in exilium acto sua culpa, vel carceri incluso, immo et ab eo separato, dummodo non sua culpa, si facultates habeat, alimenta debet praestare, et vir alere debet uxorem, etsi indotatam duxerit, vel dos casu perierit. C. I. 132. 133. 142.; C. G. 214.; C B. 1360. 1361.; Sanch. de Matr. l. 9. d. 4. n. 20., d. 5. n. 8. 14.

Neutri fas est, altero invito, *religionem ingredi*, C. un. Extr. *de Voto;* et qui transit, coniuge invito, ad religionem, revocari potest, C. 3. 12. *de Conv. coni.*; nec viro, uxore invita, ordines, immo nec tonsuram fas est accipere, C. 4. *de Temp. ord.* in 6.°, praeter quam si ab ea iuste et ex iure quoad habitationem diverterit. L. l. n. 969.

101. *Nota:* Possunt filii et uxor accipere alimenta a debitis gravato, qui non est solvendo, cum ipse ad eos alendos ex stricta pietate, et etiam ex legali iustitia teneatur; neque minus eos alere teneatur, quam alia solvere debita. Immo id possunt, etiamsi paterfamilias alia contrahat debita, modo tamen ipsi non habeant aliunde sustentationem. Neque vero post patris mortem tenetur filius ea patris debita solvere, si pater nulla filio reliquit bona: illa enim obligatio omnino patris personalis erat. — « Nequit tamen uxor uti ad sustentationem familiae pecuniis a viro datis ad solvenda debita, nisi in casu, quo familia graviter egeret; tunc enim huic prius vir succurrere tenetur, ideoque uxor tunc utitur iure suo. Ita Laym., qui subdit mercedes operariorum ad necessarios usus debitoris praeferendas esse etiam creditoribus hypothecariis ». L. 695. 354.

102. *An coniuges possit aliquando discedere sine alterius consensu?* — R. 1.° « Certum est coniuges teneri ex obligatione iustitiae ad cohabitandum in eadem domo, mensa ac toro ». S. Alph.

l. c. n. 938. Hinc infertur non posse alterum coniugem, altero coniuge invito, alio discedere ad *longum tempus,* nisi iustae adsint causae, nempe ob bonum publicum, ad familiam alendam et tuendam, ad damnum vitandum ab inimicis inferendum, etc., et non possit alterum coniugem adducere in alium locum, ut secum cohabitet sine gravi incommodo. C. *Pervenit* 1. *De Coniugio Leprosorum,* C. *Quod super* 8. *De Voto,* in fine. — 2.° « Vir potest suscipere *brevem peregrinationem,* devotionis causa, etiam invita uxore; hoc tamen non potest uxor sine consensu viri, cum ipsa sit subiecta illius voluntati, et non deceat statum mulierum peregrinari ». S. Alph. l. c. — 3.° « Ex mutuo consensu bene possunt coniuges invicem separari, modo absit periculum incontinentiae, et nocumentum prolis educandae ex illo Apostoli 1. Cor. 7. *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas* ». S. Alph. l. c. — Confirmatur ex clara doctrina S. Thomae Quod. 4. art. 11., ubi quaestionem movet: « Utrum vir possit accipere crucem, uxore nolente, si de eius continentia timeatur ». Respondet S. D.: « Dicendum, quod ea quae sunt necessitatis, non sunt praetermittenda propter ea, quae sunt propriae voluntatis, unde etiam Dominus Matth. 15. reprehendit Pharisaeos, qui docebant praetermittere mandatum de honoratione parentum, ut aliquae voluntariae oblationes Deo offerrentur. Ex necessitate autem viro imminet, ut gerat curam uxoris, quia *caput mulieris est vir*, ut dicitur 1. ad Cor. 11. 3. Sed quod accipiat crucem ad transfretandum, subiacet propriae voluntati. Unde si uxor sit talis, quae sequi non possit, propter aliquod legitimum impedimentum, et de eius incontinentia timeatur, non est ei consulendum, ut accipiat crucem, et dimittat uxorem. Secus autem est, si uxor continere voluntarie proponat, vel velit et possit sequi virum suum ».

103. « Obligatio horum actuum, quibus coniuges adstringuntur, fundatur in ipsa coniunctione corporum et contractu matrimonii, qui de iure naturali, et divino, debet esse perpetuus, et ordinatus ad individuam vitae societatem, ac proles procreandas, alendas, et educandas. Unde haec obligatio est gravis, et pertinet ad virtutem pietatis; cum fundetur in coniunctione corporum, seminis, et sanguinis ». Strugll 20. — C. I. 130.-133., C. G. 212.-214.

VII. — IURA ET OBLIGATIONES CONIUGUM CIRCA BONA

104. Si *Ius naturale* inspiciatur, maritalis societas non impedit, quominus et maritus et uxor retineant proprietatem, usumfructum et administrationem etiam bonorum, quae habebant ante matrimonium, et quae acquirunt durante matrimonio. Concurrere tamen debent ad expensas ob communia onera necessario sustinendas. Convenit autem, ut maritus vel omnem habeat bonorum administrationem, vel uxorem certe coadiuvet, quantum necesse est ad eius imbecillitatem supplendam. — Si vero *Ius positivum* inspiciatur, amplior est hac in re mariti potestas. Hinc varia Iure positivo distinguuntur bona uxoris. — S. Th. 2. 2. q. 57. a. 4.

105. Bona uxoris alia sunt *dotalia*, quorum fructibus vir gaudet ad onera matrimonii sustinenda; alia sunt *paraphernalia*, nempe *praeter dotem*, quae uxor habet praeter dotem, et quae sibi specialiter reservat; alia *communia*, quae pactis coniugum aut determinatione legis in societatem quandam conferuntur. — Possunt coniuges ante ineundum matrimonium determinare quibus conditionibus subiicienda sint ipsorum bona, servatis quibusdam legis statutis. Si haec facere omiserint lex supplebit.

106. Bonorum dotalium, generatim, et per se loquendo, dominium directum penes uxorem permanet. Maritus vero habet eorum administrationem et usumfructum. Bona dotalia, durante matrimonio alienari non possunt, *regulariter* tamen seu ordinarie loquendo; alienari enim possunt ex gravi familiae necessitatis vel utilitatis causa, et de consensu utriusque coniugis. Si dos durante matrimonio augeatur vel pereat uxori augetur vel perit; soluto matrimonio restituenda est.

Bona *extradotalia* uxoris sunt pleno iure. Bona *communia* aequo iure ad utrumque pertinet; maritus tamen habet eorum administrationem, eorumque fructus percipit pro familiae necessitatibus. — Bonorum tandem *mariti* uxor nullum dominium habet.

107. *Ex Iure Romano:* Uxor habet dominium directum *suae dotis*, maritus vero usumfructum et administrationem. Mortuo viro, omnibus creditoribus mariti personalibus praefertur, et etiam in vita dotem iuridice repetere potest, si timeat, ne vir fiat impotens ad illam restituendam. Si dos consistat in pecunia, aut in aliis usu consumptibilibus, aut in rebus aestimatis traditis, dotis quidem plenum dominium viro tribuitur, sed cum obligatione valorem restituendi, translato pro uxore dominio in omnia bona mariti pro rata seu quota suae dotis. — Uxor habet plenum dominium et administra-

tionem bonorum *paraphernalium*, ita ut de his maritus, ipsa nolente, nihil disponere valeat. Hinc quoad illa nullatenus uxor a marito dependet. — Proprietas et utilitas bonorum *communium* pertinent ad utrumque coniugem; sed administratio eorundem pertinet ad solum maritum. Haec autem communitas bonorum varias conditiones seu restrictiones admittere potest, et idcirco attendendum est ad varias locorum dispositiones. — Gur. 549.; Elbel. 69.; L. 489.; Troplong della Prescrizione c. 3. n. 483. seqq.

108. *Ex Recentiori Iure:* Distinguere in primis possumus bona *uxoris*, bona *mariti*, et bona *communia*.

Quoad bona uxoris, haec item sunt vel dotalia, vel extradotalia, seu paraphernalia. — *Dos* sunt bona marito *allata* matrimonii oneribus sustinendis. Bona autem quaecumque uxoris in dotem non constituta, ut *paraphernalia* habentur. C. I. 1388. 1425.; C. G. 1540. 1575.; C. A. 1218. — Ut sit *dos* necesse est: 1.° ut *hoc nomine* expresse constituta fuerit, C. I. 1388.; C. H. 1336. Quare dotalia non sunt, quae mulieri donantur contractu matrimonii, nisi aliud expresse cautum sit. Secus vero est ex C. G. 1541. Potest autem *dos* comprehendere bona omnia, etiam futura, C. I. 1389.; C. G. 1542.; C. A. 1218. 1227.; C. H. 1336. 1337. — 2.° Ut *instrumentum* per notarium conficiatur et, si dos ab ipsis coniugibus constituatur, *ante matrimonium*, C. I. 1382. 1391.; C. G. 1394.; *post matrimonium* enim dos nec constitui, nec augeri ab ipsis potest. C. I. 1341.; C. H. 1338.; et ex C. G. 1543. neque ab aliis. Cf. C. A. 1225.; C. H. 1344. — 3.° Ut *ex Iure Civili* initae sint nuptiae. L. 3. *de Iure dot.*; C. I. 93.; C. G. 165.; C. A. 44.; C. H. 42.

109. *Qui dotem constituit* eam ex suis bonis praestare debet, etsi mulieri propria bona non desint, C. I. 1392. 1393. 1394. 1395.; C. G. 1544. 1545. 1546.; C. A. 1224., Cf. C. H. 1540. 1341.; et evictionem praestat, C. I. 1396.; C. G. 1547. Vir autem pro dote ad cautionem non tenetur, nisi ad eam conventione facta obligetur, aut adigatur per iudicis sententiam, si dos periculo exponatur, et dos ab eo fuerit constituta, qui dotatae, ea deficiente, alimenta praestare cogeretur. C. I. 1400.; C. G. 1550. 1563.; C. A. 1245. Cf. C. H. 1345. 1349. 1358.

110. *Ea quae dotis causa dantur, alia transeunt in plenum viri dominium, alia non, et permanentem dotem constituunt.* — *In plenum dominium* viri transeunt res, quae usu consumuntur, C. A. 1227.; res sive mobiles sive immobiles, quae ei *in solutum* dantur, C. I. 1403.; C. G. 1553.; res mobiles, si aestimatae datae fuerint, C. I. 1401.; C. G. 1551., non item immobiles, nisi id palam fuerit expressum, C. I. 1402.; C. G. 1551.; C. A. 1228. Ex C. H. 1346., si nihil in contractu matrimonii determinetur, uxor servat dominium omnium

suorum bonorum dotalium. Cf. C. B. 1227. 1228. — Eorum bonorum quae *permanentem dotem* constituunt, dominium naturale et directum penes uxorem remanet, civile et utile transit in maritum. C. A. 1227. 1228. 1230. Quare, vi naturalis et directi dominii uxoris, dotis incrementum vel damnum uxoris erit. Vi civilis et utilis dominii mariti, vir habet bonorum dotalium administrationem et usumfructum; unde bona dotalia administrat quasi sua, pro ipsis in iudicio agit, C. I. 1339.; C. G. 1549.; C. H. 1357. 1360., et omnia quae fructuum nomine continentur sua sunt ab inito matrimonio, C. I. 1399 ; C. G. 1549.; C. A. 1227.; et si pecunia numerata promissa fuit, usurae ipso iure ei debentur, licet dilatio solutioni stipulata fuerit, C. I. 1397.; C. G. 1548. Verum maritus debet eam diligentiam praestare in rebus dotalibus administrandis, quam in suis rebus praestat, et omnes implere debet usufructuarii obligationes, C. I. 1408.; C. G. 1562.; *fructus* autem ad alendam familiam adhibere tenetur, ideo enim *fructus* ipsi assignantur, scilicet ad ferenda onera matrimonialia. — Potest mulier *officio iudicis* separationem bonorum dotalium obtinere, si dos in periculo sit, vel res viri in malum vergant, vel ab ipso sit iudicialiter separata, C. I. 1418.; C. G. 1563., qua impetrata, ipsa, loco mariti, dotalia bona administrat, C. I. 1424.; C. G. 1449; C. H. 225. 1365., sed domesticis necessitatibus et filiorum institutioni simul cum marito providere debet, C. I. 1423.; C. G. 1448. Cf. C. A. 1241. 1263. — Constitui potest in contractu matrimonii. 1.° quod uxor singulis annis recipiat partem fructuum pro minutis expensis, C. I. 1399.; C. G. 1549.; 2.° quod coniux superstes super dote lucrum aliquod percipiat, salva filiorum legitima, C. I. 1398. — L. l. 3. n. 539.

111. *Bona dotalia regulariter*, *constante matrimonio*, *alienari non possunt*, et facta alienatio revocari poterit ab ipso etiam marito, qui alienationi consensit, C. I. 1407.; C. G. 1560. — *Bona dotalia*, nempe *omnia* ex C. I. 1405., *immobilia* tantum ex C. G. 1554. — *Regulariter*, alienari enim possunt ex gravi necessitatis vel utilitatis causa, ex tribunalis decreto et utriusque coniugis consensu, C. I. 1405.; C. G. 1558.; C. H. 1358. seqq.; vel si alienatio permissa fuerit in ipso matrimonii contractu, C. I. 1404.; C. G 1557. — *Alienari non possunt* ob quamvis causam ex C. I. 1405., nihil distinguente, excepta causa filii alicuius collocandi ex C. G. 1556. Alienatio vero comprehendit etiam permutationes, servitutes, hypothecas, C. I. 1404. 1405.; Cf. C. G. 1554. 1559. — *Constante matrimonio*, quare etiam post separationem ex C. I. 1405.; Cf. C. G. 1449. Si vero, constante matrimonio, mulier aes alienum, vel quamlibet obligationem *legitime* contraxit, post solutum matrimonium bona etiam dotalia creditoribus obligantur ex C. I. 1407., secus vero ex C. G. 1558. 1560. Cf. C. A. 1260.

112. *Soluto matrimonio, dos cessat, et restituenda est.* — Dos uxori restituenda est, vel eius haeredibus. C. A. 1229.; C. H. 1365. Res quarum dominium civile et utile tantum penes maritum erat, in propria specie sunt *statim* restituendae, ut tunc sunt, C. I. 1409. 1411. 1412.; C. G. 1564. 1566., 1567.; C. H. 1367., et si culpa mariti deteriores factae sint, detrimentum ipsi aestimatur, C. I. 1408.; C. G. 1562.; C. H. 1360. 1375. — Rerum vero, quarum plenum dominium habuit maritus, pretium tantum est *infra annum* restituendum, C. I. 1401. 1410.; G. G. 1551. 1565.; C. H. 1347. 1366. 1370. Ex his potest mulier sibi retinere lintea et quae ad ordinarium ipsius usum sunt necessaria, eorum actuali pretio detracto, si, eorumdem facta aestimatione, data ipsa primum fuere, C. I. 1411.; C. G. 1566. Cf. C. H. 1374. — Restituendi praeterea sunt fructus ultimi anni matrimonii, pro rata temporis. Annus a die celebrati matrimonii anniversaria computatur. Sed potest vidua pro suo arbitrio vel hos fructus exigere, vel alimenta toto luctus anno. Ipsi praeterea debentur hoc anno habitatio et vestes luctus, C. I. 1415. 1416.; C. G. 1570. 1571.; vestes tantum luctus, C. H. 1879. Cf. C. A. 1242. 1243. — Tandem soluto matrimonio, lucra etiam seu *incrementa dotalia* coniugi superstiti debentur ex bonis defuncti, si de eis pactum in matrimonii contractu adfuerit. C. I. 1398.

113 *Bona paraphernalia seu extradotalia ea sunt*, quae extra dotem uxor sibi reservat. C. H. 1381. — Haec *pleno iure sunt uxoris*, adeoque ea administrat, eorumque usufructu potitur, C. I. 1427.; C. G. 1576; C. H. 1382. Non potest tamen immobilia alienare, neque pro eis in iudicio se sistere, sine expresso mariti consensu, aut, renitente marito, sine sententia tribunalis. C. I. 134. 136.; C. G. 215. 217. 1576. 1538.; C. H. 1387.; Cf. C. A. 91. Quod idem dicendum est ex C. G. 1536., si uxor in bonis sit prorsus separata. — Si vero maritus ea administrat *ex* mandato uxoris *expresso vel tacito* et fructus percipit, fructus tantum restituere debet, qui tunc sunt, cum mulier petit, aut moritur; omnes vero fructus quos percepit restituere debet, si apposita fuerit mandato conditio, ut redderet rationes fructuum, vel si mulier saltem extraiudiciali actu se opposuerit. C. I. 1427. seqq.; C. G. 1576. seqq. Verum ex C. H. 1384. 1389. seqq. si paraphernalia bona ab uxore marito administranda tradantur, dotalibus bonis tunc aequiparantur, quorum dominium penes uxorem permanet. Ex C. A. 1238. 1239., nisi uxor se opponat, iuris praesumptione censetur marito tanquam legitimo procuratori concredita administratio liberi patrimonii uxoris. Ipse vero respondet tantum de rei substantia seu de capitali; sed non tenetur dare rationem fructuum perceptorum, nisi id convenerit expresse. — Ad bona paraphernalia spectant, et uxoris sunt ea bona,

quae, durante matrimonio, ex suis bonis, vel ex sua singulari industria, vel ex suo extraordinario labore acquirit, praesertim si mercaturam suo nomine exercet, vel etiam aliquid subtrahendo de sibi concessis ad victum, vestitum, recreationem, etc., tum etiam ea, quae ipsi data fuerint cum expressa conditione, ut viro non cedant. C. A. 1237. — L. l. 3. n. 541.

114. *Quoad bona mariti.* — Nullum bonorum mariti dominium uxor habet. Verum, cum uxor socia sit viri, et vir uxorem alere debeat pro sua conditione, uxor iure suo sumere sibi potest ea, quae sibi hac de causa sunt necessaria. Lugo de Iust. et Iur. d. 16. n. 72. Less. de Iust. et Iur. l. 2. c. 12. n. 85., ac si ex consuetudine regionis receptum est, ut uxor aliquid impendat ex bonis viri, hoc etiam efficere potest, Lugo l. c. Quare potest uxor sumere non solum ea, quae corporis sunt necessaria, sed etiam quae ad animum levandum et ad sui status decentiam pertinent. Lugo l. c. n. 68. 70. Neque vero id potest *pro se* tantum, sed etiam *pro filiis* ex eo matrimonio susceptis, *pro utilitate familiae,* vel ad aliquod eius damnum removendum, idque invito etiam viro. Quare potest res viro prodigo subtrahere, ad ea pro familia in posterum reservanda, vel viro avaro ad moderatas eleemosynas faciendas. Lugo l. c. n. 65.; Less. l. c. n. 85. -- Ex ipsa natura societatis coniugalis uxor *administrationem* habet *rerum domesticarum,* penus, supellectilis, etc., Lugo l. c. n. 64.; Less. l. c. n. 85. — Ex C. I. 1432., si uxor bona mariti administravit, eidem iuri, quo ipse in administratione bonorum paraphernalium uxoris, subiicitur. Viro autem absente vel furioso, uxor eius bona administrat, eaque expendere potest, secundum vires patrimonii, pro sustentatione et dignitate servanda familiae, licet forte vir, si praesens vel compos sui esset, non fuisset expensurus. — Ex C. H. 1442. 1444., uxor omnia matrimonii bona administrans, easdem habet facultates et obligationes, ac quando maritus ea administrat. Immobilia tamen alienare et gravare non potest. — Lugo l. c. n. 16. 70.; Less. n. 12. 86.; L. 541.

115. *Quad bona communia.* — Ex C. I. 1433. 1435. 1436. 1438. 1439. 1441. in ipso matrimoniali contractu, quamvis *dos* fuerit constituta, possunt sponsi una simul inire *societatem universalem,* non quidem bonorum, sed *fructuum* ex ipsis bonis sive mobilibus sive immobilibus, sive praesentibus, sive futuris provenientium. Non potest tamen haec societas comprehendere debita et credita ante coniugium existentia, neque quae postea deferuntur titulo successionis vel donationis, ipsa communione durante. — *Effectus* huius communionis est *communia* et divisibilia *reddere ea quae* a coniugibus unitim vel separatim *acquiruntur, durante communione,* sive communi industria, sive parsimonia facta super fructibus vel introitibus con-

iugum, detractis semper debitis ipsius communionis. — Bona in communi posita *administrantur* a marito, qui nequit, nisi ex titulo oneroso ea alienare, aut subiicere hypothecae, et si ea locat, leges observare debet constitutas pro locatione, quae fit ab usufructuario. — Cessat autem *societas* per mortem alterutrius coniugis, per declaratam unius absentiam, per definitivam separationem personarum, per separationem iudicialem bonorum.

116. Ex C. H. *deficiente contractu* super bonis, quo separationem etiam bonorum possunt inter se constituere, matrimonium censetur initum sub regimine *societatis legalis lucrorum*, 1315. 1432. Si vero societas haec excludatur, quin exprimantur regulae, quibus bona regantur, servatur tunc *regimen dotale*, et nihilominus percipit maritus fructus omnes *societatis lucrorum*, perinde ac si ea exsisteret, 1364.

Iam vero *societate lucrorum* maritus et uxor sua faciunt, dimidia parte, dissoluto matrimonio, lucra et beneficia indistincte obtenta a quovis ex coniugibus, durante matrimonio, 1392. — Lege ipsa determinantur bona uniuscuiusque coniugis propria, et communia lucra, 1396. seqq. 1401. seqq., necnon onera et obligationes huius societatis, 1408. seqq. — Maritus secundum statutas leges societatem *administrat*, 59. 1412. seqq., qui moderatas donationes pietatis et beneficentiae causa facere potest; usumfructum vero sibi reservare non potest, 1415. — *Solvitur societas* per matrimonii dissolutionem, per alterius coniugis absentiam, per separationem personarum vel bonorum, 1417. 1433. — Soluta societate, confecto inventario, et restitutis bonis dotalibus ac paraphernalibus, nec non satisfactis aliis societatis oneribus, *quod reliquum est dividitur aeque* inter maritum et uxorem, vel eorum respectivos haeredes, 1418. seqq. Cf. ib. 1435. 1436.

117. Ex C. G. 1393. etiamsi coniuges non statuant quaedam bona fore *communia*, si tamen quodvis aliud pactum desit, locum habet vi legis *Communio legalis*. Pacta enim, quae a coniugibus ante matrimonium iniri possunt, tres classes, seu regimen triplex constituunt, scilicet regimen *dotale*, de quo iam dictum est, regimen *communitatis* et regimen *excludens communitatem*. — Porro *Communitas* est vel *legalis* vel *conventionalis*, prout lege vel pacto speciali contrahentium constituitur. — 1391. 1460. seqq. 1497. seqq. 1540. seqq.

118. *Communitas legalis* coalescit 1° *ex omnibus bonis mobilibus*, quae coniuges possidebant ipso initi matrimonii die, vel quae ipsis deinde titulo successionis vel donationis adveniunt, 2° *ex omnibus fructibus et quibuscumque reditibus* bonorum immobilium possessorum a sponsis ante matrimonium, vel ipsis, durante matrimonio, advenientium, 3° *ex omnibus bonis immobilibus*, *quae ex bonis communibus* tem-

pore matrimonii acquisita fuerint. — *Communitas conventionalis* consistit in aliis pactis sponsorum, quibus statuta legalia restringi vel relaxari possunt. His deficientibus, sola legis dispositione communitas regitur. — Sub regimine *communitatis* solus maritus *administrationem* habet bonorum communium. Immo potest ea vendere, commutare, in hypothecam tradere, etiam sine uxoris consensu. Non tamen potest donare titulo gratuito immobilia, neque mobilia titulo universali, seu quoad eorum universitatem, vel quotitatem, seu dimidiam, tertiam vel quartam partem. Disponere de re aliqua mobili potest titulo gratuito, dummodo usumfructum sibi non reservet. — *Dissoluta* autem *communitate*, bona et onera *in duas partes dividuntur*, nisi uxor aut illius haeredes bonis renuntiare, et ita ab oneribus se eximere maluerint. Debita ab utroque coniuge, vel ab eorum haeredibus solvenda sunt. — Administrationem habet etiam maritus bonorum *propriorum* seu personalium uxoris. 1400. 1401. 1409. 1422. 1428. 1441. 1453. 1467. seqq. 1497. seqq.

119. *Regimen excludens communitatem* duplici modo a sponsis constitui potest, scilicet 1° declarando se inire matrimonium *sine communitate;* 2° statuendo, se quoad bona quemque sua fore *omnino separatos. In priori casu* vir percipit omnes reditus bonorum uxoris et solus omnia administrat. Sed si usu consumantur, illorum valorem reddere tenetur. *In casu* vero *posteriori* mulier habet omnium suorum bonorum administrationem et usumfructum. Uterque autem sponsus ad onera matrimonii speciali pacto concurrit; si vero nulla conventio exsistat, uxor usque ad tertiam partem redituum suorum concurrere debet. Quocirca in tertio hoc regimine, quemadmodum et in secundo, *dos quaedam* ab uxore tribuenda est, qua oneribus matrimonii ex parte subveniat; verum dos eiusmodi a viro alienari potest. 1530. seqq. 1536. seqq.

120. Ex C. A. 1233. 1234. *ad communionem bonorum* inter coniuges requiritur specialis contractus. Ea vero intelligitur tantum pro casu mortis, et coniugi dat ius ad dimidiam partem bonorum in communione constitutorum, quae remaneant post alterius coniugis mortem. Cf. art. 1262. 1266.

121. Ex C. B. duplex est bonorum regimen, *legale* et *conventionale. Regimen matrimoniale legale bonorum.* Contractu matrimonii bona uxoris, etiam ea quae ipsa acquirit durante matrimonio administrantur a marito, qui eorumdem usumfructum habet, sed matrimonii expensas sustinere debet. Excipiuntur bona uxori reservata sive *lege*, nempe vestes, gemmae pretiosae et instrumenta laboris, et bona acquisita labore vel exercitio personali professionis lucrativae; sive *contractu*, nempe quae matrimonii contractu talia fuerunt declarata; *successione*, *legato*, *donatione* cum ea reservatione factis.

Horum bonorum reservatorum uxor administrationem et usumfructum, habet. — Cessata mariti administratione et usufructu, tenetur maritus bona uxori restituere nec non rationem reddere administrationis. Hanc autem cessationem uxor exigere potest, si eius bona in periculo versantur. — C. B. 1363. seqq.

Regimen conventionale bonorum matrimonialium. Possunt sponsi bonorum conventionem statuere tum ante matrimonium, tum post contractum matrimonium, et possunt bonorum regimen dissolvere vel modificare. Si matrimonii contractu excludatur administratio et usufructus mariti, vel si dissolvatur communitas bonorum, tunc *bonorum separatio* habetur. *Communitas* vero esse potest vel *universalis bonorum*, vel *particularis acquisitorum*, vel *particularis mobilium et acquisitorum.* Maritus communitatem administrat, et ex bonis communitatis onera sustinet matrimonii. Dissoluta communitate, solutis prius debitis, ea quae remanent in duas aequales partes inter duos coniuges, vel alterutrius descendentes et viduum dividuntur. — C. B. 1432. seqq.

122. Ex C. L. Licitum est sponsis, ante matrimonium, contractum facere de bonis, intra limites legis, 1096. Huiusmodi conventiones non erunt validae, nisi fuerint publica scriptura confectae, 1097. Si nulla fiat conventio matrimonium censetur contractum secundum morem regni, 1098. Potest mulier sibi reservare ius recipiendi partem fructuum suorum bonorum, dummodo non excedat tertiam partem, 1104. — Conventio fieri potest matrimonii secundum morem regni, communitatis acquisitorum, separationis bonorum, regiminis dotalis, 1099. seqq.

Conventio secundum morem regni importat communitatem omnium bonorum praesentium et futurorum, lege non exceptorum, 1108. seqq. Dominium et possessio horum bonorum apud utrumque coniugem est, administratio penes maritum, 1117. seqq. Communitate finita, eius bona inter coniuges eorumque haeredes, debita aequalitate, dividuntur. Primum autem mulieri, deinde viro satisfaciendum est, 1123. 1124.

Conventio separationis bonorum non excludit a communitate bona acquisita, sine expressa declaratione, 1125. Unusquisque coniux conservat dominium propriorum bonorum, et liberam eorum dispositionem, ea tamen restrictione pro muliere quae a lege fit 1127. 1128.

Conventio communitatis acquisitorum non comprehendit bona quae habentur tempore matrimonii, vel quae postea habeantur successione, aut alio gratuito titulo, 1130. seqq.

Regimine dotali maritus potest alienare bona mobilia, sed tenetur de eorum valore 1148. Bona immobilia sunt inalienabilia praeter casus a lege permissos, 1149. seqq., neque durante matrimonio

praescribi possunt 1152. Dissoluto matrimonio bona dotalia restituenda sunt mulieri eiusque haeredibus, 1156. seqq.

123. *Praeter haec,* quae per varias leges constituta sunt, tum a viro tum ab uxore ea omnia pacta servanda sunt, quae in contractu matrimonii vel tacite inita sunt secundum leges propriae regionis, vel expresse privata voluntate constituta; dummodo tamen haec conventa pacta nec bonis moribus nec legibus adversentur. C. C. 1338.; C. A. 1217.; C. G. 1387.; C. H. 1315.

124. *Quid possit uxor quoad varios contractus ineundos?* — Non potest uxor, sine viri consensu et auctoritate, res suas immobiles donare, alienare, hypothecae subiicere, mutuum contrahere, cedere vel exigere capitalia, fideiubere, transigere vel in iudicio de his actibus agere, C. I. 134.; C. L. 1192. 1193. Cf. C. G. 215. 217.; C. A. 91., nec alterius negotia gerenda suscipere, C. I. 1743.; Cf. C. G. 1990. — Nullo vero indiget viri aut alterius consensu seu auctoritate mulier, viro minore, interdicto, absente, vel poenam anno longiorem expiante, vel absente, vel quando iuridice sit separata ex culpa mariti, vel quando mercaturam exerceat, C. I. 135.; Cf. C. G. 220. 222. — Qui cum uxore contrahit, sine viri consensu et auctoritate, cum ea opus sit, uxori obligatur tum civiliter tum naturaliter, illi vero uxor pariter obligatur. At uxori, eiusque haeredibus, et viro constante matrimonio, nec non causam habentibus datur *in integrum restitutio;* nisi probetur, quod uxori solutum est, eidem in commodum et utilitatem cessisse. C. I. 134. 137. 1157. 1300.; C. G. 217. 225. 1304. 1312.; C. L. 1200. 1201. — Ex C. H. 1304. uxor ad restituendam rem contractu acceptam, eo rescisso, non tenetur, nisi eadem ditior evaserit. Cf. etiam art. 1163. — Ex C. B. 1365.-1371. 1395.-1400. 1405.-1407. uxor libere disponere potest de bonis sibi reservatis, quoad bona vero, mariti administrationi et usuifructui obnoxia, mariti indiget approbatione.

125. *An uxor pro viro fideiubere aliquando possit?* — R. Affirmative, ut domesticis nempe necessitatibus consulat. Secus vero negative. Ita communiter. Ratio est, quia illud aliquando exigitur ab ipso familiae bono, hoc vero ab hoc eodem bono excluditur. Unde sequitur teneri uxorem ad solvenda debita *legitime* a marito contracta nomine uxoris, ipsa sciente et consentiente, propter bonum et commodum ipsius familiae. L. 354. — Ex C. I. 1405.; C. G. 1558. iudicis requiritur auctoritas.

126. *Quid iuris sit, si vir et mulier irritum matrimonium contraxerint?* — *Si uterque conscius* erat nullitatis, nullum quidem est matrimonium, et nullum inde ius ex positivo iure praetendi potest sive quoad *dotem* uxoris, sive quoad *legitimitatem* et *successionem* haereditariam filiorum, C. 10. *Qui fil. sint legit.*, C. I. 116.; C. G. 202.; C. A.

160. Potest tamen filius, sua vita durante, exigere a patre alimenta perinde ac legitimus esset. C. B. 1703. — *Si uterque inscius* erat nullitatis, matrimonium perinde est ac si validum revera sit, unde iura ex eo fluunt quasi veri matrimonii, C. 2. 8. 14. *Qui fil.* etc.; C. I. 116.; C. G. 201.; C. A. 160.; C. B. 1699.; L. l. 7. n. 425. — *Si alter conscius, alter inscius* nullitatis erat, civilia iura coniugi soli constant, qui in bona fide contraxit, filii vero quoad utrumque legitimi sunt. C. 14. *Qui fil.*, C. ult. § *Si quis* l. *de Cland. desp;* C. I. 116.; C. G. 202.; C. A. 160.; Cf. art. 1265. 1266.; C. B. 1701. 1702. — Schmalz. l. 4. t. 17. n. 13. 18. 57.; Lugo d. 24. n. 8.; L l. 7. n. 425. 432.

VIII. — DE MULIERIS CUM VIRO AEQUALITATE

127. « Naturale est, quod anima dominatur corpori, et ratio viribus inferioribus. Et ideo, sicut Philosophus docet, quandocumque aliqua duo sic se habent, sicut anima ad corpus et ratio ad sensualitatem, naturale dominium est eius, qui abundat ratione, et illud est principans, aliud autem est subditum, quod scilicet deficit ratione ». S. Th. c. 7. Ethic. Lect. 3.

128. Hinc ipse Apostolus Paulus subiectionem mulieris ex eius physica et rationali inferiori conditione deducit. « Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum; sed esse in silentio. Adam enim primus formatus est, deinde Heva, et Adam non est seductus, mulier autem seducta in praevaricatione fuit ». 1. ad Tim. 2., 10. 14.

129. De viri et mulieris aequalitate haec habet Angelicus Doctor in 4. D. 32. q. 1. a. 3.: « Duplex est aequalitas scilicet quantitatis et proportionis... Loquendo de prima aequalitate vir et uxor non sunt aequales in matrimonio neque quantum ad actum coniugalem, in quo id quod nobilius est viro debetur; neque quantum ad domus dispensationem, in qua uxor regitur et vir regit. Sed quantum ad secundam aequalitatem sunt aequales in utroque, quia sicut tenetur vir uxori actu coniugali et dispensatione domus ad id quod viri est, ita uxor viro ad id quod uxoris est ».

130. Matrimonium, a Christo ad pristinam indivisibilitatem revocatum, mulieris dignitatem maxime extollit. Coniunctio ipsum est viri et mulieris individuam vitae continens consuetudinem. Si tamen agatur de aeterna salute consequenda et de mediis ad eam necessariis, cum vir et mulier aeque ad aeternam vitam destinati sint, invicem hac in re independentes sunt et officiis ac iuribus pares. *In Christo enim non est masculus neque femina*, ad Gal. 3., 28. Mulier ergo emancipata a viro est quoad ordinem vitae suae moralem

et supernaturalem; a viro quidem adiuvari, sed impediri non potest quoad suae vitae sanctitatem. Ex B. V. Dei Matre Maria mulier est nobilitata, et ad eximiam sanctitatem, ut vir exurgere potest, quemadmodum Sanctarum et Sanctorum patet facto.

131. Si e contra agatur de ordine domestico tum coniugalis societatis, tum parentalis et herilis societatis, mulier a viro independens non es, et in societate domestica aequalitas, independentia et emancipatio mulieris admitti non potest. Etenim mulier facta est in adiutorium viri, Genes. 2., 18.; 1. ad Cor. 11., 9.; unde vir caput eius est, eaque illi est subiecta, 1. ad Cor. 11., 3; ad Eph. 5., 24.; adeoque independens et emancipata non est in triplici illa societate domesticae societatis, coniugali, parentali, herili. Ac, quoad patriam potestatem, in particulari, quae in personas filiorum exercetur, ea residet quidem tum in patre tum in matre; ob naturalem autem subiectionem uxoris ad virum principaliter existit in *patre*, unde nomen accepit *patriae potestatis*. Quod etiam omnibus positivis legibus antiquis et modernis confirmatur.

132. Si ex domestico ordine egrediamur, et quaestio fiat de civili societate, nihil sane vetat quod mulieris instructio litteris et artibus perficiatur, et consequenter quoad commoditatem vitae melior fiat. Nihil etiam vetat quod in eadem civili societate mulieres ad negotia et officia exercenda admittantur, ad quae sunt idoneae, et aequae etiam stipendio retribuantur, sine ullo tamen detrimento officiorum uxoris et matris. Cum tamen et physice et moraliter feminarum et virorum vires neque eaedem sint, neque eodem modo evolvantur, excludendae omnino sunt ab iis negotiis et officiis, ad quae neque natura aptae sunt, neque possunt ab ipsis exerceri sine praedicto detrimento officiorum uxoris et matris.

IX. — COGNATORUM ET TUTORUM OBLIGATIONES

133. *Quaenam sint aliorum cognatorum obligationes? — Quoad alios cognatos, ascendentes et descendentes*, eaedem sunt generatim obligationes cum debita proportione, ac parentum respectu filiorum, et vice versa; isti enim omnes, ratione generationis, aliorum ab aliis, stricto pietatis vinculo invicem ligantur, praesertim si, parentibus deficientibus, ascendentes nepotum curam suscipiant. Hanc autem curam suscipere debere docent communiter thth. in defectu parentum et tutorum, quamdiu isti sunt minorennes, et quantum illi commode possunt. Ceteris paribus, avus paternus tenetur istam suscipere curam prae avo materno, ut dd. communiter docent.

Quoad fratres et sorores, hi debent se mutuo amore prosequi, non tantum communi affectu, ut ceteri homines, sed peculiari di-

lectione ob arctum sanguinis vinculum. Debent etiam sibi invicem succurrere quoad necessaria vitae, non tantum in extrema, sed etiam in gravi necessitate. L. 340.

Reliqui consanguinei et collaterales tenentur pariter sibi invicem praestare amorem et auxilium in necessitate, iuxta ordinem graduum consanguineitatis. Ratio est, quia sanguinis coniunctio et descensus ab eodem stipite et principio vitae hanc inducit specialem pietatis obligationem. Unde in defectu parentum, vel quasi parentum, et ascendentium, consanguinei collaterales etiam succedunt in obligatione praebendi alimenta egenti in ordinaria necessitate, et mendicitate, si possunt, vel nisi alii adsint, qui similem necessitatem liberaliter velint sublevare. Struggl. 20.

« Dicendum, quod aliquis de hoc quod est sibi proprium debet magis satisfacere parentibus, vel his a quibus accepit maiora beneficia ». S. Th. 2. 2. q. 62. a. 5. ad 4.

Quia coniunctio cum aliis consanguineis tanta non est, uti cum parentibus et filiis, ut graviter contra eos pietas laedatur, maius quoddam requiritur damnum eis illatum, minus tamen contra fratres et sorores, quam quoad alios minus proxime coniunctos. Contra *remotiores* autem specialis abest contra pietatem gravis malitia.

134. *Quid de alimentis praestandis quoad varios consanguineos et affines?* — *Iure pietatis* alii alios *exhibere*, seu alere debent, si in necessitate versentur. *Ad alimenta praestanda primo loco* obligatur coniux, *secundo* descendentes, *tertio* ascendentes, *quarto* gener et nurus, *quinto* socer et socrus, *denique* fratres et sorores; quae quidem obligatio *reciproca* est, C. I. 132. 138-142.; C. G. 203. 205-207. 212.; C. L 172. — C. H. 143. seqq.; C. B. 1601. seqq.

Ascendentes tenentur ordine proximitatis, C. I. 138.; C. H. 144.; C. L. 173. *Descendentes* autem tenentur eo ordine, quo ad legitimam successionem vocarentur personae egentis, C. I. 142.; C. H. 144. — *Fratribus et sororibus* alimenta debentur, si sint in admodum gravi necessitate, C. I. 141.; C. H. 143. Cf. C. L. 174. Illis in locis, in quibus lex civilis non obligat fratres et sorores ad alimenta praestanda fratribus et sororibus, urget tamen graviter naturalis caritas et pietas, si fratres vel sorores sint in *gravi necessitate* constituti — *Quoad alios* autem *consanguineos* remotiores, praeter fratres, si in gravi versentur necessitate, obligatio adhuc adest, quamvis levis, « cum erga ipsos etiam adsit aliqua, licet non ita stricta obligatio pietatis ». L. 339., l. 3. n. 946 ; Lugo de Iust. et Iur. d. 24. n. 176. Pietatis tamen obligatio strictius adest erga alios consanguineos lineae rectae. — *Socrus et nurus* alimenta amittunt, si ad alias transeant nuptias, aut mortem obierit coniux, ex quo orta est affinitas, nullis relictis descendentibus. C. I. 140.; C. G. 206.

Parentes filiis alimenta denegare non possunt, quia ipsis invitis nuptias cum indignis contraxerunt, L. 1. 3. n. 337. 949. « Dicunt Sanchez. etc. quod pater tenetur alimenta praestare non tantum filio, sed etiam uxori illius, quamvis eam duxerit sine dote, et contra ipsius patris voluntatem. Praeterea tenent Azor, etc., quod pater debet filium alere, etiamsi filius consummasset vitiose portionem iam prius sibi traditam ». L. 336. 337. « Certum est autem, quod parentes tenetur alimenta praestare filiis, etiam spuriis, et adhuc ex damnato coitu natis, si isti nequeant aliunde sustentari ». L. 951. — Neque vero generatim licet alimenta denegare eo quod is qui ea petit ad egestatem suâ culpa devenit, praeterquam fratribus et sororibus ex C. I. 141.; et ex C. B. 1611. nonnisi *stricta sustentatio* debetur. — Ex eodem C. B. 1963. 1969., si haereditate devoluta' expectandus sit heres nasciturus, mater, quae suae sustentationi providere non potest, potest usque ad partum alimenta exigere convenientia suae sociali conditioni ex ipsa hereditate. Tenetur item heres alimenta membris familiae defuncti per mensem a devoluta hereditate praestare.

Quantum autem praestari debet ex necessitate petentis et ex facultatibus dantis aestimandum est, C. I. 143.; C. G. 208.; C. H. 146. C. L. 178. 179. *Alimenta* complectuntur victum, vestitum, habitationem, aliasque res ad vitam necessarias, et, secundum circumstantias, instructionem personae convenientem, C. I. 846.; C. H. 142.; C. B. 1610.; C. L. 171. Optio vero datur, vel domi egentem recipiendi, vel ei pensionem suppeditandi, nisi aliud iudex constituerit, C. I. 145.; C. G. 210.; C. H. 149. — Quia vero haec obligatio praestandi alimenta *ex caritate et pietate* est, non *ex iustitia*, qui ea non praestat, non tenetur ad restitutionem; neque erga haeredes mortui, qui ius ad ea habebat, obligatur, C. I. 144. 146.; C. G. 209.; C. H. 148 150. 151. Secus est ex C. A. 171.; C. L. 176. — L. 339. 356. 946. 949. 951.

Obligatio alimenta praestandi variare potest, prout variaverint conditiones eius, qui illa praestat, vel qui illis indiget. C. I. 144.; C. G. 209. Cessat omnino mortuo illo, qui alimentis indigebat, licet ei deberentur ex iudicis sententia, C. I. 146., vel ex donatione aut legato, quia personalia sunt. Quare si ex legato debebantur ad decem annos, antea mortuo eo, cui alimenta fuerunt relicta, alimentorum ius ad haeredes illius non transit. — La-Croix l. 3. p. 1. n. 709. seqq.

135. *Quid de damnis reparandis?* — Quaestio generatim movetur: *An superior teneatur ad reparandum damnum a suis subditis illatum?* — R. Affirmative, in *foro externo,* secundum varias leges, in variis regionibus vigentes. Generatim haec obligatio damnum

reparandi, ob alienum factum, est vel ex negligentia in custodia et vigilantia adhibenda, vel ex electione personarum, quas deputamus ad industriam exercendam loco nostro. Cf C. I. 1153.; C. G. 1384.; C. H. 1903., in quibus fit expressa mentio: 1.° De patre, et, eo defuncto, ex C. G., deficiente ex C. I., de matre relate ad filios minores, cum ipsis habitantes; et in C. I. ac in C. H. de tutoribus relate ad eos, quorum sunt administratores, cum ipsis item habitantes. 2.° De hero et de mandante relate ad famulos et ad mandatários in exercitio functionum, ad quas eos ipsi destinarunt. 3.° De institutore et artifice relate ad alumnos, durante tempore, quo sunt sub eorum vigilantia. — De marito vero relate ad uxorem nihil statuitur. — Eiusmodi autem obligatio sive in parentibus, sive in tutoribus, sive in heris et mandantibus, sive in praeceptoribus et artificibus cessat, ex utroque Iure I. et G., quoties probent, non potuisse impedire factum, de quo secus respondere deberent, vel, ex C. H., debitam adhibuisse diligentiam. — C. G. 1424.

Ex C. B. 828 seqq. pueri ante septennium expletum de damno illato minime respondent. Post septennium et ante annum decimum octavum de eo respondent, si necessaria non defuerit discretio. — Damnum vero reparare debent illi, qui eis invigilare debent, si debitam omiserint adhibere diligentiam. Idem statuitur de mandante alii negotium aliquod, si hic alteri damnum inferat in executione illius negotii, et nisi ordinariam mandans adhibuerit diligentiam.

R. Negative, *generatim loquendo, in-foro interno.* Ratio est, quia qualitas superioris infert tantum onus recte subditos gubernandi; minime vero obligationem *ex debito iustitiae* damna suorum subditorum, et multo minus aliorum non subditorum impediendi; nisi vel *ex speciali contractu,* vel *ex speciali officio* ea impedire debeat. — Hinc privatus ludimagister, qui discipulos furantes, vel aliis detrahentes non corripit, licet eos bonis moribus imbuere debeat, et ideo mercedem accipiat, illis tamen quibus discipuli furantur vel detrahunt minime restitutione tenetur, cum ipsis enim nihil actum est. — *Generatim loquendo;* nam de damno tenentur ii, qui aliis praesunt, si illud non prohibent in ea re vel officio, quo illis superesse debent, e. g., si pharmacopolae alumnus pro medicina venenum dederit, dummodo gravi non careant culpa. Idem omnino valet, si ex tuo animali, vel re tua cum tua culpa damnum alteri contigerit, si e. g. tuus canis solutus ingredientem momordit, aedes tua ex vetustate collapsa plures occidit. — Inst. l. 1. t. 7., l. 4. t. 5. 8; Dig. l. 47. t. 5.; C. A. 1308. 1309. 1314.-1316.; Gousset 963. seqq.

136. *Quid tutor et curator; et quibusnam dentur?* — Iis, qui se suaque *tueri* nequeunt, si non sint sub patria potestate, datur *tutor*

aut *curator*. C. A. 187.; C. B. 1773. — *Tutor* et *curator* differunt inter se 1°., quia tutor datur principaliter personae, secundario rebus. Curator autem vel rebus tantum, vel principaliter rebus, et non nisi secundario personae, saltem regulariter loquendo. C. A. 188. 209.; C. B. 1793. 1794. 1909. — 2.° Differunt, quia *tutor* certae rei et causae dari non potest. Curator vero dari potest certis rebus et determinatis causis. Et sic C. I. 980.; C. B. 1961. curator *haereditati iacenti* assignatur; C. A. 274. 690.; C. L. 157. curator datur futurae prolis nasciturae haereditati, et haereditati quum eam integram legata gravent, et haeres renuit administrare. C. B. 1911.; C. L. 55. seqq. curator datur bonis absentis. Cf. C. B. 1913. 1914. — 3°. Qui *sub tutela* est nihil prorsus agere potest. Qui *sub cura*, si est minor emancipatus, potest cum curatoris assistentia sortes exigere et iudicio agere, C. I. 318.; C. G. 482.; si est maior declaratus inhabilis, vel a nativitate surdus et mutus aut caecus, omnia facere potest cum curatoris assistentia, C. I. 339. 340.; C. G. 513.; C. A. 269. 270. — 4°. Differunt ex Iure Communi, quia tutor regulariter datur *pupillo* seu impuberi, eique qui impuberi comparatur. Curator vero datur *minori* seu puberi usque ad 25.^{um} aetatis annum. Inst. l. 1. t. 13. 23.; Ferraris v. *Tutela* 10. seqq.

Ex Recentiore Iure tutor datur *minori* non emancipato, et *interdicto* bonorum administratione. Curator vero datur filio mox nascituro; minori ad haereditatem vocato; maiori inhabili renunciato ob mentis infirmitatem, vel prodigalitatem; absenti; surdo muto, vel caeco a nativitate. C. I. 236. 241. 245. 247. 277. 314. 315. 329. 339. 340.; C. G. 389. 393. 405. 450. 482. 505. 509. 513.; C. B. 1773. 1893. 1901. 1909.-1914.; C. L. 55. 65. 317. 337. 349. 356. — Ex C. H. 199. 200. nulla habetur distinctio inter *tutorem* et *curatorem* quoad nomen; sed quoad rem servatur. Tutor enim datur tum personae et bonis, tum tantum bonis. Tutelae obnoxii sunt minores non emancipati, amentes, surdimuti, prodigi, interdicti. — Idem fere habetur C. A. 187. 188. 269. 270. 275. — In qualibet autem tutela *protutor* est etiam eligendus, cuius est vices tutoris supplere. C. I. 265.; C. G. 420.; C. H. 201. 234.; C. L. 205. Cf. C. A. 211. 215.; C. B. 1791. 1799. — L. 917.; C. L. 187. seqq.

137. *Quinam tutorem designent; quinam tutores esse possint?* — R. ad 1.^{um} Tutorem dare possunt: *Parens*, qui postremus moritur, sive per testamentum, sive per publicum instrumentum, C. I. 242., Cf. C. A. 196. 197.; C. H. 206., *Consilium familiae*, si parens non designavit, et desint ii, quos lex designat, C. I. 245.; Cf. C. A. 198. 199; C. H. 204. 211. 212. 231., *Consilium tutelae et iudex* in certis casibus, C. I. 248. 261. 262.; C. A. 189. 190. 199. 204. — *Consilium familiae* constituitur pro legitimis; *Consilium tutelae* pro illegitimis,

nempe agnitis, C. I. 249. 261. — C. B. 1774. seqq. 1852. seqq. 1858. seqq.; C. L. 203.

R. ad 2.um Cum minorum tutela sit officium publicum, pluribus curis refertum, neque omnes eam *assumere,* neque omnes eam *respuere* possunt vel debent; sed personae tantum iure capaces, et iure designatae. C. I. 268. seqq.; C. G. 427. seqq.; C. H. 202. 203. 237. seqq. 244. seqq.; C. A. 191. seqq. 201.; C. L. 186. seqq. — Tutela et cura ex iure competit, coniugi, patri, matri, avo paterno, avo materno, C. I. 315. 330.; C. G. 402. seqq.; C. B. 1776., hisque deficientibus, proximioribus consanguineis, C. A. 198. Cf. C. L. 200. 201. 227. seqq. — Inst. L. 1. t. 14.-20. 25. 26.; C. B. 1776. seqq.; C. L. 200.

138. *Quaenam sint tutoris et curatoris officia?* — Tutor habet *curam personae minoris*, eiusque educationis, praesertim religiosae, et eum repraesentat in actibus civilibus, *eiusque bona*, mere *administrat,* C. I. 277. 296. 318.; C. G. 450. 457. 481.; C. H. 261. seqq.; C. A. 188. 205. 216. 243.; C. B. 1793. 1801. seqq.; C. L. 243. seqq. 258. seqq. Hinc administrationis fines excedere non potest. C. I. 296. seqq. 301.; C. G. 456. seqq. 482.; C. A. 233. 484.; C. H. 269. 275.; C. B. 1804. 1831. — Curator assistentiam et auctoritatem praebet ei, qui sub eius cura est. C. I. 318. 339. 342. — Tutoris ergo et curatoris potestas certis limitibus coarctatur, et in quavis re gravioris momenti a Consilio familiae et etiam a tribunalis homologatione, seu confirmatione, dependens est. C. I. 296. 297. 301.; C. G. 457. 467.; C. H. 269. seqq. 293. seqq.; C. A. 216. 233.; C. B. 1803. seqq.; C. L. 74. seqq. 263. seqq.

Quare sive tutor sive curator magnam in proprio officio *fidelitatem* adhibere tenentur, tanquam bonus paterfamilias, et si graviter in eo implendo delinquant, peccant graviter, etiam *contra iustitiam* vi quasi-contractus, et ad damnorum compensationem tenentur. C. I. 277. 302.; C. G. 450. 469.; C. A. 202. 204. 228. 264. 265.; C. B. 1805. 1833. 1848.; C. L. 220. seqq.; L. 341. 917. 918.

Tutor, nisi sit avus paternus aut maternus, cautionem dare debet, a qua tamen potest eum dispensare Consilium familiae. C. I. 292. Cf. C. B. 1844.; C. H. 252. seqq. Ex C. A. 237. tutor ad cautionem non obligatur. Debet insuper *ab initio tutelae* statum et inventarium conficere bonorum minoris, C. I. 281.; C. G. 451.; C. A. 222. 223. 224.; C. H. 264.; C. B. 1802.

Singulis annis, *dum tutela durat,* nisi sit avus paternus aut maternus, rationem suae administrationis reddere debet Consilio familiae, C. I. 303.; vel subrogato tutori, C. G. 470., vel iudici pupillari, C. A. 238. 239. Cf. C. H. 279. seqq.; C. B. 1837. seqq.; C. L. 249. seqq. — *Exacta tutela,* tenetur item rationem suae administrationis

reddere, C. I. 302.; C. G. 469.; C. H. 281.; C. B. 1890., et de minus solerti administratione tenetur, nisi legitima praescriptione liberetur. C. I. 309.; C. G. 475.; C. H. 287.; C. B. 1833. — Inst. l. 1. t. 21.

139. *Nota:* Tutor, vel protutor, *minoris* bona *emere vel conducere* non potest, neque *acceptare potest cessionem* iurium *minoris*. Nulla conventio fieri potest inter tutorem et minorem, neque ulla testamentaria dispositio illi utilis esse potest, ante redditam et approbatam rationem tutelae. — Ius tamen ad expensarum ratione tutelae factarum compensationem, et ad convenientem officii sui remunerationem habet. — C. I. 300. 307. 769. 1457.; C. G. 156. 450. 472. 907.; C. H. 269. 270. 275. 276. 285. 753.; C. A. 266. 271.; C. B. 1795. 1796. 1805. 1834.-1836.; C. L. 73. 243. seqq.; L. 917.

Tutor vel curator non potest *donationes vel remissiones gratiosas* facere de bonis pupilli; non ad destruendum, sed ad tuendum est constitutus. Excipe donationem remuneratoriam; sic enim potest v. g., stipendio debito pro liberali servitio aliquid addere ex liberali donatione. Lugo, d. 23. s. 10.; L. 341.; C. H. 275.; C. B. 1804.

140. *Quaenam sint minoris obligationes?* — Tutor loco patris est. Hinc officia *minoris* erga ipsum similia sunt illis, quae ipsi patri deberentur. Minor vero est obligatio *minoris* erga curatorem; cui tamen quoad bonorum administrationem ei subesse debet, et gratum gerere animum. Verum *minor* sive erga curatorem, sive erga tutorem non tam stricte ad amorem, ad reverentiam et obedientiam ac erga parentes obligatur. Longe enim minor est eius ab ipsis dependentia ac a parentibus. — C. I. 280.; C. H. 263.; C. A. 217.

141. *Quinam sit tutoris et curatoris actuum valor?* — Illa, quae secundum leges fiunt sive a tutore, sive a curatore *valida et firma* sunt, adeoque rescissioni minime obnoxia, licet non utilia, sed nociva fuerint ei, qui sub tutela vel cura erat. C. I. 1304.; C. G. 1314. — Illa e contra, quae non secundum leges facta fuerint, licet utiliter gesta, revocari possunt *per restitutionem in integrum. Per restitutionem,* nam interim *valent,* C. I. 1107. 335. 1300.; C. G. 502. 1125. 1304.; C. H. 1291.; C. B. 1829. seqq.

142. *Quomodo tutela et cura finiantur?* — Finiuntur ex parte tutoris vel curatoris legitima eius excusatione, remotione, morte, vel negotiis ei commissis iam expletis. Ex parte eius cuius est tutor vel curator, *maiori* ipsius aetate, aut cessata interdicti vel inhabilitationis causa, vel eiusdem morte. C. H. 278.; C. A. 249. 251. 253. 283.; C. B. 1882. seqq.; C. I. 338. 342.; C. G. 512. 514.; C. L. 78.

X. — DE OBLIGATIONIBUS DOMINORUM ET FAMULORUM

143. *Quaenam sit servitutis natura et origo?* — « Tunc aliquis dominatur alicui, ut servo, quando eum cui dominatur, ad propriam utilitatem sui, scilicet dominantis refert ». S. Th. 1. p. q. 96. a. 4. Quare servitus ad dominium proprietatis proprie pertinet, non in personam, quae res non est et pretio aestimari non potest, sed in opera, quae possunt pretio aestimari, et consequenter vendi et locari. Perfecta est servitus, si quis alteri debet omnia sua opera, imperfecta, si non omnia vel non in perpetuo, vel nonnisi certis conditionibus.

144. Servitus seu servitutis dominium est naturalis quaedam sequela conditionis humanae vitae post originale peccatum. Cf. S. Th. in Arist. Polit. P. 1. lect. 3. In statu enim innocentiae non fuisset quidem dominium servitutis, sed tantum gubernationis et directionis. S. Th. 1. p. q. 96. a. 4.

145. Absoluta hominis servitus, ita ut homo sit plene in dominio proprietatis alterius hominis quoad omnia sua opera, et quoad ipsam vitam naturali iuri omnino repugnat. Nam nullus homo dominus est vitae suae, et nullus privatus homo potest pro libito suo disponere de vita alterius hominis. Iura praeterea hominis sunt omnino inalienabilia; et sic e. g. quilibet homo habet ex ipsa natura strictissimum officium et consequenter ius tendendi ad ultimum suum finem per illa media, quae Deus ipse constituit.

146. Perfecta autem operum dumtaxat servitus consona quidem non est humanae dignitati et cultae evolutioni civilis societatis. Et sic Ecclesia semper adlaboravit, ut haec perfecta servitus inter nationes aboliretur. In pluribus iam abolita est; sed extra Europam adhuc ea manet. Ea tamen, si iusti adsint tituli, et salva maneant inalienabilia hominis officia et iura, naturali lege non prohibetur. Secus enim etiam simplex famulatus prohiberetur eadem naturali lege. Uti famulatus essentiali hominum aequalitati et personali dignitati non opponitur, ita nec perfecta servitus, qua quis omnia sua libera opera in alterius utilitatem praestet.

147. Haec autem servitus iuste induci potest libera ipsius servi voluntate; qui libere disponere potest de suis operibus ad certum incertumve tempus vel per totam vitam pro licito earum usu, in gratiam alterius, eiusque utilitatem. Iuste etiam induci potest per iustam condemnationem ad talem poenam. Ac si tota quaedam civitas ad hanc poenam, bello iusto subiecta, fuerit condemnata, tunc ut patet eadem poena consequenter extenderetur ad filios natos,

tanquam ad partes eiusdem communitatis. Quin imo neque apparet iniustitia contra naturalem legem, si servitus, ut olim fiebat, titulo nativitatis inducatur. Nam, si herus est, qui servum eiusque prolem sustentat, aequum est, ut aliqua compensatio ei concedatur, danda profecto ab ipsa prole, cum a parentibus dari non possit: omnes enim eorum labores ad dominum pertinent. Hinc saltem, civili lege interveniente in bonum ipsius prolis, titulus nativitatis cohonestari potest ad servitutem inducendam. Cf. Molina de Iust. et Iure tr. 2. disp. 120. 121.; Lugo de Iust. et Iure d. 6. s. 2.

148. *Quid servus domino debeat?* — « Regulariter quando servitus iusta est, servusque iuste et legitime a domino possidetur, atque ex aequitatis praescripto sustentatur, omnia lucra et emolumenta *ex servi ipsius laboribus et industria provenientia domino acquiruntur*, ideoque furti reus est servus, qui eadem lucra et emolumenta sibi attribuit, de iisque inscio et rationabiliter invito domino disponit ». S. O. 20. Iun. 1866., Coll. S. C. de P. I. v. 1. n. 1293. *Servi laboribus*, quare, quae acquirit, aliena liberalitate, sua sunt; quia illa uti homo acquirit. Matrimonium item licite contrahit, etiam invito domino; quia ius omnium naturale est. C. 1. *de Coniuge servor.*

149. *An liceat nigritarum commercium?* — « Non licet nigros aliosque sylvestres, nemini infensos vi aut dolo captivare, et ita captivatos emere, vendere, vel de illis alios facere contractus. Eorum possessores tenentur ad ipsorum damna compensanda, et ad eos manumittendos. Neque vero licet possessoribus nigrorum aliorumque mancipiorum, ex privata auctoritate eos occidere, cremare, vulnerare, crudeliter tractare, mortis periculo exponere; et tenentur impedire ne vivant in concubinatu. Possunt autem eos in servitute retinere, etiam post baptismum, si non iniuste retineant ». S. O. 20. Mart. 1686., Coll. S. C. de P. F. v. 1. n. 230.; Gregor. XIV. 3. Dec. 1839., Coll. cit. n. 891. Non possunt christiani vel furtivos vel iniuste in servitutem redactos emere, nisi isti libere consentiant, ut vendantur, S. O. 12. Sept. 1776., Coll. cit. n. 515. Qui in legitima sunt servitute donari, permutari, vendi a dominis possunt, nisi vendantur illis, a quibus inhumaniter tractentur, vel si baptizati, fidei periculo exponantur, S. O. 29. Apr. 1840., Coll. cit. n. 900.; fugere ipsi non possunt, nisi forte a domino sollicitentur ad aliquod peccatum, vel inhumaniter tractentur. S. O. 20. Iun. 1866., Coll. cit. n. 1293.

150. *Quaenam sit servorum et famulorum distinctio? — Famuli* a *servis* distinguuntur. *Servi* sunt, qui ex iure gentium et civili contra naturalem libertatem subiiciuntur alieno domino, ita ut ad instar patrimonii possideri, alienari, et vendi possint. Schmalz. l. 4. t. 9. n. 1. seqq. « *Servorum* appellatio ex eo fluxit, quod imperatores nostri captivos vendere, ac per hoc servare nec occidere solent ».

L. 239. *de Verb. sign. Famuli* vero non sunt *servi*, sed *liberi*, qui libere famulatus contractum ineunt, operas suas ad certum incertumque tempus locando in servitium domini eiusque familiae. Hinc famuli sunt de familia, ideoque *familiares* etiam vocantur vel *domestici*. Sub gubernatione domini famuli sunt, et domini iura et obligationes erga famulos habent. Licet autem *famuli* et *de familia* proprie non intelligantur, qui per unam vel alteram tantum die horam, officia famulatus praestant; *familiares* tamen satis intelli guntur, qui per totam diem in domini domo stabilem habent sedem, eique inserviunt, quique vero noctu in propria dormiunt domo. — S. Th. 2. 2. q. 102. a. 1.

Famuli ergo ab *operariis* etiam distinguuntur. Hi enim operas locant suae ad certum tempus et laborem, alicui domino, sed in huius domum et familiam non recipiuntur, neque eius proprie et per se subsunt gubernationi.

151. *An et unde sit societas inter dominum et famulum?* — Si nspicitur solummodo contractus operarum inter famulum et dominum, societas inter ipsos nulla habetur. Verum si inspicitur quod famulus conversetur diu noctuque in domo domini, et adsciscatur tanquam pars familiae, tunc utique iam societas habetur, cum iam habeatur commune quoddam bonum in singulorum utilitatem.

Nulla humana societas consistere potest sine aliqua auctoritate, ac proinde ab ipsa natura exigitur subiectio ei correlativa. « Quia coniunctio, ait Suarez de Legib. l. 3. c. 1. n. 4., viri et feminae naturalis est, ideo in ea caput invenitur, quod est vir.... Similiter in alia coniunctione parentum et filiorum pater habet a natura potestatem in filium. Et in tertia, quae est servorum ad dominum, constat etiam potestatem gubernandi esse apud dominum, ut Paulus tradit. Tit. 2., Ephes. 6., Coloss. 3., dicens *servos debere dominis obedire, ut Deo*. Quia licet coniunctio servitutis non sit omnino a natura, sed per voluntatem humanam; tamen, illa supposita, subordinatio et subiectio lege naturae debita est titulo iustitiae. Subiectio autem filiorum etiam ipsum vinculum et fundamentum naturale habet, scilicet originem naturalem, unde et perfectior est ex titulo pietatis ».

Ex contractu operarum obligatio enascitur commutativae iustitiae pro famulo operas suas domino praestandi, pro domino pactam mercedem solvendi. Ex eo vero quod in partem familiae domini adsciscatur, dominus ius habet et officium famulum quoque regendi et gubernandi ad commune familiae bonum, famulo vero obligatio incumbit observantiae et obedientiae in illis, quae pertinent ad ordinem domesticum. Et sic S. Th. 2. 2. q. 65. a. 2. non ex pacto aliquo seu ex iustitia commutativa, sed ex ordine societatis, licet imperfectae, agnoscit in domino praeter dominium proprietatis in

operas famuli dominium iurisdictionis in personam sese extendens usque ad moderatam illius correptionem.

152. *Quaenam sint obligationes dominorum?* — Domini tenentur famulos suos: 1.° *Benigne tractare*, id est decenter et humane eos alloquendo et eis praecipiendo, bonaque et sufficientia alimenta praestando, nimiis operibus eos non gravando, nocivis et periculosis operibus sine debitis cautelis non exponendo, infirmos convenienter curando. Ac generatim tenentur officia caritatis proximi erga proprios famulos magis implere, quam erga alios; quia famuli pro ipsis laborant, et quasi vivunt, et de familia sunt. Constat ex iure naturali, et ex S. S. Eccli. 33., 31.: *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua; quasi fratrem sic eum tracta.* Ad Ephes. 6., 9.: *Et vos, domini, eadem facite illis* (servis), *remittentes minas; scientes quia et illorum et vester Dominus est in caelis, et personarum acceptio non est apud eum.* — 2.° *Convenienter gubernare*, debitam habendo rationem bonorum religionis et salutis; convenienter instruere et corripere: dominus enim est caput famuli, sicut totius familiae; ad caput autem spectat dirigere, ubi opus est. Videtur etiam constare ex verbis Pauli, 1. ad Tim. 5., 8.: *Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.* Famuli autem inter *domesticos* reputantur. Elbel n. 950. — 3.° *Iustum pretium solvere:* agitur enim de obligatione *iustitiae et aequitatis* naturalis; ac defraudatio talis mercedis inter peccata in caelum clamantia recensetur. 1. ad Tim. 5., 18. — 1. Reg. 30. 13.; L. 342.; S. Th. 2. 2. q. 102. a. 1.

Eaedem fere sunt obligationes aliorum herorum erga operarios, qui laborant in eorum fabricis et officinis.

Resolves: Peccare, et quidem etiam graviter, possunt domini: Si tempus non concedant famulis ad addiscenda rudimenta fidei christianae, vel eos ad catechismum et concionem non mittant; si non caveant, ut tempore debito missae assistant, confiteantur et communicent. — Si conducant, vel in domo retineant famulos illicitis sectis addictos, irreligiosos, impios, blasphemantes, turpia loquentes; si peccantes graviter non moneant et corrigant, aut emendationem promittere nolentes non dimittant, nisi forte eorum maxime indigeant, et alios invenire non possint. — Si non invigilent, quantum in ipsis est, ut servi a peccatis abstineant; si ipsis occasionem peccandi permittant; si eos pravo exemplo aut sollicitationibus in peccatum inducant vel alliciant. — Si stipendium promissum aut iustum non solvant, aut nimis differant; si famulos aegrotos non curent, eosque statim expellant, vel absque iusta causa ante praefixum tempus dimittant. — Epist. Cath. B. Iac. 5., 4.; C. B. 618.; L. 342.

Ad gravitatem peccati intelligendum quoad praedictam moni-

tionem, correctionem, et vigilantiam omissam, ac secutum scandalum, necessarium saepe est aperire conditionem *domini*. Quoad extraneos enim saepe gravis abest culpa.

153. *Quaenam sint obligationes famulorum?* — Tenentur famuli praestare dominis: 1.° Reverentiam; sic enim Apost. 1. ad Tim. 6.: *Servi dominos suos omni honore dignos arbitrentur*. Exinde peccare possunt etiam graviter, qui dominis irrident, eos aspernantur, illorum occultos defectus manifestant. — 2.° Obsequium et obedientiam in iis omnibus, ad quae se obligarunt vi contractus et vi positivarum legum, Cod. Austr. 1172.; Cod. Germ. 616. 617, et in iis quae spectant ad bonos mores; nam vi famulatus relatio exoritur superioritatis et subiectionis inter herum et famulum. Quare si hero competit ius gubernationis, famulo respondet obediendi obligatio. Sic ad Ephes. 6., 3.: *Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo*. Et 1. Petr. 2., 18.: *Servi, subditi estote in omni timore dominis non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis*. Hinc peccant plus minusve, ratione materiae, qui cum aliquid eis praecipitur, obmurmurant, insolenter respondent, tempus inutiliter terunt, negligunt praeceptum laborem peragere, aut cum damno domini pro se laborant; et, uno verbo, ii omnes qui obsequium non praestant, quale ordinarie a talibus exigi et praestari solet. — 3.° Fidelitatem; iuxta verba Pauli ad Tit. 2., 9.: *Servos dominis suis subditos esse...., non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes*. Hinc peccant, et saepe graviter contra iustitiam, qui rerum sibi creditarum curam non habent, qui ex culpa sua eas deteriores fieri sinunt, qui victualia pretiosa, aut ipsis non dari solita, surripiunt sive ad manducandum, sive ad extraneis dandum aut vendendum, qui secreta familiae manifestant, praesertim si inde damnum sequatur. — Leo XIII. Enc. *Quod Apostolici* 28. Dec. 1878.; S. Th. 2. 2. q. 103.; L. 343.

Ad gravitatem peccati intelligendam ratione *irreverentiae*, ac *inobedientiae* contra observantiam et duliam, et *infidelitatis*, contra iustitiam, conditio in confessione manifestanda est *famulatus*. Secus enim gravis quae habetur malitia vel non declaratur, vel in sua infima specie non satis exprimitur.

Eaedem fere sunt obligationes operariorum erga proprios patronos.

154. *Nota:* « Merces debetur famulis ad breve tempus infirmis, v. g., ad paucos dies, quia tempus anni, ad quem conducuntur, moraliter accipiendum est, seu ad breve tempus deficiens non est attendendum: parvum enim tempus respectu totius anni pro nihilo reputandum est. Secus vero; si famulus aegrotet ad plures menses, quia merces pro officio non praestito minime debetur. L. 346. Ne-

que tenetur dominus ad expensas pro curatione, seu pro remediis et medici opera faciendas. De hoc conveniunt omnes, si expensae sint notabiles; immo id etiam admittit S. Lig. n. 864. post Lugo, saltem ut probabile, si expensae sint leves. — Non debetur autem merces ulla operariis, etiam ad breve tempus aegrotantibus, quia isti ad diem conducuntur..., ergo pro singulis diebus tantum, immo pro media diei parte, si per mediam deficiant, iis retribuendum est ». Gur. Cas. 972. — C. B. 616. 617.

Dominus nequit ante constitutum tempus famulum dimittere absque *causa gravi.* Ratio est, quia contractus locationis est vere onerosus, utramque partem obligans pro ratione materiae. Ergo, quemadmodum famulus sine gravi causa herum deserere nequit, si hic, defectu famuli, damnum grave subire deberet; ita pariter neque dominus sine gravi causa famulum pro anno conductum abiicere. Herus ante tempus famulum dimittens sine sufficienti causa damnum inde emergens resarcire tenetur. Si famulus vero ante constitutum tempus discedat, *per se* ius habet ad salarium fere pro rata temporis famulatus, paulo minus tamen; sed si dominus grave detrimentum patiatur ex discessu famuli, partem proportionatam stipendii retinere potest. — L. 342. 345.; C. H. 1584.; C. B. 620. seqq.

Recte possunt famuli recipere salarium a domino, debitis gravato, si bona fide famulatum praestiterunt. Est enim iusta laboris merces, et dominus rem suam dat. « An vero ipsi teneantur discedere, si advertant, dominum ex tali famulatu impotentem reddi ad satisfaciendum debitis? Affirmat Navarr., etc. Negat tamen Molina, et non improbabiliter, ait Laym. Nam ipsi neque contra iustitiam peccant, si a domino rogati famulentur, et mercedem accipiant; neque contra caritatem, si defuturi non sint alii ad famulandum », L. l. 3. n. 694., idque maxime, si dominus servo indigeat.

155. *An famuli teneantur ad restitutionem, quando culpabiliter non impediunt damna, quae domino inferuntur?* — Aut famuli conducuntur ad rem familiarem custodiendam, ac ad invigilandum et impediendum, ne damnum ullum eidem inferatur, ut sunt *administratores, custodes,* etc., qui hoc potius nomine, quam nomine *famuli* appellari solent; aut ad merum laborem et operam suam praestandam, in rebus familiae necessariis, conducuntur, qui proprie *famuli* communiter nuncupantur. — In primo casu ad restitutionem et damnorum compensationem tenentur. Dominorum enim damnum ex officio et contractu, adeoque ex stricta iustitia commutativa, impedire tenentur.

In altero casu, alii dicunt teneri etiam *famulos* ad damnorum compensationem, sive illa ab extraneis, sive ab aliis famulis inferantur. Eorum ratio est, quia, vi ipsius famulatus, dominus unicuique

famulo res suas in custodiam committit. Alii *communius* et *probabilius* dicunt teneri, si furtum et damnum committatur ab extraneis; non teneri, si committatur ab aliis famulis seu domesticis. Ratio est, quia eo ipso quod in familiam admittantur censentur quidem obligationem suscipere eam adversus extraneos defendendi, minime vero etiam adversus alios familiares. Alii tandem dicunt famulos non teneri ad restitutionem seu damni compensationem. Licet enim ex caritate obligentur ad illud damnum impediendum, non obligantur tamen ex iustitia. Nam conducuntur quidem ad laborem et operam suam praestandam in rebus familiae necessariis, minime vero ad custodienda etiam et defendenda bona familiae. Ad custodiam et vigilantiam supra res domesticas vel familiam et speciatim ad penus curam et custodiam, speciales famuli et administri praeficiuntur; et istis claves ad res custodiendas traduntur. Quare tunc tantum famuli ad restitutionem seu damni compensationem tenentur, cum ipsis illa cura et custodia rei familiaris speciali munere commissa sit, vel explicite, vel implicite, e. g., cum datur eis clavis ad extrahendum aliquid de aliquo loco, quia pro tunc custodia eius loci ipsis demandatur. — Stante hac sententiarum varietate, confessarius, ab urgenda restitutionis obligatione prudenter abstinere debet. — Lugo d. 19. n. 106.; L. l. 3. n. 344. 573.

156. *An famuli, iudicantes salarium esse infra operam ab ipsis praestitam, uti possint occulta compensatione?* — R. Affirmative, si domini stipendium ex conventione constitutum non solvant, vel imminuant. Aperte enim tunc commutativam iustitiam laedunt, Ithur. Cas. 1. n. 2. — R. Negative, *saltem generatim loquendo*, extra praedictum casum. Prob. 1.° ex pr. 37.ª d. ab Innoc. XI. 2.° Nam licet de minori pretio convenerint, contractui tamen, utpote iusto in conscientia standum est. *Saltem generatim loquendo*, quia excipiunt plures: 1.° Si famulus vi aut metu compellatur ad consentiendum in pretium inaequale. 2.° Si necessitate compulsus in illud consenserit, modo tamen dominus alios famulos eodem vili pretio, iam iuste non invenisset, vel hunc rogantem ex misericordia non exceperit. Quin immo, si famulus, nulla statuta mercede, inserviat, ex mera domini caritate, ut ab eo alatur, nullam praetendere potest, « quemadmodum accidit cum pueris, quos nobiles aut Episcopi rogantur in suam familiam admittere; tunc enim sufficit, si domini tribuant eis victum, vestes et habitationem, cum talis sit consuetudo ». L. 348. 3.° Si invitus operibus indebitis gravetur. 4.° Si operas augeat ex voluntate domini, sive expressa, sive tacita; operarius enim dignus est mercede sua; secus vero si omnino sponte ipsemet operas augeat, quia tunc censetur operas condonare ad conciliandam sibi gratiam domini. L. 522. 523.

157. *Nota:* Quod de famulis, idem dicendum est de aliis operariis, et de mercatoribus. — Quaenam sit iusta compensatio iudicio etiam famuli relinqui potest, si prudens sit et timoratae conscientiae. Sed res in praxi periculo saepe hallucinationis non caret. — Periculum etiam practice praecavendum est, ne si deprehendatur domini pecuniam surripuisse, tanquam fur traducatur et ad carcerem condamnetur. — L. 524.

XI. — DE DOMINIS ET OPERARIIS

158. Quae de dominis et famulis dicta sunt, cum debita proportione intelligi debent de patronis et operariis, ut iam diximus, sive hi sint opifices, sive sint coloni, qui definito quodam tempore, vel pro determinato aliquo opere in aliorum utilitatem laborant. Porro primum omnium officium est, ut iustum ineant pactum, servata debita aequalitate inter laborem et stipendium. Initus contractus deinde fideliter est servandus. Proinde operarius debet promissam operam praestare, patronus promissam tenetur solvere mercedem. Possunt quidem patroni et operarii contractum inire locationis operae seu laboris pro congruenti mercede. Possunt etiam inter se contractum inire societatis, ita ut patroni conferant in societatem capitale operarii laborem, proportionatum deinde percipiendo fructum. Uterque contractus licitus est; sed neque patroni possunt cogere operarios, neque operarii patronos ad unum potius quam ad alium; libera conventione patronorum et operariorum res est definienda.

159. Domini et patroni tenentur per se operarios diuturnioribus et gravioribus laboribus non onerare, neque eos laboribus exponere periculosis, nisi communis boni ratio aliud exigat, et debitae adhibeantur cautelae.

Tenentur operarios bene tractare, urbanitate et christiana caritate. Illis praeterea libertatem relinquere debent religionis officia implendi, adeoque minime eos cogere debent ad laborandum diebus dominicis et festis, nisi gravis urgeat necessitas; et tunc saltem tempus eis concedere debent, quantum fieri potest, ad missam audiendam.

Tenentur iustam mercedem, secundum inita pacta, et suo tempore, solvere. Tenentur eos non iniuste impedire, quominus laborent, et suo labore se possint convenienter sustentare. Eos item in necessitate positis ex caritate, prae aliis extraneis pauperibus, succurrere debent, cum ipsis operarii coniunctiores sint, et non parvae sint utilitati: lucrum enim, quod percipiunt, operariorum labori magna ex parte debetur,

Domini et patroni, tanquam superiores, tenentur ab officinis, in quibus plures laborant operarii, pericula corporis avertere et animae. *Corporis,* opportunis praesidiis eorum valetudini cavendo; *animae,* prohibendo blasphemias, turpes sermones, perversa diaria, obscoenas imagines, ne promiscue simul viri et feminae, praesertim adolescentiores versentur.

160. Operarii vicissim tenentur cum debita peritia et diligentia promissam operam praestare, servatis *conditionibus* libere imitae conventionis. *Conditionibus,* scilicet licitis et iustis. Quare, si non laborent tempore per contractum constituto, vel si non adhibeant in labore saltem ordinariam et mediocrem diligentiam, ad restitutionem tenentur, et secutum damnum debent etiam reparare. Neque vero ullo modo possunt, contra praedictum iustum contractum, a labore cessare, cum domini damno, et multo minus alios operarios inducere ad eandem cessationem, ad obtinendam diminutionem temporis laboris, et salarii augmentum. Manifesta haec est iniustitia. Tempore elapso contractus, et praestita promissa opera, si velint melioribus conditionibus, licitis tamen et iustis, contractum renovare, neque aliter id possunt, licitis et iustis mediis, obtinere, tunc utique possunt, si velint, ab opera cessare, quin tamen alios impediant laborare volentes minis et vi, et quin publicum ordinem perturbent.

Atque hic notandum est, quod meliores conditiones, quos exigere possunt operarii in novo ineundo contractu, possunt esse *iniustae* et *iustae. Iniustas* patroni acceptare non tenentur; *iustas* autem non semper acceptare tenentur; nam si et ipsi *iustas* offerunt conditiones, quas operarii proponunt, etiam *iustas*, evidenter non tenentur tunc acceptare; et eidem operarii impedire non possunt alios operarios laborare volentes, illis iustis patronorum conditionibus.

161. Iniuste ergo operarii agunt, si contra inita pacta, cessant a labore; et multo magis, si minis ac vi cogunt alios operarios, ut ipsi etiam a labore desistant; maxime vero, si civitatis pacem perturbent; ut hisce mediis minimam ipsi praestent operam, maximae mercedis retributione. — Iniuste pariter agerent patroni, si contra inita pacta operarios dimitterent; et multo magis, si alios etiam minis ac vi compellerent ad illos dimittendos; ut ita maximam operarii praestent operam minimae mercedis retributione. — Ad hanc impediendam pugnam inter patronos et operarios oportet, ut patroni christiana caritate operarios complectantur, et operarii christiana patientia laborem tolerent, et patronos revereantur.

162. Hac in re multa iure ac utiliter civilis princeps sua praestare potest auctoritate: « Si quando fiat, ut quippiam turbarum impendeat ob secessionem opificum, aut intermissas ex composito operas; ut naturalia familiae nexa apud proletarios relaxentur;

ut religio in opificibus violetur, non satis impertiendo commodi ad officia pietatis; si periculum in officinis integritati morum ingruat a sexu promiscuo aliisve perniciosis invitamentis peccati; aut opificum ordinem herilis ordo iniquis premat oneribus, vel alienis a persona ac dignitate humana conditionibus affligat; si valetudini noceatur opere immodico, nec ad sexum aetatemve accommodato, his in causis plane adhibenda, certos intra fines, vis et auctoritas legum. Quos fines eadem, quae legum poscit opem, causa determinat: videlicet non plura suscipienda legibus, nec ultra progrediendum, quam incommodorum sanatio, vel periculi depulsio requirit » Leo XIII. Litt. enc. *de Conditione Opificum.*

163. Ad salarii iustam quantitatem determinandam attendenda est non solum *libera conventio*, verum etiam *laboris natura.* Iam vero « hoc est operari, exercere se rerum comparandarum causa, quae sint ad varios vitae usus, potissimumque ad tuitionem sui necessariae. *In sudore vultus tui vesceris pane.* Itaque duas velut notas habet in homine labor natura insitas, nimirum ut *personalis* sit, quia vis agens adhaeret personae, atque eius omnino est propria, a quo exercetur, et cuius est utilitati nata: deinde ut sit *necessarius* ob hanc causam, quod fructus laborum est homini opus ad vitam tuendam: vitam autem tueri ipsa rerum, cui maxime parendum, natura iubet. Iam vero, si ex ea dumtaxat parte spectetur, quod *personalis* est, non est dubium, quin integrum opifici sit pactae mercedis angustius finire modum, quemadmodum enim operas dat ille voluntate, sic et operarum mercede vel tenui vel plane nulla contentus esse *voluntate* potest. Sed longe aliter iudicandum, si cum ratione *personalitatis* ratio coniungitur *necessitatis*, cogitatione quidem, non re ab illa separabilis. Reapse manere in vita, commune singulis officium est, cui scelus est deesse. Hinc ius reperiendarum rerum, quibus vita sustentatur, necessario nascitur: quarum rerum facultatem infimo cuique nonnisi quaesita labore merces suppeditat. Esto igitur, ut opifex atque herus libere in idem placitum, ac nominatim in salarii modum consentiant; subest tamen semper aliquid *ex iustitia naturali,* idque libera paciscentium voluntate maius et antiquius, scilicet alendo opifici, frugi quidem et bene morato haud imparem esse mercedem oportere. Quod si necessitate opifex coactus, aut mali peioris metu permotus, duriorem conditionem accipiat, quae, etiamsi nolit, accipienda sit, quod a domino vel a redemptore operum imponitur, istud quidem est subire vim, cui iustitia reclamat ».

164. Cum autem pretium rerum, quae ad vitam sunt necessariae, varium sit, patet quod iusta merces operarii solvenda non tantum ex labore praestito, secundum communem aestimationem,

sit attendenda, verum etiam ex hoc vario rerum pretio. Quare iusta operariorum merces ex variis pendet causis.

Opera, quae ab operariis praestatur, in aliorum commodum et utilitatem, opera humanae personae est, ab humana libertate procedens. hinc licet quasi res quaedam consideretur, nobilius quid *merce* est, et rationem induit *meriti* et *iuris ad praemium*. Merces ergo, quae eis retribuitur, et *salarium* ac *stipendium* solet appellari, licet, ut pretium quoddam consideretur, pretium rerum excedit, et praemii ac remunerationis rationem sibi adsciscit. Illa autem opera, ex ipsa naturae provida dispositione, ab operario praestanda est, ut ea opera sibi ad vitam necessaria procuret. Salarium igitur, quod datur operario pro eius opera praestita, non est quasi permutatio rei cum re, mercis cum pretio, neque consequenter datur tantum *pro ipsa opera in alterius utilitatem praestita*, sed datur etiam *pro ipsa persona, pro personae necessitate, pro personae merito.*

165. Operarum merces ergo operario alendo *sufficere debet*, ex ipsa naturae intentione, quae homini industriam et laborem suppeditat ad ea quaerenda, quae sibi sunt ad vitam necessaria. Inde mercedis iustitia primario aestimanda est, quae consequenter, cum *diurnae sustentationi* sufficere debeat, *diurnum* supponit *officium* ex parte operarii. *Diurna sustentatio* non stricte certe accipienda est, ut pro animali, sed latius et convenienter, ut pro homine, ita ut ea comprehendatur, *debita proportione*, inspecto toto humanae vitae tempore, et operariorum in civili societate conditione, et victus, et habitatio, et vestitus, et alia variis in humana vita occurrentibus necessitatibus, ex morbo, ex senectute etc., omnino ad vitam ipsam indispensabilia. Atque haec praeterea sunt cum *debita moderatione* aestimanda; operarius enim supponitur non vitiosus et dilapidator, sed bene moratus et frugis. *Officium* autem *diurnum* nonnisi moraliter intelligendum est, et item convenienter ad ipsum laborem exercendum duriorem vel leviorem. Unde uti certe 24 diei horas non comprehendit, ita neque ad unam vel alteram horam coarctatur. Cum autem ea quae sunt necessaria ad vitam pro vario tempore et loco varium habeant pretium, hinc etiam varium erit iustum operariorum salarium secundum varias temporum et locorum circumstantias.

Atque hinc iterum patet *operam* hominis *mercem* proprie non esse, neque proprie *pretium* esse illius *mercedem*. Nihilominus non est dubium, quod illa opera quasi *merx* etiam est, in se ipsa considerata, et non relate ad personam, cuius actus est, eiusque merces consequenter quasi pretium accipitur. Hinc operarum merces ex hoc etiam capite varie aestimatur, iuxta varios regionum mores, *ex ipsis operis*, i. e. ex earum intrinseca praestantia, generali ne-

cessitate, utilitate, labore, periculo. Hinc aliter aestimatur in medicis, ludimagistris, pictoribus; aliter in architectis, caementariis, fossoribus. Minime vero ea aestimatur ex illarum peculiari necessitate et utilitate; haec enim ad conductorem pertinet, e. g. si puer instruendus, magno praeditus sit ingenio.

166. Ut igitur rerum pretia, ita iterum operarum mercedes augeri et minui possunt. Augentur autem et imminuuntur ex illis ipsis causis, quibus rerum pretia crescunt et decrescunt: ex eo quod multi sint, qui operas praestant, pauci qui eas conducunt; ex earum diurna duratione, longiore, breviore; ex impenso in illis labore; ex periculo quod in illis incurritur; ex requisita peritia; ex ultronea earum oblatione. Iusta erit consequenter operarum merces, si saltem infimam attingat mercedem, quae tali loco et tempore solet talibus operariis tribui. — Ac, si operas, praestans suas, quasi socius eas alteri vel aliis praestat, aequum est, ut aliquid et ipse ex lucris percipiat.

Verum operarum merces minime augeri vel imminui potest ex variis conditionibus sive personae cui praestantur, sive personae, quae eas praestat. Iustitia enim inspicit aequalitatem rei ad rem, non varias personarum circumstantias. Et sic maior non est merces solvenda, quia minus peritus locator, maiori labore, tempore, periculo, quam caeteri, eas praestat; vel quia inopia versatur, uxorem habet, filios etiam habet; unde absonum illud *familiare salarium* exploditur. Quod praeterea etiam exploditur ex ipsa statuta amplitudine *iustae mercedis* operariorum, si isti nempe *bene morati* sint, et *fruges*, et debita vivant parcimonia, quae initio quidem necessaria, in exiguum deinde desinit comparandum patrimonium.

XII. — OBLIGATIONES MAGISTRORUM ET DISCIPULORUM

167. De obligationibus primum dicendum paucis est Rectorum Collegiorum et alumnorum; deinde de magistrorum et discipulorum obligationibus.

168. Praecipua obligatio Rectorum Collegiorum et Convictuum est, curare ut alumni fidei christianae rudimenta addiscant et Religionis officiis rite instruantur; tum ut honestis moribus imbuantur, et sacramentorum frequentiae assuescant; tandem ut operam cum profectu dent utilibus studiis. — Ratio est, quia ad hunc finem parentes filios suos in Collegiis et Convictibus educandos collocant. Collegiorum igitur et Convictuum Rectores subintrant in obligationes parentum, qui corporalem et spiritualem maxime educa-

tionem filiis suis debent. Ac licet hac in re parentes officio suo deficerent; non ideo tamen Collegiorum et Convictuum Praesides ac Rectores negligentes hac in re esse possunt; ad illam enim curam et diligentiam habendam obligantur vi ipsius muneris suscepti, quod participatio quaedam est ipsius paternae potestatis.

169. Collegiorum alumni tenentur suis superioribus exhibere, amorem, et cultum, reverentiam ac obedientiam, in his quae ad eorum auctoritatem et curam spectant; item subsidium necessarium. — Debent *amorem;* quia Collegiorum Superiores curam de ipsis habent quasi paternam. Hinc « *patres* appellantur propter similitudinem curae ». S. Th. 2. 2. q. 102. a. 1. c. Debent *honorem et cultum.* Eorum enim Superiores vere sunt in dignitate constituti et vere gubernandi officium habent. « Ratione excellentiae debetur eis honor, qui est quaedam recognitio excellentiae alicuius. Ratione autem officii gubernationis debetur eis cultus, qui in quodam obsequio consistit; dum scilicet aliquis eorum obedit imperio, et vicem beneficiis eorum pro suo modo rependit ». S. Thom. 2. 2. q. 102. a. 2. Cf. etiam a. 1. et q. 103. a. 2. Debent *obedientiam:* obedientia enim debetur omnibus superioribus. *Obedite*, inquit Apostolus ad Hebr. 13. 17., *praepositis vestris, et subiacete illis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem reddituri pro vobis.* — Debent tandem *subsidium,* seu *honorarium,* aut *pensionem;* plures enim sustinendae sunt expensae, et ipsa opera et cura eorum pretio est aestimabilis et maxime digna. *Qui bene praesunt Presbyterii,* ait Apostolus 1. ad Timoth. 5., 17. 18., *duplici honore digni habentur, maxime qui laborant in verbo et doctrina: dignus est enim operarius mercede sua.*

170. Huiusmodi actus amoris et obedientiae actus *formaliter* sunt virtutum charitatis et obedientiae; in quantum vero procedunt ex cultu Superiorum « continentur quodammodo sub observantia ». S. Th. 2. 2. q. 104. a. 3. ad 1. Honor autem et cultus ad virtutem proprie spectant observantiae, quae ad invicem obligat subditos et superiores, sicut virtus pietatis ad invicem obligat sanguine coniunctos. Relatio enim subditi et superioris fundat specialem obligationem ad quosdam actus virtutum, sicut similem obligationem fundat coniunctio sanguinis. Unde etiam virtus observantiae reductive pertinet ad quartum praeceptum Decalogi. Duo autem sunt genera hominum, erga quos nos obligat virtus observantiae. Primum genus est Superiorum, qui in nos habent potestatem spiritualem, ut sunt Summus Pontifex, Episcopi, Parochi, aut etiam Confessarii. Secundum genus est Superiorum saecularium, qui in nos habent potestatem temporalem, ut sunt Reges, Principes, Duces, aut etiam Domini domus, seu patresfamilias respectu famulo-

rum. Itemque Collegiorum Rectores seu Superiores. Struggl tr. 7. q 2. a. 4. n. 23. Tandem stipendium debitum ad commutativam iustitiam pertinet.

171. Cum igitur ratio superioritatis varia esse potest. similiter multiplex esse potest obedientia: ecclesiastica, civilis, sacramentalis, vi sacramenti poenitentiae recipiendi respectu Confessarii, voluntaria ratione voti, domestica seu oeconomica, etc.

173. Ipsa autem naturali lege, in seminariis, collegiis, convictibus, tenentur alumni denuntiare corruptores, qui magnum aliis afferunt spirituale damnum; neque absolvi possunt, nisi in huiusmodi denuntiatione consentiant.

174. Quaeritur autem hic, num Superiores Collegiorum et Rectores Seminariorum possint pro recta Collegii vel Seminarii disciplina constituere regulas seu *statuta* in conscientia obligantia? — R. Affirmative; nam habent veram auctoritatem saltem oeconomicam, et veram curam habent boni communis, ad quod maxime expedit quod determinatae sint regulae observandae, saltem sub poena subeunda a trangressoribus. Verum ista facultas, ut patet, limitata est. Etenim ad ea tantum se extendit, ad quae eorum praelatio est ordinata. S. Th. 2. Sent. D. 44. q. 2. a. 3. Busembaum apud S. Alph. l. 3. n. 361. inquit: « Discipuli peccant..... si non obediant in rebus pertinentibus ad studia et bonos mores..... Gymnasii sui leges, vel Academiae statuta, si quidem ea ad peccatum obligent, non servent ».

175. Inter magistros item et discipulos sunt quodammodo etiam eaedem obligationes, *quae inter parentes et liberos*. Ratio, quia parentes, quorum ius et obligatio proprie est educationis et institutionis filiorum, magistros sibi substituunt, qui proinde eorum locum hac in re tenent erga liberos.

Quare *magistri* et praeceptores debent discipulis amorem, bonum exemplum, rectam educationem, correctionem, veram doctrinam. — Hinc tenentur sese perficere in scientia, quam docent, ad alios debite erudiendos; promovere profectum discipulorum in litteris, quantum in ipsis est; eos avertere quantum possunt ab aliis, qui pravis moribus turpantur, quosque in scholis suis admittere nullo modo debent. — Delinquere possunt etiam graviter, cum discipulorum instructionem negligunt, aut eos iniuste vel indiscrete puniunt; sed praesertim si eosdem seducant ad peccata impellendo; si non doceant bonos mores; si ex proposito falsa doceant ut vera, vel saluti noxia; si alumnos retineant malis moribus imbutos, qui aliis perniciosi sint, etc. — Graviter autem deliquere possunt tum ratione *officii*, tum ratione *stipendii*, quod recipiunt. — L. 361.

Si specialem curam magister ex quasi contractu assumpserit

educationis suorum discipulorum, contrariis peccatis. e. g. scandali violatur non tantum caritas, sed etiam iustitia. Unde magistri conditio in illis est explicanda.

Discipuli tenentur vicissim exhibere magistris amorem, reverentiam, obedientiam, ob superioritatem et curam eorumdem, dum eruduntur ab eis in bonis moribus et artibus. Ratio patet: hoc enim importat obligatio reciproca discipulorum ad magistros, qui plane frustra obligarentur ad eos erudiendos, vel imbuendos bonis moribus, nisi discipuli pariter obligarentur ad sectanda monita et praecepta magistrorum. — Peccant autem discipuli, graviter vel leviter ex ipsa rei gravitate vel levitate, eiusque variis circumstantiis, si magistris non obediant in rebus pertinentibus ad studia et bonos mores; si magistris non exhibeant honorem et reverentiam; scilicet si nedum diligenter studeant, tempus conterant in otio, lusu, aliisve ineptiis contra voluntatem magistrorum suorum; si magistris detrahant, vel irrideant, eos subsannent: maledictis, calumniis, molestiis afficiant, etc. — C. 1. ult. *de Magistr.* etc.; Clem. 2. e. t.; L. 361.; S. Th. Quodl. 3. a. 9.

Discipuli conditio est explicanda in gravibus peccatis contra debitam reverentiam et obedientiam. Secus enim gravis contra observantiam malitia non declaratur.

176. *An licite quis acceptet munus Rectoris vel Professoris in Universitatibus modernorum Guberniorum, in quibus ab aliis Professoribus non rectae tradantur doctrinae?*

R. Affirmative; dummodo ipse reprobet falsas aliorum Professorum doctrinas, neque eis ullo modo faveat; et suum munus adimpleat Rectoris vel Professoris ad normam christianae doctrinae. Ratio est, quia cooperatio in talem Universitatem est mere materialis et valde remota, cum uno recusante, eoque honesto et catholico viro, non deerunt multi alii, iique vel indigni vel certo minus digni et idonei. Insuper gravis habetur causa huiusmodi cooperationis: scilicet non tantum ex parte ipsius personae, nempe honorarii perceptio ad suam suorumque sustentationem, verum etiam, et potissimum, ex parte ipsius societatis, malum iuventutis impediendum, eiusque bonum promovendum; quod certe maximum esset, si honesti et catholici viri niterentur ipsi prae malis et impiis viris publicas scholas dirigere, in eisque publice docere. — S. O. 21 Mart. 1866., Collect. S. C. de P. I. F. n. 1286.

Omnes Doctores atque *Magistri publici* cuiuscumque disciplinae ex Trid. S. 25. C. 2. de R. et ex C. S. Pii V. *Sacrosancta* tenentur, antequam commissum sibi docendi munus aggrediantur, fidei professionem emittere iuxta formulam ab ipso Pio praescriptam, uti etiam promovendi ad scholasticos gradus doctoris, etc.

177. *An licite quis studeat in Universitate vel alia schola, moderni Gubernii, in quo a professoribus falsae doctrinae tradantur; in eaque gradus academicos recipiat Baccalaurei, Licentiati, Doctoris?*

R. Affirmative; si aliae non habeantur catholicae scholae, et dummodo non habeatur periculum perversionis quoad fidem et mores, et ex animo reprobetur quaevis falsa doctrina, quae audiatur contra Religionem, nec quidquam verbis aut operibus fiat ad illam sustentandam. Ratio iterum est, quia materialis, et satis remota, cooperatio excusari potest ex legitima causa, quae hic est ratio doctrinae addiscendi, impossibilitas, quae adest alias scholas adeundi, et quae haberetur ad academicos gradus consequendos. — Leon XIII. ad Rom. 16. Aug. 1878., Instruct. S. C. de P. F. 16. Ian. 1841., 30. Iun. 1875, S. O. 24. Nov. 1875., 14. 26. Mart. 1895., Collect. S. C. de P. F. v. 2. n. 1449, 1890. 1260.

178. « Magistri et Paedagogi peccant: ...si doctoratus insignia negent dignis, indignis conferant. quod Navarr. dicit esse mortale, praesertim in Theologia, Iure Canonico, Civili, et Medicina: nam in Philosophia forte veniale tantum esse censet Caiet ». Busemb. ap. S. Alph. l. 3. n. 361.

« Theologiae ac Iuris canonici laurea nullus in posterum donetur, qui statum curriculum in scholastica philosophia antea non elaboraverit. Quod si donetur, inaniter donatus sit ». Pius X. Enc. *Pascendi* 8. Sept. 1907.

Si quis eodem anno in Facultate Theologica et Iuris canonici simul inscriptus sit, etiam si in diversis Institutis, omni iure ad gradus suscipiendos privatus existat. Quod si aliquo gradu donetur, inaniter donatus sit. S. C. Stud. 11. Iulii 1896.

Gradus academici Romae vel alibi penes catholicas Universitates vel Pontificia Instituta obtenti, omnino validi censendi sunt aliis in locis sine nova confirmatione, vel novis taxis exigendis. Monit. Eccles. v. 21. p. 398. seqq.

XIII. — DE OBLIGATIONIBUS INFERIORUM ET SUPERIORUM ECCLESIASTICORUM

179. *Quaenam inferiorum obligationes sint quoad ecclesiasticos superiores?* — Subditi tenentur suis superioribus spiritualibus exhibere amorem, honorem, et obedientiam in his, quae ad eorum iurisdictionem, et curam spectant; item subsidium necessarium. Prob. 1.° Id constat ex pluribus locis S. S., 1., ad Timoth. 5., 17. 18.; ad Hebr. 13., 17., etc. 2.° Quoad *amorem, reverentiam,* et *obedientiam;* quia superiores sunt, veram habentes iurisdictionem: quoad *subsi-*

dium; quia dignus est operarius mercede sua. Ut iis qui communi utilitati, i. e. Principibus, militibus, et aliis huiusmodi, operam navant, victus stipendia a populo debentur, ita etiam illis, qui cultui ministrant ad salutem totius populi, populus stipendia debet sustentationis. — Trid. s. 25. C. 17. de R.; Leo XIII. Enc. *Sapientiae christianae* 10. Ian. 1880; S. Th. Quodl. 6. a. 10., Quodl. 10. a. 12.

180. *Resolves*: Christiani omnes tenentur ergo sub gravi culpa obedire Summo Pontifici in rebus ad fidem, ad mores, ad christianam disciplinam pertinentibus; nam in his est Christi in terris Vicarius. Eodem modo dioecesani tenentur obedire Episcopis, secundum rationem materiae, in illis, quae ad eorum iurisdictionem spectant.

181. *Quaenam sint ecclesiasticorum superiorum obligationes?* — Superiores spirituales tenentur vicissim subditis exhibere amorem, spiritualem curam, doctrinam, et bonum exemplum. Prob. 1.° Id constat ex pluribus locis S. S., Cf. Epp. ad Timoth. et ad Tit., et C. Trid s. 23. C. 1. de R. — 2.° Ex ipso eorum officio id evincitur. — Unde neglectus animarum quoad earum christianam instructionem et administrationem sacramentorum, quoad earum debitam monitionem et correctionem, in superioribus ecclesiasticis non solum est contra caritatem, sed etiam contra iustitiam, et plerumque peccatum mortale, iuxta illud Ezech. 34., 2. 4.: *Vae pastoribus Israel: quod infirmum fuit, non consolidastis, et quod aegrotum non sanastis*, etc. — L. 357. seqq.

XIV. — DE OBLIGATIONIBUS QUOAD CIVILEM AUCTORITATEM

182. Cum societas domestica sit societas imperfecta, et humanae vitae necessitatibus sufficientiam non praebeat; natura autem imperfectum non facit, nisi ut ad perfectum tendat, patet quod, ipsa congenita sociabilitate naturae humanae, familiarum naturali evolutione societas enascitur civilis, quae consequenter, ut familia est societas immediate naturalis, ita etiam ab ipsa natura immediate civitas suam nanciscitur originem; et consequenter politicum etiam principatum absolute et secundum se consideratum a Deo immediate est, ut ab auctore naturae. Ab ipsa quidem natura homo ordinatur tum ad societatem imperfectam seu familiam, tum ad societatem perfectam seu civitatem, quae consequenter quid profluens est ex ipsa humana natura. Suarez de Legib. 3. c. 1. n. 3. Nulla autem esse vel concipi potest humana societas sine eam regente et gubernante auctoritate. Suarez de Legib. l. 3. c. 2. n. 4. Unde Apostolus ad Rom. 13., 1.: « Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo, quae autem

sunt a Deo ordinatae sunt ». Unde, *non est potestas nisi a Deo. Quicumque ius imperandi habent non id aliunde accipiunt... Quidquid potestatis usquam est a Deo... proficisci ipsa natura testatur.* Leo XIII. Enc. *Immortale Dei.*

183. « Interest autem attendere hoc loco eos, qui reipublicae praefuturi sint, posse in quibusdam caussis voluntate iudicioque deligi multitudinis, non adversante neque repugnante doctrina catholica. *Quo sane delectu designatur princeps, non conferuntur iura principatus; neque mandatur imperium, sed statuitur a quo sit gerendum* ». Leo XIII. Enc. *Diuturnum illud teterrimumque bellum.*

184. Civilis societas ergo est societas perfecta ordinis naturalis, quae suppeditat perfectam sufficientiam vitae. Leo XIII. Enc. *Immortale Dei;* S. Th. in 1. Polit. Lect. 1. *Perfectam sufficientiam,* supplendo defectui personae individuae et societatis domesticae quoad perfectam culturam humanae vitae. « Omnis enim communicatio hominum ordinatur ad aliquid necessarium vitae ». S. Th. in l. c. Illa ergo erit perfecta civitas, in qua inveniantur omnia necessaria ad vitam humanam explicandam; quod fit publici ordinis observantia, pro communi sociorum bono; ut nempe in pace et iustitia vivant cum bonorum sufficientia, quae ad vitae corporalis conservationem et commoditatem spectant, et cum ea probitate morum, quae ad hanc externam pacem et felicitatem reipublicae et convenientem humanae naturae conservationem necessaria est. Suarez de Leg. l. 3. c. 11. n. 6. Etenim « non aliunde beata civitas, aliunde homo; cum aliud civitas non sit quam concors hominum multitudo ». S. Aug. Epist. 155. Quare quemadmodum Deus est finis simpliciter ultimus totius humanae vitae, sic Deus est etiam ultimus civilis societatis finis; et consequenter totius civitatis operatio ad illum tandem finem tendere debet, hominum vitam per leges ad virtutes ordinando. S. Th. l. c. et 1. 2. q. 96. a. 3.; Suarez de Leg. l. 3. c. 12.

185. Iam vero ex ipsa natura civilis societatis adumbrata facile deducitur quaenam in ea principis seu publicae potestatis et subditorum obligatio sit.

Tenentur principes sedulam curam habere communis boni. Te nentur consequenter mala avertere, quantum fieri potest, a societate, quae ex bellis cum extraneis, et ex internis seditionibus opera sectarum massonum, socialistarum, aliorumque id genus, proveniunt.

« Gerendum est imperium ad utilitatem civium, quia qui praesunt ceteris, hac una de causa praesunt, ut civitatis utilitatem tueantur. Neque ullo pacto committendum, unius ut vel paucorum commodo serviat civilis auctoritas, cum ad commune omnium bonum constituta sit ». Leo XIII. Enc. *Immortale Dei,* Enc. *Diuturnum.*

Gravissima igitur obligatio principum est, ut proprio munere rite fungantur. Et eo gravior est obligatio, quo sublimior est eorum dignitas. « Principes a Deo optimo maximo. *unde* sibi auctoritas, data exempla sumant; eiusque imaginem sibi in administranda republica proponentes, populo praesint cum aequitate et fide, et ad eam, quae necessaria est, severitatem, paternam caritatem adhibeant ». Leo XIII. Enc. *Diuturnum.*

186. Tenentur ergo principes leges ferre iustas, et communi bono utiles, iustitiam sine personarum acceptione administrare, et executionem urgere publicorum decretorum et sententiarum, pro triplici munere politicae potestatis, legislativo, iudiciali, executivo seu coactivo; et consequenter tenentur malefactoribus debitas poenas irrogare, praesertim quoad ea crimina, quae directe vergunt in commune damnum. Cum autem principes per seipsos tria recensita auctoritatis munia exercere non possint, ea distinctis et idoneis magistratibus committère debent, indignos et ineptos ab huiusmodi publicis officiis removendo.

187. Iustae profecto non sunt leges illae, quae declinant a naturali, divino, vel humano iure. Damnatae sunt sequentes propositiones:

« 56. Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est, ut humanae leges ad naturale ius conformentur, aut obligandi vim a Deo accipiant ». Syll.

« 57. Philosophicarum rerum morumque scientia, itemque civiles leges, possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare ». Syll.

« Voluntatem populi, publica, quam dicunt opinione, vel alia via manifestatam, constituere supremam legem ab omni divino humanoque iure solutam, et in ordine politico facta consummata eo ipso quod consummata sunt, vim iuris habere ». Pius IX. Enc. *Quanta cura.*

188. Iustae e contrario erunt leges ex Angelico Doctore 1. 2. q. 96. a. 4., quae ordinantur ad bonum commune, quae non excedunt potestatem ferentis, quae secundum aequalitatem proportionis imponunt subditis onera in ordine ad bonum commune. Oportet etiam, quod leges imponantur hominibus secundum eorum conditionem. « Lex humana ponitur multitudini hominum, in qua est maior pars hominum non perfectorum virtute. Et ideo lege humana non prohibentur omnia vitia, a quibus virtuosi abstinent, sed solum graviora a quibus possibile est maiorem partem multitudinis abstinere, et praecipue quae sunt in nocumentum aliorum, sine quorum prohibitione societas humana conservari non posset; sicut prohibentur lege humana homicidia, furta et huiusmodi » S. Th. 1. 2. q. 96. a. 2.

189. Curam autem principes potissimum habere debent religionis, et consequenter ecclesiae iura servare Commune enim societatis bonum maxime promovetur, publicus societatis ordo imperturbate servatur, et leges sancte observantur, si religionis officia inviolate observentur. In errore et maximo errore versantur liberi cogitatores; qui consequenter vero societatis bono et progressui opponuntur. Societatis bonum et progressus in errore esse non potest. Quapropter iure merito proscriptae fuerunt a Pio IX. Enc. *Quanta cura* sequentes tres propositiones:

« Optima societatis publicae ratio, civilisque progressus omnino requirit, ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine ».

« Optima est conditio societatis, in qua Imperio non agnoscitur officium coercendi sancitis poenis violatores catholicae religionis, nisi quatenus pax publica postulet ».

« Libertas conscientiae et cultus est proprium cuiusque hominis ius, quod lege proclamari et asseri debet in omni recte constituta societate, et ius civibus inest ad omnimodam libertatem, nulla vel ecclesiastica vel civili auctoritate coarctandam, quo suos conceptus quoscumque sive voce, sive typis, sive alia ratione palam publiceque manifestare valeant ».

Apposite Leo XIII. Enc. *Immortale Dei:* « Natura et ratio, quae iubet singulos sancte religioseque Deum colere, quod in eius potestate sumus, et quod ab eo profecti ad eumdem reverti debemus, eadem lege adstringit civilem communitatem. Homines enim communi societate coniuncti nihilo sunt minus in Dei potestate, quam singuli, neque minorem quam singuli gratiam Deo societas debet, quo auctore coaluit, cuius nutu conservatur, cuius beneficio innumerabilem bonorum, quibus affluit, copiam accepit. Quapropter, sicut nemini licet sua adversus Deum officia negligere, officiumque est maximum amplecti et animo et moribus religionem, nec quam quisque maluerit, sed quam Deus iusserit, quamque certis minimeque dubitandis indiciis unam ex omnibus veram esse constiterit; eodem modo civitates non possunt, citra scelus, gerere se tamquam si Deus omnino non esset, aut curam religionis velut alienam, nihilque profuturam abiicere, aut asciscere de pluribus generibus indifferenter quod libeat: omninoque debent eum in colendo Numine morem usurpare, modumque, quo coli se Deus ipse demonstravit velle. Sanctum igitur oportet apud principes esse Dei nomen; ponendumque in praecipuis illorum officiis, religionem gratia complecti, benevolentia tueri, auctoritate nutuque legum tegere, nec quippiam instituere aut decernere, quod sit eius incolumitati contrarium. Id et

civibus debent, quibus praesunt. Nati enim susceptique omnes homines sumus ad summum quoddam et ultimum bonorum, quo sunt omnia consilia referenda, extra hanc fragilitatem brevitatemque vitae, in caelis collocatum. Quoniam autem hinc pendet hominum undique expleta ac perfecta felicitas, idcirco assequi eum, qui commemoratus est, finem tanti interest singulorum, ut pluris interesse non possit. Civilem igitur societatem communi utilitati natam, in tuenda prosperitate reipublicae, necesse est sic consulere civibus, ut obtinendo adipiscendoque summo illi atque incommutabili bono, quod sponte appetunt, non modo nihil importet umquam incommodi, sed omnes, quascumque possit, opportunitates afferat. Quarum praecipua est, ut detur opera religioni sancte inviolateque servandae, cuius officia hominem Deo coniungunt » Leo XIII. Enc. *Immortale Dei.*

Deum sane civilis societas, parentem et auctorem habet. Necesse ergo est, ut eius potestatem dominatumque vereatur et colat. Quapropter athea societas esse nequit, neque consequenter erga varias religiones, erga veram et falsas, pari modo affectam esse: eadem iura singulis promiscue largiri non potest.

190. Tenetur praeterea princeps civium iura et praesertim proprietatis efficaciter tueri; secus societatis pax dissidiis turbatur. Tenetur agriculturam, industrias, artes et variarum commercia rerum promovere, uti cives non solum non careant, sed etiam abundent rebus ad vitam necessariis. Ac, cum pauperes nunquam desint, publicae caritatis et beneficentiae opera excitare et fovere tenetur. Scientias item provehere tenetur, ut perfecta vitae sufficientia materialis et moralis in civili societate revera inveniatur.

Socialismus ergo, qui contendit res et commoda inter cives aequaliter partienda, « eiusque placitum de possessionibus in commune redigendis omnino repudiari oportet, quia iis ipsis quibus est opitulandum nocet, naturalibus singulorum iuribus repugnat, officia reipublicae tranquillitatemque communem perturbat. Maneat ergo, cum plebi sublevatio quaeritur, hoc in primis haberi fundamenti instar oportere, privatas possessiones inviolate servandas » Leo XIII. Enc. *de Conditione opificum.*

191. Virium suarum explorata exiguitas impellit hominem atque hortatur, ut opem sibi alienam velit adiungere. Hac naturali propensione ducitur homo ad publicam civilem societatem, aliasque cum civibus *privatas* societates ineundas; *privatam* enim tantum spectant utilitatem consociatorum. Debet princeps tueri et adiuvare omnes has societates, si civili societatis bono non sint contrariae, multo magis, si illi sint valde utiles, uti sunt omnes religiosae associationes seu religiosae Congregationes. Hae autem, cum per

fectionem evangelicorum consiliorum profiteantur communi regula et vivendi ratione, et consequenter ab Ecclesiae dependeant auctoritate, si a civili societate prohibeantur et expellantur, non solum naturae iura, verum etiam Catholicae Ecclesiae iura violantur. Quare iure meritoque damnata est in Syll. prop. 85.:

« Abrogandae sunt leges, quae ad religiosarum familiarum statum tutandum, earumque iura et officia pertinent; imo potest civile gubernium iis omnibus auxilium praestare, qui a suscepto religiosae vitae instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest religiosas easdem familias perinde ac collegiatas ecclesias et beneficia simplicia, etiam iurispatronatus, penitus extinguere, illorumque bona et reditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subiicere et vindicare ».

Si quidquam vero huiusmodi associationes ex proprio instituto persequantur, quod cum probitate, cum iustitia, cum reipublicae salute aperte dissideat, idoneis legibus eis obsistendum est. « Quibus ex causis iure quidem potestas publica, quo minus illae coalescant, impediet; iure etiam dissolvet coalitas » Leo XIII. Litt. enc. *de conditione opificum.*

192. « Deinde illa saluberrima aeque ac verissima, quae ad civilem societatem vicissitudinemque iurium et officiorum inter sacram et politicam potestatem spectant. Quemadmodum enim duae sunt in terris societates maximae, altera civilis, cuius proximus finis est humano generi bonum comparare temporale et mundanum, altera religiosa, cuius est homines ad veram illam felicitatem perducere ad quam facti sumus, caelestem ac sempiternam, ita gemina potestas est; aeternae naturalique legi obedientes ambae, et in rebus quae alterutrius ordine imperioque continentur, sibi singulae consulentes. Verum quoties quidquam constitui de eo genere oporteat, de quo utramque potestatem diversis quidem caussis diversoque modo, sed tamen utramque constituere rectum sit, necessaria est et utilitati publicae consentanea utriusque concordia; qua sublata omnino consecutura est anceps quaedam mutabilisque conditio, quacum nec Ecclesiae nec civitatis potest tranquillitas consistere. Cum igitur pactis conventis aliquid constitutum est, tunc profecto quod iustitiae interest, interest idem rei publicae, concordiam manere integram; propterea quod sicut alteri ab altera praestantur officia mutua, ita certus utilitatis fructus ultro citroque accipitur et redditur ». Leo XIII Ep. Enc. ad Epp. Gall. *Nobilissima Gallorum gens* 8. Febr. 1884.

193. Iam vero subditi tenentur etiam superioribus saecularibus, exhibere amorem, reverentiam, obedientiam. Sunt enim, in ordine civili, veri superiores, vices Dei ipsius in ordine temporali erga nos ge-

rentes. Confirmatur ex S. S., ad Rom. 13., 1. seqq.; 1. Petr. 2., 13. 17. Quamobrem Catechismus Conc. Trid. huiusmodi obligationem cum ea comparat et coniungit, qua erga auctoritatem paternam et ecclesiasticam obstringimur. Etenim, p. 3. de 4.° Mandato § 15., postquam docuit parentes et superiores ecclesiasticos debito honore colendos esse, subdit: « Idem de Regibus, de Principibus, de Magistratibus, et reliquis, quorum potestati subiicimur, dicendum est. Nam, si quem eis cultum tribuimus, is ad Deum refertur; habet enim venerationem hominum excellens dignitatis gradus; quia divinae potestatis est instar: in quo etiam Dei providentiam veneramur, qui publici muneris procurationem iis attribuit, quibusque utitur tanquam potestatis suae ministris ». Unde patet reverentiam exhibendam esse non tantum Principibus, verum etiam eorum officialibus secundum eorum munus et dignitatem. — Litt. Enc. Leonis XIII. *Quella lunga* 29. Iun. 1881.; S. Th. 2. 2. q. 104. a. 5. 6.; Quodl. 8. a. 7., Quodl. 10. a. 12.

De iis ergo qui munere publico funguntur non temere loqui decet, nec maligne eorum res gestas carpere; quamvis liceat eos scrutari et de iis publice loqui et scribere, quatenus leges id permittunt, ut recte de iis iudicetur et utilitati publicae prospiciatur. Quare peccant contra charitatem et iustitiam, qui occulta aliquorum delicta, quae aliis non nocent, publicis foliis annuntiant, vel colloquiis et sermonibus publicant, ut eos a munere aliquo repellant. Observantiam debitam laedunt qui eis contumelias irrogant, sive verbis sive scriptis, et qui eis debita denegant honoris signa. — Kenrick tr. 8. n. 164. 165.

194. « Spernere potestatem legitimam, ait Leo XIII, quavis eam in persona esse constiterit, non magis licet, quam divinae voluntati resistere; cui si qui resistunt, in interitum ruunt voluntarium. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt* ». Enc. *Immortale Dei.*

« Ordo iustitiae requirit, ut inferiores sui superioribus obediant, *Aliter enim non posset humanarum rerum status conservari* ». S. Th. 2. 2. q. 104. a. 6.

« Sicut actiones rerum naturalium procedunt ex potentiis naturalibus, ita etiam operationes humanae procedunt ex humana voluntate. Oportuit autem in rebus naturalibus, ut superiora moveant inferiora ad suas actiones per excellentiam naturalis virtutis collatae divinitus. Unde etiam oportet in rebus humanis, quod superiores moveant inferiores per suam voluntatem ex vi auctoritatis divinitus ordinatae. Movere autem per rationem et voluntatem est praecipere. Et ideo sicut ex ipso ordine naturali divinitus instituto inferiora in rebus naturalibus necesse habent subiici motioni supe-

riorum, ita etiam in rebus humanis ex ordine iuris naturalis et divini tenentur inferiores suis superioribus obedire ». S. Th. 2. 2. q. 104. a. 1.

XIV. — DE ELECTIONE DEPUTATORUM

195. Cum omnes propriam patriam amare teneantur, omnes etiam tenentur, quantum in ipsis est, et commune patriae bonum promovere, et commune damnum ab ea avertere. Quod cum maxime pendeat in praesenti societatis regimine ex bonis deputatis ad nationalia, provincialia, municipalia comitia electis, omnes, qui ex lege talem habent facultatem, ratione boni communis et consequenter ex iustitia legali, tenentur concurrere ad electionem horum deputatorum, nisi legitime excusentur, et idoneos eligere deputatos. *Nisi legitime excusentur;* res est *per se* gravis, et consequenter nonnisi *causa gravis damni subeundi per se* excusare potest. *Per se;* nam practice attendendae sunt variae circumstantiae, ex quibus obligatio esse potest gravis vel levis, vel etiam omnis abesse potest obligatio. Haec autem quando adest, non est ex iustitia commutativa, sed tantum legali, et consequenter, ea non impleta, nulla inde exurgit obligatio reparationis damni.

196. Obligatio quidem adest dignum eligendi, non digniorem; sed obligatio gravis adest dignum eligendi, indigno praetermisso, ex cuius electione grave damnum societatis timeri potest. Praeceptum quidem digniorem eligendi non habetur, sed praeceptum habetur non eligendi indignum, hunc enim eligendo cooperatur quis damno allaturo ab ipso suis suffragiis, praeter scandalum quod aliis suo praebet pravo exemplo. Non semper tamen vetita est electio indigni. Ea licita est, si quis secus gravissimum subiret damnum, nam illa electio intrinsece mala non est. Accipere enim deputati munus quid intrinsece malum non est; et cooperatio ad abusum talis muneris materialis est et remota. Licita item est, si indignus eligatur, ad alium peiorem et pessimum removendum ab illo munere. Cooperatio tunc habetur ad maius malum impediendum. Et consequenter licita quoque erit, si eligi non possit dignus, nisi simul cum ipso indignus eligatur. Itemque licita est, si indignus plus profuturus quam nociturus speratur.

197. « Illud salutis publicae interest, *ad rerum urbanarum administrationem* conferre sapienter operam; in eaque studere maxime et efficere, ut adolescentibus ad religionem, ad probos mores informandis ea ratione, qua aequum est christianis, publice consultum sit; quibus ex rebus magnopere pendet singularum salus civitatum.

Item catholicorum hominum operam ex hoc tam angustiore campo longius excurrere, ipsamque summam rempublicam complecti, generatim utile est atque honestum. *Generatim* eo dicimus, quia haec praecepta nostra gentes universas attingunt. Caeterum potest alicubi accidere, ut, maximis iustisque de causis, rempublicam capessere, in muneribusque politicis versari, nequaquam expediat. Sed *generatim*, ut diximus, nullam velle rerum publicarum partem attingere tam esset in vitio, quam nihil ad communem utilitatem afferre studii, nihil operae: eo vel magis quod catholici homines ipsius, quam profitentur, admonitione doctrinae, ad rem integre et ex fide gerendam impelluntur. Contra, ipsis otiosis, facile habenas accepturi sunt ii, quorum opiniones spem salutis haud sane magnam afferant. Idque esset etiam cum pernicie coniunctum christiani nominis; propterea quod plurimum possunt, qui male essent in Ecclesiam animati; minimum, qui bene. Quamobrem perspicuum est ad rempublicam adeundi causam esse iustam catholicis: non enim adeunt, neque adire debent ob eam causam, ut probent quod est hoc tempore in rerum publicarum rationibus non honestum, sed ut has ipsas rationes, quoad fieri potest, in bonum publicum transferant, sinceram et veram, destinatum animum habentes, sapientiam virtutemque catholicae religionis, tanquam saluberrimum succum et sanguinem, in omnes reipublicae venas inducere ». Leo XIII. Litt. Enc. *Immortale Dei* 1. Nov. 1885.

198. Deputati legitime electi, et vere idonei, ratione boni communis, *ex iustitia legali*, delatum eis munus acceptare tenentur, nisi gravi et iusta causa excusentur. Deputati autem et Senatores, cum eis revera pars quaedam commissa sit publici regiminis non solum pravis ferendis legibus consentire non debent in damnum religionis et in damnum publici boni, sed eas etiam impedire tenentur sua praesentia et suo suffragio. Quare neque licet eis huiusmodi pravis legibus suffragari, neque licet eis abesse. Ac si absentia culpabili in causa ipsi sunt, cur pravae leges in publicum damnum conficiantur, rei sunt tum violatae iustitiae legalis, qua publicum bonum, ex speciali sui officii ratione promovere tenentur, tum violatae iustitiae commutativae, ex quasi pacto cum suis electoribus.

Quoad Deputatorum electionem, ad rem faciunt, quae ex S. Augustino habet S. Th. 1. 2. q. 97. a. 1. « Si populus sit *bene moderatus et gravis, communisque utilitatis diligentissimus custos*, recte lex fertur, qua tali populo liceat creare sibi magistratus, per quos respublica administretur. Porro, si paulatim *idem populus depravatus habeat venale suffragium, et regimen flagitiosis sceleratisque committat*, recte adimitur populo talis potestas dandi honores ».

199. *An liceat aliquando non obedire auctoritati temporali?* —

Leges iniustae per contrarietatem ad bonum humanum non obligant in foro conscientiae. Leges iniustae per contrarietatem ad bonum divinum nullo modo licet observare. S. Th. 1. 2. q. 96. a. 4. In iis vero, quae licita sunt, et quae ad civilem pertinent potestatem, obediendum est Principibus civilibus, etiam dyscolis, et illis quoque, qui auctoritate sua abutuntur Ex hisce fontibus purissimis, Scriptura nempe et Traditione, ait Gregorius XVI. in Br. 9. Iunii 1832., apertissime edocemur obedientiam, quam praestare homines tenentur potestatibus a Deo constitutis, absolutum esse praeceptum, cui nemo contraire potest. — Pius VI. Br. *Pastoralis* 5. Iul. 1796.; S. Th. 2. 2. q. 69. a. 4., q. 102. a. 1., q. 104. a. 5. 6.

XV. — DE OBLIGATIONE SOLVENDI TRIBUTA

200. Nomine tributi intelligitur generatim illud quod solvitur *ad communes reipublicae expensas faciendas*. Tributum dicitur *directum*, si sit impositum personis ratione suorum bonorum; dicitur *indirectum* si sit impositum rebus ratione alicuius actus, qui eas respiciat, e. g. translationis dominii, venditione, successione, transvectionis mercium ex uno loco in alium, etc. *Ad communes reipublicae expensas faciendas*. Quare, quae publicis etiam administrationibus solvuntur pro transvehendis epistolis de loco in locum, pro personarum itineribus in viis ferreis etc, rationem non habent tributorum; eaque solvenda sunt vi contractus initi cum publica administratione, et consequenter ex iustitia commutativa.

201. Publica reipublicae auctoritas ius omnino habet tributa imponendi. Obligationem enim habet curandi et pronovendi commune bonum. Ius consequenter habet ad exigenda a subditis ea quae sunt ad praedictum finem necessaria, et subditi obligationem habent ea dandi.

202. Opus tamen est, ut tributa iusta sint. Iusta autem erunt, si publica et legitima imponantur auctoritate; si imponantur ex iusta causa necessitatis vel utilitatis boni communis; si huius necessitatis et utilitatis mensuram non excedat; si debita proportione distribuantur secundum civium facultates.

203. Tributorum leges obligant, ut aliae civiles leges, quae per se obligant ex iustitia legali, ratione communis boni. Verum negari non potest quod in legibus tributorum iustitia legalis sit intime connexa cum iustitia commutativa. Sane ex iustitia legali princeps et subditi tenentur, pro sua quisque parte, necessaria praesidia societati conferre. Iustitia vero commutativa praecipit *extraneis* debere eos compensare damna, quae mercium asportatione et venditione

alienae inferunt societati; praecipit tum *subditis* tum *extraneis* debere eos compensare expensas necessarias in constructione et custodia viarum, pontium, aquaeductuum etc. quibus fruuntur. Et negari non potest quod tacitus quidam adest contractus vel quasi contractus inter principem et subditos, quando e. g. subditi reclamant plures et maiores quasdam commoditates, et princeps tunc necessaria sustinet onera ad illas procurandas; nonne subditi in tali casu ex stricta iustitia necessarios ei sumptus debent suppeditare?

204. Quod huiusmodi leges in conscientia per se obligent diserte patet ex Apostolo Paulo ad Rom. 13., 5.-7.: « Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, *sed etiam propter conscientiam. Ideo enim tributa praestatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal* ». Quod autem per se etiam huiusmodi leges spectent non solum ad iustitiam legalem, sed etiam ad commutativam patet etiam clare ex Catech. Rom. de 7.° Dec. Praec. n. 10.: « In hoc crimine rapacitatis includuntur, qui, quae Ecclesiae Praesidibus et Magistratibus debentur, vectigalia tributa, decimas et reliqua huius generis non dissolvunt, vel invertunt, et ad se transferunt ».

205. Attamen cum publice horum tributorum *exactores* constituantur, haec esse videtur mens legislatorum, ut tributorum solutio non censeatur debita, *nisi exigatur*. Cum item in non solventes, constituto tempore, tributa per legem debita, quin ab *exactoribus* sint prius petenda, gravis poena imponatur, plures et graves sunt doctores, qui generatim leges de tributis habent, ut leges *mere poenales*. Verum inde non sequitur, quod quis non debeat solvere *iusta tributa*, quando *tempus per legem constitutum advenerit*, vel quando *legitime ab exactoribus petantur;* sed sequitur tantum quod ea, nisi lex observanda urgeatur, vel nisi legitime petantur, non teneatur quidem in conscientia solvere, sed teneatur ad subeundam poenam, si deprehendatur tributum non solvisse, et poena imponatur. Quare tunc tantum quis peccat, quando, non soluto tributo per legem debito, vel non soluta gabella quoad tributa ab exactoribus petita, nollet postea solvere mulctam et subire poenam. Atque haec sententia communi etiam praxi et persuasione confirmatur, has nempe leges in conscientia non obligare, ad tributa sponte solvenda. Quapropter, stante saltem dubio de obligatione, nemo etiam videtur ex hoc capite inquietandus, si tributa ab exactoribus non petita, vel alia non prius petenda, non solverit; imo etiam si exactorum vigilantiam quis mere eludat, res occultando, vel non manifestando, nempe ne illi exigant, vel urgeant, ut timorati etiam facere solent, vel declarando minorem rerum valorem ad tributum imminuendum; dummodo tamen absint mendacia et frau-

des, quae semper illicita sunt, ad publicos officiales et exactores decipiendos, et ad non solvendum, et dummodo saltem pretium *iustum, infimum rerum declaretur.* — L. l. 3. n. 614.-617., H. A. tr. 10. n. 81.; S. Th. Quodl. 6. a. 10.; Lugo de Iust. et Iur. d. 36. s. 4. Lessius de Iust. et Iur. l. 2. c. 33.; Ithur. Cas., 2.; Struggl 32.; Elbel 303.-306.; Kenrick tr. 6. c. 3. n. 20.-22. 25.

206. *Resolves:* Damnandi sunt: 1.° Qui violenter resistunt ministris vectigalia exigentibus. Hi peccant contra obedientiam: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Ad Rom. 13., 2. Peccant etiam contra iustitiam legalem; nam lex, quae respicit tributa, etiamsi ut mere poenalis habeatur, gubernatoribus tamen ius certum tribuit ad mulctam exigendam, si subditi in fraude deprehendantur. — 2.° Qui per fas et nefas defraudationem veluti commercium quoddam exercent, atque animo resistendi etiam armati diu noctuque vagantur. Huiusmodi homines fiunt cives rebelles et societati perniciosissimi. — 3° Qui licet nunquam resistant, nec animum resistendi habeant, omni tamen studio et opera in artem tributa defraudandi incumbunt, eamque veluti vitae professionem habent. Hi et temporalium bonorum ac vitae et animae periculis haud raro exponuntur. Insuper aliud prorsus est res suas aliquando non manifestare seu occultare, ne tributum exigatur; aliud artem exercere defraudandi tributa, quod certe prohibetur; cum hoc societati omnino damnosum sit, et propter ipsam tributorum defraudationem, et propter plura alia delicta, quae cum illa naturaliter consociantur. — Hi omnes incidunt *in commissum*, Dig. l. 39. t. 4.

207. *An peccent contra iustitiam praepositi, quoties iustum tributum non exigant?* — R. Affirmative, *per se generatim*, et quidem graviter in materia gravi. Ratio patet, siquidem se obligarunt ad rite invigilandum, et ad tributa, alioquin iusta, diligenter exigenda. Quare, si officio suo desint, ad restitutionem tenentur erga Principem, vel rempublicam. *Generatim,* quia iuxta plures praepositi vectigalibus exigendis non semper damnandi sunt, quando subinde benignius agunt in re levi, praecipue cum pauperibus, vel etiam cum iis, qui alias diligenter solvunt; quia in tali casu rationabiliter praesumitur remittere ipsi Principes. - « Praeterea, si telonarii deprehendunt defraudatores, et solum dissimulant mulctam probabiliter non tenentur hanc resarcire. Ratio huius est: quia telonarii vi sui officii solum tenentur exigere vectigal in bonum Principis, non autem hunc per mulctas ditare. Praeterea mulcta aliunde non debetur ante sententiam iudicis, nec fiscus ante hanc habet ius ad mulctam. Unde etiam custodes stipendiati ad observandum, ne per passus occultos declinentur telonia, si culpa sua sinant transitum, tenentur ex iustitia resarcire iactum telonii, non vero mulctae ». Struggl 30 Alii ta-

men affirmant debere etiam mulctam resarcire, quia omittendo denuntiationem, ad quam ratione officii tenentur, causa sunt cur fiscus non exigat illam, ad quam ius habet. — Damnandi vero sunt, qui vectigalibus exigendis praepositos mediis iniustis corrumpunt, ne officio suo fungantur, *tributum alioquin iustum exigendo*, peccant enim saltem ad horum peccatum cooperando, et ad restitutionem tenentur. — L. l. 3. n. 583. 614.-617., l. 4. n. 237.; Struggl 32.; Gousset 1000.

XVI. — DE OBLIGATIONE MILITIAM PRAESTANDI

208. Societas civilis ius et obligationem habet seipsam conservandi pro communi civium bono. Seipsam autem conservare non potest sine militari vi, qua se defendat contra internos et externos hostes, qui eius damnum et perniciem moliuntur. Hinc ius est et obligatio principis milites, *stabili,* aliquo saltem modo, *exercitu,* constituendi. Nam nisi *exercitus stabilis* sit, et semper promptus ac paratus ad rempublicam tuendam, continua fere esset, maxime in praesenti, interna ordinis perturbatio, et exterioris hostis invasio; et propriae autonomiae amissio certe erit pertimescenda, ut ipso etiam constat continuo facto.

209. Exercitus duplici haberi potest modo. Milites enim assumi possunt ex spontanea eorum oblatione; et sunt milites *voluntarii,* seu *mercenarii,* quia pacta mercede libere ad determinatum quoddam tempus conducuntur. Et hic primus modus licitus omnino est. Milites praeterea assumi possunt lege conscriptionis, et milites *conscripti* appellantur. Etiam hic modus est licitus, si milites non habeantur voluntarii, quia necessarii omnino sunt ad reipublicae securitatem. Unde patet tot deberi assumi ad militiam praestandam, quot sunt necessarii ad reipublicae salutem: secus enim vel non satis patriae incolumitati consuleretur, vel gravissimum onus imponeretur civibus sine sufficienti communis boni ratione. Quapropter secundum variam reipublicae necessitatem *conscriptio* esse potest *universalis* omnium iuvenum idoneorum ad militiam, vel *particularis* sorte electorum inter omnes iuvenes idoneos. Iudicium de necessario militum numero certe ad societatis moderatores pertinet. Sunt qui tenent conscriptionem sive universalem sive particularem esse iniustam; sed uti hoc asserere facile est; ita impossibile est probare; nam ratio boni communis stabilem et bene instructum exercitum omnino necessarium reddit. Quod autem dicitur eam adversari iustitiae distributivae, quia tantum familiae habentes iuvenes idoneos subirent tale onus, nihil valet. Numquid tale onus subire possent etiam familiae non habentes filios idoneos? Si non possunt;

ergo iustitiae distributivae non adversatur, cum haec onera viribus proportionata imponat. Secus dicendum esset etiam tributa omnia esse iniusta, quia illi qui nihil habent nullum solvunt tributum. Ac nonne omnium in antecessum aequa alea est, cum omnibus familiis contingere possit, quod habeant vel non habeant filios idoneos? Ac si quoad familias, alias habentes, alias non habentes filios ad militiam idoneos, iustitia laeditur distributiva, nonne haec laederetur etiam quoad ipsos iuvenes, quorum alii apti, alii omnino inepti sunt ad militiam? Et tunc, sublata militia, natio profecto una die non perdurabit in suo esse, et a potentiore natione, quae suam ambit extendere dominationem, absorbebitur.

210. Obligatio militiam praestandi ex iustitia commutativa est pro militibus conductis, qui consequenter ad restitutionem tenentur, et ad damna reparanda, si conditiones ipsi non servent initi contractus. Pro conscriptis autem militibus, nonnisi ex iustitia legali servanda est, cum ea exoriatur ratione boni communis. Non desunt vero qui etiam leges militiae habent, uti leges mere poenales. Si revera alicubi haec sit harum legum communis interpretatio, etiam timoratorum, cum consuetudo sit legitima legum interpres, reapse uti poenales haberi possunt. Immunes autem semper erunt a militia sequenda clerici, ob sui status privilegium, et filiifamilias, qui necessarii sunt familiae sustentationi ex ipsa naturali legi.

211. Ut ergo milites designati tenentur militiae onus subire, ita desertores tenentur *per se* ad castra redire ex obedientia seu ex iustitia legali. *Per se;* excipe enim 1.°, si nimium salutis periculum offenderent, quoad fidem et quoad mores; 2.° si redeuntes morte, triremibus, aliisque gravissimis poenis plectendi forent; 3.° si bellum sit evidenter iniustum, vel evidenter iniusta regni usurpatio. — Certo autem ad nullam restitutionem tenentur desertores, quandocumque lex alios ipsorum loco non requirit; quia nullo modo iustitiam commutativam laedunt, neque ulli alteri damnum inferunt. Secus vero, si ex lege alii eorum causa militiae onus subire deberent. Huiusmodi enim oneris non occasio tantum; sed vera causa sunt; causa nempe simul cum lege. Lex sola causa illius damni non est; si legem ipsi servassent, alii non conscriberentur. Lex igitur et factum ipsorum contra legem vera et efficax causa est illius damni aliis illati.

212. *Ad quid teneantur, qui se locaverunt pro aliis et deinde militiam deseruerunt? — Per se* tenentur restituere pretium acceptum illi, a quo acceperunt, quia ipsis deest ratio ad accipiendam pecuniam, quae non nisi propter militiae onus erogatur. Attamen hoc valet tantum, ubi ille, qui militem loco sui conduxit, periculo militiam subeundi exponatur. Hoc enim secluso periculo, licet desertor

militiae onus non subeat, ab hoc militiae onere conductorem liberavit, qui hoc revera in ea conductione intendebat.

213. *Ad quid teneantur nondum inscripti militiae, qui ab hac se subtrahant sine iustis causis?* — Milites *conducti* qui ex contractu et pacta mercede ad servitium militare se obligarunt ex iustitia commutativa tenentur ad illam sequendam. Quam si non praestant, ad restitutionem et damni reparationem tenentur. — Milites *conscripti*, qui magistratus vel medicos corrumpunt, ut ab eis invalidi declarentur, certo *ad restitutionem tenentur*; si alii ideo eorum loco militiam subire debeant. Sunt enim cooperatores tanquam mandantes, vel consulentes, vel alio quocumque modo, *iniustitiae:* magistratus enim et medici ex quasi contractu obligantur. — Qui mendaciis, fraudibus, aut praevia mutilatione magistratus decipiunt, iuxta sententiam communiorem, *obligantur ad restitutionem.* Ratio est, quia alii iuvenes exempti *ius strictum* habent, ne talia media cum ipsorum detrimento adhibeantur; et requisiti sorte citra *strictam iniuriam* declinare nequeunt onus militiae, legitime ipsis impositum; cum lex seu sortes lege stabilitae *ius strictum* constituant, alios requirendo, alios vero a militia eximendo. Bouvier de Restitutione quaest. 2. art. 2. Quare *ad restitutionem non tenentur*, si per legem ad militiam omnes iuvenes apti assumuntur; quia tunc nulli damnum ipsi inferunt. — Practice loquendo, urgenda restitutio saepe non est, in *praecedentibus* casibus, sive quia illi, qui praedictas adhibent fraudes contra iustitiam peccare non credunt, et de restitutionis obligatione minime persuadentur, sive quia moraliter impossibile est illatum damnum reparare. — Qui ad militiam effugiendam in aliam patriam se conferret, ut ibi vitam degeret, nullo modo peccaret, quia lege patriae suae absens non adstringeretur, cum lex extra territorium suum extendi nequeat. At qui iam ad militiam designati ab hac se subtrahunt, vel exemptionem sine veris causis obtinent, si nemo eorum loco ex lege requirendus sit, peccant contra iustitiam legalem, ad nullam tamen restitutionem tenentur. — Gousset 1002.

XVII. — DE TYRANNO ET DE REBELLIONE

214. Tyrannus alius est regiminis, alius usurpationis. Primus est princeps, qui legitime et iuste principatum possidens inique et iniuste eius exercet potestatem. Posterior est princeps, qui illegitime et iniuste principatum possidet, ratione iniquae usurpationis, vi vel fraude factae.

215. Tyrannus regiminis ex eo quod sua abutatur auctoritate,

non ideo, per se, eam amittit. Quare eius legibus *iniustis* nulla quidem debetur obedientia, et passiva resistentia possunt subditi contra eas se defendere, sed tyrannum *regno privare,* vel *eum interficere* nemini omnino licet. — *Regno regem privare.* « Nimis perniciosum in hac re, ait S. Alphonsus, fuit principium Ioannis Gersonis, qui ausus est asserere, quod monarcha potest legitime a tota natione iudicari, si regnum iniuste regat... principium inquio non tantum falsum, sed perniciosissimum ». Ratio est, quia subditi eo ipso quod subditi sunt non possunt sibi arrogare potestatem supra principem, eum *iudicando et puniendo.* Hinc obiectio dissolvitur, quae fit ex Ang. Doct. 2. 2. q. 42. a. 2. ad 3, ubi ait: « quod regimen tyrannicum non est iustum, quia non ordinatur ad bonum commune, sed ad bonum privatum regentis... Et ideo perturbatio huius regiminis non habet rationem seditionis », quae opponitur communi bono. Enimvero, quamvis ea regiminis perturbatio *non habeat rationem seditionis,* non ideo sequitur esse licitam ex Ang. Doct. Nam ex eodem S. Th. 2. 2. q. 60. s. 6. « sicut iniustum esset, ut aliquis constringeret alium ad legem servandam, quae non esset publica auctoritate sancita; ita etiam iniustum est, si aliquis compellet aliquem ferre iudicium quod publica auctoritate non fertur... et ideo iniustum est quod aliquis iudicetur ab eo, qui publicam auctoritatem non habet ».

216. Atque ex hisce patet multo magis nemini omnino licere tyrannum interficere. Neque item valet obiicere ex Angelico Doctore 2. 2. q. 70. a. 1. quod. « sicuti licet resistere latronibus, ita licet resistere malis principibus ». Nam S. Thomas agit ibi de iusta defensione, in casu actualis iniustae aggressionis, condemnati nempe iniuste ad mortem. Quapropter nullius valoris quoque est obiectio desumpta ex bono communi procurando. Nam ad honestatem actionis non sufficit quod bonus sit finis, sed media etiam debent esse bona. Et medium in casu assumptum intrinsece malum est.

217. Apposite Leo XIII. Enc. *Quod apostolici muneris:* « Si quandoque contingat temere et ultra modum publicam a principibus potestatem exerceri, catholicae Ecclesiae doctrina *in eos insurgere* PROPRIO MARTE *non sinit,* ne ordinis tranquillitas magis magisque turbetur, neve societas maius exinde detrimentum capiat. Cumque res eo devenerit, ut nulla alia spes salutis affulgeat, docet christianae patientiae meritis, et instantibus ad Deum precibus remedium esse maturandum. Quod si legislatorum ac principum placita aliquid sanciverint aut iusserint, quod divinae aut naturali legi repugnet, christiani nominis dignitas et officium atque apostolica sententia suadent obediendum esse magis Deo quam hominibus ».

218. Ex duplici igitur capite illicitum est contra legitimum principem insurgere, quia proprio marte insurgens violantur iura iustitiae, et quia ex hac iniustitiae violatione maius sequitur reipublicae damnum, contra commune bonum, cuius praetextu illa insurrectio tentatur cohonestari. « Quocirca, absolute ait Gregorius XVI. Ep. a. 1832., et divina et humana iura in eos clamant, qui turpissimis perduellionis seditionumque machinationibus a fide in principes desciscere, ipsosque ab imperio deturbare connituntur ». Quare rebellio contra legitimos principes supremae auctoritatis seu principatus possessores omnino illicita est. Ea est *manifesta denegatio debitae obedientiae;* legitimum enim *auctoritatis ius* obedientiae officium exigit ex parte subditorum. Ea praeterea est *manifesta iniuria,* contra iustitiam commutativam; nam legitimus princeps spoliari non potest *iure ad auctoritatem,* quod legitime possidet. Utrumque crimen proscribitur in prop. 63. Syllabi, quae ita absolute condemnatur: « Legitimis principibus obedientiam detrectare, immo et rebellare licet ».

219. Idem profecto dicendum est, proportionata ratione, de tyranno usurpationis, postquam iam sit in pacifica regni possessione. Antequam usurpator in hanc perveniat possessionem, patet ex dictis, subditos teneri ad legitimum principem pro viribus defendendum, neque posse ullo modo usurpatorem adiuvare ad legitimum principem suprema auctoritate spoliandum. Verum postquam usurpator iam spoliaverit hac auctoritate legitimum principem, et ipse eam de facto iam pacifice possideat, illam utique ipse dum eam possidet restituere tenetur; sed ratione boni communis subditi ei obedire tenentur, quia civitas seipsam pessumdare non potest, si revera usurpator ille suis legibus publico prospicit bono; quemadmodum ei obligatio incumbit, et simul ius habet faciendi, ratione nempe ipsius usurpatae *auctoritatis,* non legitimitatis *usurpatoris.* Licet enim illa auctoritas iniuste detineatur, sua tamen vi suoque proprio effectu destitui non potest. Quare subditi tenentur ad obediendum illis legibus, quae ad commune bonum, ad publicum ordinem et publicam pacem conducunt, sed non possunt obedientiam praestare legibus, quae directe tenderent ad usurpatorem confirmandum in iniusta supremae auctoritatis possessione. Usurpator tamen legitimus evadere potest, pro variis casibus, vario modo, populi consensu, spontanea legitimi principis cessione, naturali praescriptione; societas enim durare semper non potest in statu violento.

220. Si autem tenentur subditi commune bonum, publicum ordinem et pacem observare, quomodo sane possent seditionem promovere, quae communi bono, publico ordini, publicae paci opponitur? Quomodo possent ipsi, privatae personae, usurpatorem inter-

ficere? « Pugna, quae est licita, ait S. Thomas 2. 2. q. 42. a. 2., fit pro communi utilitate. Sed seditio fit contra commune bonum multitudinis ». Et S. Alph.: « Subditorum est obedire, non iudicare de principe, qui Deo solummodo subiacet circa res sui dominii, nec ab alia terrena potestate dependet. Si subditi de titulo aut possessione principis iudicium ferre possent, nunquam deesset eis, qui pravo animo affecti sunt, praetextum invenire ad se concitandos adversus principem... Nec princeps nec privatus potest vita rebusque suis exspoliari, quin prius audiatur, aut saltem a suo legitimo iudice damnetur. Subditi autem nunquam ius habere queunt ferendi iudicium in ipsorum actualem dominum ». Contraria sententia, quam etiam nunc aliqui sustinent saltem speculative, dicitur mox a S. D. « improbabilis, falsa, falsissima ». Et deinde addit idem S. Alphonsus: « Sed qui regnum alienum sine aliquo titulo occupat et sine ratione aliqua possidet, non est illius neque dominus neque princeps, sed fur et usurpator. Sit utique, respondeo, fur, usurpator, et non princeps, nec dominus. Postulo: estne ille, homo ut alii? Et si est homo nequit ipse privari vita aut bonis, ab iis qui ius non habent eum vita aut bonis expoliare. Communis est SS. Patrum doctrina, quod nulli privatae personae licet unquam occidere hominem, quamvis privatum, et quantumcumque iniquus ille sit, nisi publicam habeat auctoritatem, aut nisi id necessarium sit ad propriam vitam tuendam... S. Thomas autem de hoc rationem reddit, dicens: *Occidere malefactorem licitum est, in quantum ordinatur ad salutem totius communitatis,* 2. 2. q. 64. a. 5. Deinde subdit, quod occidere malefactores solis permittitur principibus, qui publicam auctoritatem habent, quibusque cura communis boni commissa est: *Cura autem communis boni commissa est principibus habentibus publicam auctoritatem, et ideo eis solum licet malefactores occidere et non privatis personis* » Hom. Apost. tr. 8. n. 13.

221. « Falsum autem omnino est in communitate subditorum quamdam adesse auctoritatem superiorem, et a principe independentem, ita ut casu quo princeps perverse regnum gubernet, tota communitas eum regno et vita expoliare possit. Nimis perniciosum in hac re fuit principium Ioannis Gersonis, qui ausus est asserere, quod monarcha potest legitime a tota natione iudicari, si regnum iniuste regat; dicebat enim, quod cum natio sit totum regni respectu ad principem, qui est tantum pars, apud ipsam necessario debet supremam auctoritatem existere. Principium, inquo, non tantum falsum, sed perniciossimum; nam hoc modo duae in regno essent supremae potestates, unde enormissima evenirent schismata, regnique desolatio. S. Thomas aliam non recognoscit autoritatem supremam, nisi illam quam habent principes, quibus cura communis

boni tribuitur. *Cura communis boni commissa est principibus habentibus publicam auctoritatem. Quapropter, etsi princeps perversus ac populo gravosus esset, tenetur tamen populus obsequium obedientiamque illi praestare, cum subditi nunquam ius habere possint de rebus gestis principis iudicare, et tanto minus comdemnare ad vitam, aut regnum amittendum* ». S. Alph. l. c.

222. Non valet ergo obiicere tyrannum deponi non posse propria auctoritate alicuius privatae personae, quod crimen est perduellionis, sed posse deponi communi iudicio totius nationis. Id sane posset tota natio facere, si ipsa principatum retineret, quod est contra hypothesim; sed si ipsa principatum non retinet, illud nulla faceret auctoritate, et perduellio non unius, sed omnium quidem esset.

223. Neque item melior obiectio desumitur ex eo quod publica potestas in publicum bonum sit. Etenim etiam privata rerum proprietas in bonum est ipsius proprietarii et aliorum. Si quis ea in proprium et aliorum malum abutatur, non ideo proprietatem amittit rerum suarum. Et ratio est, quia titulus seu causa habendi dominium sive proprietatis sive iurisdictionis, huius usus non est. Quamdiu ergo manet ille titulus seu causa utrumque manet dominium.

224. Postremo obiici non potest posse societatem tyrannum vi eiicere non *iure punitionis*, sed *iure defensionis*. Ad hoc enim non opus est iurisdictione ulla; sed sufficere videtur ius propriae conservationis, quod ut individuis, sic etiam societati competit, quodque certe praevalet iuri existenti in talibus tyrannis ad possessionem autoritatis. — Sed haec speciose dicta, reapse nihil sunt. Nam si agitur de individuis, legitima defensio eis licita non erit, nisi in actu iniustae aggressionis, et vim vi repellendo, cum moderamine inculpatae tutelae. Si vero sermo sit de tota civitate seu societate contra tyrannum insurgente, et bellum contra eum movente, ad bellum contra ipsum suscipiendum sive offensivum sive difensivum, praeter iustam causam, opus est publica auctoritate, quae in nullo privato neque in tota natione, ex hypothesi est. Agitur enim de principe, in quo suprema auctoritas absolute reperiatur. Iusta praeterea defensio licita non est, nisi, cum moderamine inculpatae tutelae, quae passiva resistentia, iniquis legibus non obediendo, sufficientissima et efficacissima habetur. *Speculative* igitur loquendo, illicitum est tyrannum a possessione auctoritatis deturbare, eumque regno et vita privare. *Practice* vero omnes conveniunt illicitum esse ex eo quod maiora sequuntur damna, et maius detrimentum publici boni habeatur *ex perturbatione consequenti*; vera tunc habetur *seditio*, quae ex *suo genere est peccatum mortale*. S. Th. 2. 2. q. 42, a. 2. ad 3.

Ac, ut ipsi praeclari adversarii fatentur, multa practice in ea re existit hallucinatio; ac populus ad tyrannum deturbandum non insurgit, quin pernicies tyrannide maior subsequatur.

225 Haec de tyrannicidio habetur condemnatio: Sacra Synodus Constantiensis, a. 1414.-1418., declarat et definit sententiam istam: « *Quilibet tyrannus potest et debet* licite et meritorie occidi per quemcumque vassallum suum vel subditum, etiam per clanculares insidias, et subtiles blanditias et adulationes, non obstante quocumque praestito iuramento, seu confederatione factis cum eo, non expectata sententia vel mandato iudicis cuiuscumque » erroneam esse in fide et in moribus, ipsamque tanquam *haereticam*, scandalosam, et ad fraudes, deceptiones, mendacia. proditiones, periuria viam dantem reprobat et condemnat. Declarat insuper, decernit, et diffinit, quod pertinaciter doctrinam hanc perniciosissimam asserentes sunt haeretici.

COMMENTARIUS QUARTUS

DE SEXTO ET NONO DECALOGI PRAECEPTO

Non moechaberis.
Nec desiderabis uxorem eius (proximi tui).
Exod. xx., 14. 17.

PRAENOTIONES

1. Sexto decalogi praecepto prohibentur omnia, quae repugnant ordinatae propagationi generis humani. Nam haeç omnia suo modo reducuntur *ad moechiam*, seu adulterium, tanquam actum primarium repugnantem ordinatae huic propagationi. Nono vero praecepto omnis interior concupiscentia prohibetur eorum operum externorum, quae sexto praecepto prius fuerant iam prohibita. Utrumque hoc praeceptum prohibet *luxuriam*, quae est: *inordinatus appetitus vel usus venereorum*. S. Th. 2. 2. q. 154. a. 1.; L. 412. 414. Malitia ergo luxuriae in hoc consistit, quod homo venereis, i. e. commotione spirituum genitalium et semine, quod a natura et Deo, tanquam auctore naturae, ordinatur ad debitam propagationem generis humani, *inordinate* utatur ad voluptatem, aut alium perversum finem.

Inordinate, h. e. extra matrimonium, vel contra matrimonii leges in matrimonio.

Iam age 1.° *Luxuria*, cuiuvis generis, vel speciei, *est per se grave peccatum*. Ratio est, 1. quia graviter pugnat contra naturam. Usus enim rei venereae ex natura sua institutus et necessarius est ad solam conservationem et propagationem generis humani; non potest igitur usurpari extra matrimonium; imo ne in matrimonio quidem nisi debito modo, sine gravi recti ordinis perturbatione. 2. Quia sub gravi a Deo naturae Auctore prohibetur, ut ex innumeris S. Scripturae locis constat. Et sic Apost. Paulus in Ep. *ad Galat.* V. 19. *mani-*

festa sunt opera carnis, ait, *quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria..., quae praedico vobis, sicut praedixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* — L. 414.; S. Th. 2. 2. q. 153. a. 2. 3.

2° Luxuria *directe voluntaria* in quovis genere *nunquam parvitatem materiae admittit.* Ratio est, quia quaevis delectatio directe quaesita subversionem, in re gravissima, naturalis ordinis, a Creatore stabiliti necessario inducit. Constat etiam ex prop. 40.ª ab Alexand. VII. damnata, quae sic iacet: *Est probabilis opinio, quae dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis.* — Sporer de Matrim. n. 689.-690.; L. 475. 476.; S. Th. 2. 2. q. 153 a. 2. 3.

3° Luxuria autem *indirecte voluntaria* admittit parvitatem materiae; quia nullus tunc est consensus seu intentio in voluptatem veneream, sed tantum in causam, quae leviter est peccaminosa, cum nonnisi leviter in veneream delectationem influit. G. 412. (Gury, Comp. Theol. mor. t. I. n. 412.); L. 482. 483. Et sane cum causa illa *per se* nonnisi leviter, adeoque inefficaciter in eam voluptatem influit, huius quidem *permissio* habetur, nullo pacto *volitio.* Si quis vero eam veneream voluptatem non solum *permittat*, sed etiam reapse *velit* et *intendat*, in ea causa, gravis culpae reus erit; quia revera rem veneream vult et intendit, quae graviter illicita est.

4° Porro luxuria directe opponitur *castitati*, quae generaliter sumpta est: *virtus moralis, quae moderatur inordinatum appetitum et usum venereorum.* Pars castitatis, eaque perfectissima, est *virginitas*, quae duo importat, integritatem nempe corporis, et integritatem mentis; seu propositum illam integritatem corporis servandi in perpetuum. Virginitas *physice* amittitur in puella per aperitionem sive effractionem claustri virginalis, et in mare per effusionem seminis; *moraliter* vero tam a foemina, quam a mare, magis vel minus amittitur per voluntariam pollutionem, vel veneream tantum delectationem, vel dumtaxat per consensum in eas, quamvis reapse neque pollutio, neque venerea delectatio locum habeant. Attamen quoad statum politicum et in facie Ecclesiae, puella manet virgo, quamdiu claustrum virginitatis per concubitum non fuit violatum, et mas quamdiu faeminam carnaliter non cognovit. Unde « monialis, quae ante professionem vel consecrationem, se voluntarie polluit, quamvis amittat, ut dictum est, virginitatem secundum virtutem; tamen cum non amittat secundum statum, quia integro virginali claustro gaudet, nulla indiget dispensatione ad profitendum, et ad velum suscipiendum, solum virginibus concessum Et propter eamdem rationem, eadem potest sine scrupulo accipere legatum solis

virginibus relictum, seque, ut nubat, virginem pronunciare, etc. Virginem occulte in claustro violatam, se non posse ingerere ad petendum consecrationis velum, etiamsi ex hoc infamiam sit consecutura, docet Azor, Bonac., alios afferens: at posse officia propria virginis exercere, immo se offerre ad illa, ne infametur; quia (inquit Azor) instituta ecclesiastica non obligant cum tanto rigore. Verum pace Azorii, doctissimi viri, haec ratio probat etiam posse, in simili periculo infamiae, non solum in praedicta officia se ingerere, sed etiam petere consecrationis velum, ut tenet, citato Suar., Pell., quia pariter id ex instituto est Ecclesiastico ». Tamburini Explic. Decal. l. VII c. 5. n. 2. 3; Sporer post tract. V. append. ad VI. praecept. n. 6.; Struggl tr. 7. q. 4. art. 1. n. 2.; Billuart tr. de Temper. Dissert. 4. de Cast. etc. art. 1. 2. 5., Dissert. 5. de Luxur. art. 1. 2.; S. Th. 2. 2. q. 152.

2. *Nota* 1.° Ut luxuriae obiectum rite intelligatur, duplex hac in re distinguenda est delectatio; alia *venerea*, quae dicitur etiam *carnalis*, alia *sensibilis*. Delectatio venerea, seu de re turpi, esse potest vel mere *spiritualis*, quae nempe in mera voluntate est, sine ulla turpi commotione in corpore, vel non mere spiritualis, sed simul *carnalis*, ut si adsit turpis commotio in corpore. La-Croix l. 3. n 890.-892. Delectatio haec venerea et carnalis sentitur in partibus genitalibus per commotionem spirituum genitalium et seminis; e contra delectatio sensibilis in aliis sensibus sentitur ex applicatione eorum ad obiectum suum, et obiecti huius proportione ad proprium sensum. Si venerea delectatio aut directe *in se*, aut indirecte *in causa intendatur*, *quaesita* dicitur; at si praeter intentionem sequutam liber voluntatis consensus accedat, delectatio dicitur *admissa*.

Delectatio sensibilis dupliciter patet; alia est *pure talis*, alia est *sensibilis-venerea*. Delectatio sensibilis pure talis ea est, quae oritur ex obiecto, quod de se praecise non est aptum movere ad delectationem veneream; ut ex. g. delectatio, quae oritur ex tactu holoserici, odoratu floris, auditu musicae, gustu sacchari. Delectatio sensibilis-venerea ea est, quae exoritur ex obiecto, quod de se aliquo modo aptum est movere ad delectationem veneream, ut, ex. g., delectatio, quae exoritur ex tactu, ex amplexu foeminae, ex eius osculo, etc. L. 412. 413. 415.

Delectatio venerea deliberate voluntaria inter homines, quibus illicita est copula, ad *luxuriam* proprie spectat et peccatum grave est ex *toto genere* suo, materiae parvitatem non admittens. Ratio est quia delectatio venerea de se ad actum generativum et humani generis propagationem, quae res gravissima est, ordinatur; et si praeterea notabilis sit continet ex intrinseca natura sua proximum

pollutionis periculum, quae directe generationi repugnat. Confirm. ex prop. 40. damn. ab Alexand. VII., iam citata n. 1. 2.° Ea enim propositionis damnatio intelligenda est 1.° de osculis calidioribus et morosis, quae ex natura sua proxime disponunt ad delectationem venereamque; minime vero de osculis levioribus et transitorie impressis, quae solum remote ad delectationem venereamque disponunt; 2.° de osculis etiam levioribus, sed habitis *ob* delectationem *carnalem* seu venereamque. Coniungitur enim in ea prop. *carnalis* et *sensibilis,* ut intelligas nomine delectationis *sensibilis* ipsam delectationem carnalem, vel delectationem, quae sensibilis sit simul et carnalis. Si igitur illa oscula gravia sunt propter periculum proximum et ob finem intentum delectationis venereae, venerea delectatio de se gravis est. Hinc « graviter peccat, qui sponte consentit in motus leves carnales sponte obvenientes ». L. 415.

Delectatio *sensibilis pure talis,* ad *luxuriam* proprie non pertinet, sed ad *sensualitatem*, eaque de se mala non est, sed indifferens. Neque vero alia malitia in ea reperiri potest, quam ea, quae generatim est in actu, qui ad finem rationalem non refertur, qualis profecto esset, si quis non solum ageret *cum ea delectatione*, sed etiam *propter* eamdem delectationem, ulteriorem honestum finem positive excludendo, sistendo in ea.

Delectatio tandem *sensibilis-venerea*, aut ex natura sua *proxime,* disponit ad delectationem venereamque, aut tantum *remote.* Si *proxime,* peccatum grave est propter proximum periculum delectationis venereae. Si *remote,* peccatum veniale per se non excedit, si directe intendatur, propter inordinationem, quae in ea directe intenta est, neque tamen gravem, cum absit proximum periculum delectationis venereae. Unde ex aliquali tantum sensualitate aspicere foeminam pulchram, tangere eius faciem, manum, aut ei dare leve osculum, seclusa alia prava intentione, vel periculo consensus, in rem aliam gravem, est peccatum solum veniale. Struggl tr. 2. q. 2. n. 15. 4. 5. 6. 7.; Tamburini Expl. decal. l. 7. c. 8. n. 1. et seqq.; Sporer de Matr. n. 686. 688. 691.; Billuart Dissert. 5. de Luxur. art. 1. 2.; Ithurriaga Cas. 51. n. 3. seqq., Cas. 18. n. 1. seqq.

Advertunt autem communiter Thth. quoad praxim, a « delectatione sensuali ad venereamque maxime in sensu tactus aut visus facilem esse progressum ». Billuart de Temp. diss. 5. art. 2.; L. l. 3. n. 416., l. 6. n. 854.

3. *Nota.* 2°. Ut rite etiam intelligatur quomodo *virginitas* pars sit, eaque perfectissima *castitatis* generaliter sumptae, neque cum hac confundatur, triplex distinguenda est castitas, *coniugalis, vidualis, virginalis.* Castitas *coniugalis* est, quae in matrimonio licitis voluptatibus moderate utitur. Castitas *vidualis* est, quae post mortem

coniugis, aut aliunde amissam virginitatem firmo proposito ab appetitu et usu venereorum deinceps abstinet. Castitas demum *virginalis* est, quae ab omnibus voluptatibus carnalibus tam illicitis, quam licitis in matrimonio, proponit perpetuo abstinere. S. Th. 2. 2. q. 151. 153.

4. *Nota* 3°. Ut rite tandem intelligatur quod de virginitatis natura dictum est, sciendum est quosdam reponere claustrum virginale in foeminis in quadam membrana, quae *hymen* dicitur, et in ingressu vaginae sita est, eaque virili coitu, vel alia extranea causa dilacerata aboletur: alii vero volunt nihil aliud esse, quam compressionem seu complicationem orificii vasis foeminei, quae congressu viri, vel alia extranea causa dilatatur, et sic vas aperitur Licet vero *hymen* communiter in virginibus reperiatur; eius tamen praesentia vel absentia non est quidem *certum* virginitatis signum; plures enim citantur casus virginum, quae eo caruerint. Billuart Diss. 6. art. 3.; Milne Edwars Leçons sur la Physiolog Paris 1870. tome 9. pag. 59. 65. 66.; Debreyne Moechialogie l. P. Ch. I. art. 2. § 2.; Longet Physiologie Paris 1850. t. 2. pag. 139.; Ant. p. 113. 115. (Antonelli Medicina Pastoralis edit. secunda pag. 113. 114. 115).

5. Luxuria alia est interior, alia exterior. Prior est voluntaria occupatio phantasiae, intellectus et voluntatis per gaudium, delectationem morosam, desiderium, rei venereae, voluptatis gratia. Posterior est ipsemet venereorum usus, voluptatis gratia, et multiplex specie est; alia enim est in actibus non consummatis, alia in actibus consummatis, qui specie ab illis differunt; ac tum haec, quae in actibus consummatis est, tum illa quae est in actibus non consummatis, in alias species subdividitur pro obiectorum specifica diversitate. — Actus autem consummati hac in re sunt illi actus, qui usque ad humoris prolifici effusionem pertingunt. Qui ad hunc terminum non pertingunt actus sunt non consummati, qui proprie *sensualitatis* et *impudicitiae* actus sunt. — S. Th. 2. 2. q. 151. a 4., q. 154. a. 1. ad. 5., q. 155. a. 2. 3. 4 ; L. 412.

Varias has luxuriae species gradatim hic variis capitibus et articulis explicabimus.

CAPUT PRIMUM

De luxuriae actibus non consummatis

6. Actus non consummati luxuriae sunt, turpes aspectus, auditiones seu sermones, quibus lectiones turpes accensentur, odores et gustus turpes, denique tactus.

Articulus Primus

De aspectibus obscoenis

7. *Prop.* Aspectus voluntarius et deliberatus rerum *valde obscoenarum,* quae *ex sua natura proxime* disponunt ad delectationem venereum, nisi fiat *ex iuxta causa,* est *per se loquendo* peccatum mortale; aspectus vero rerum *minis obscoenarum,* quae *ex natura sua* solum *remote* disponunt ad delectatione venereum, nisi etiam fiat ex *iuxta causa, per se loquendo,* est peccatum solum veniale. — Prob. Ratio 1ae p. est, quia quis ita agens se exponit periculo proximo delectationis venereae, quae est graviter peccaminosa; adeoque graviter peccat. Ratio 2ae p. est, quia licet obiectum sit aliqualiter obscoenum, adeoque actio circa illud illicita, non affert tamen proximum venereae delectationis periculum, adeoque ea actio graviter illicita non est. — Billuart Diss. art. 16.; L. 420. seqq.

8. *Corollaria:* 1° Aspectus picturarum obscoenarum, si *obiter fiant,* et ex mera curiositate, et absit proximum periculum consensus in turpem delectationem, ut mortalia non habentur. Non videtur vero a mortali posse excusari vir *morose* aspiciens pudenda mulieris depictae, quia huiusmodi aspectus per se graviter influit in turpem delectationem; nisi per brevissimum tempus, aut in magna distantia fiat, aut nisi picturae vetustas vim artificii imminuerit, aut si picturae infantes tantum repraesentent, quia picta non commovent sicut naturalia; nisi forte ob aspicientis fragilitatem, aliter iudicandum sit. Idque facilius admitti potest ob consuetudinem quoad imagines et sculpturas angelos repraesentantes nudos, aut quasi nudos, sicut plures sunt in templis christianis. — Graviter ergo peccant depingentes, sive exponentes *publice* imagines *obscoenas,* scilicet detectis pudendis, sive tenui velo coopertis, secus si, detectis aliis partibus, pudenda tegantur. Excipe tamen, si quid huiusmodi pingendum sit ad scientiam anatomicam aut obstetriciam docendam vel addiscendam, vel aliam similem iustam causam. — G. 415. 418. 5.° 247. 249.; L. l. 2. n. 56., l. 3. n. 424, 428.; Struggl tr. 4., q. 5. n. 27.

2° Per se loquendo, et seclusa mala intentione, aut periculo

consensus propter specialem fragilitatem, peccatum veniale non excedit aspicere ex levitate et quadam curiositate, partes turpes animalium, et animalia coeuntia. Struggl. Theol. mor. tr. 7., q. 4., art. 2., n. 12.; L. 419.

3° « Non est mortale de se citra periculum consensus venerei, aspicere pudenda personae eiusdem sexus (a fortiori suipsius, quia propria minus movent quam aliena), nisi aspiciens esset valde propensus ad sodomiam, Salm., Sanch. etc., vel nisi, *adderem* pulcher adolescens aspiceretur nudus », L. 419. 420. 421.; Billuart, l. c., vel nisi aspectus *studiose* et *morose* fiat. — Advertendum autem hic est, quod mulieres quandoque reperiantur, quae speculo utuntur, ut impudice se adspiciant, quam circumstantiam deinde in confessione aperire non audent. Ipsa tamen necessario in confessione declarari non debet.

4° Aspectus in partes honestas (h. e. quae omnibus patent) personae diversi sexus, etiam pulchrae, *per se,* non sunt peccata. Si autem ex curiositate vel cum morositate aliqua fiant, peccata venialia ordinarie erunt. A mortali vero non excusantur aspectus diuturni, si proximum periculum involvant consensus in turpem delectationem; praesertim si commotio genitalium spirituum insurgat, et a fortiori si persona inordinato amore diligatur. Quare si aspectus iste fiat ex simplici urbanitate, vel causa alia honesta, nullum erit peccatum. Neque vero ad peccatum hac in re vitandum necesse est demissis oculis incedere et neminem conspicere; naturaliter quippe, et sine ullo conatu, iustum tenendum est medium. — L. 422.; G. 418. 3.°; Bouvier, Diss. in 6. dec. praec. C. 4., art. 2., § 3.; Billuart, l c.

Ad scrupulos vero hac in re vitandos, qui timoratos viros saepe anxios tenent, haec iuvat notare: 1° Excessivus praecavendus est timor peccandi: cum tentationes augere possit; et deterrere etiam ab aspectu Sanctarum Imaginum. 2° Non eadem sane modestia ab omnibus exigitur, sed ea ex statu, officio aliisque personarum, locorumque circumstantiis est determinanda. 3° Gradus quidam est modestiae, qui regulariter ab omnibus observari potest. In hoc consistit, quod praesertim in faciem personarum alterius sexus obtutum quis morose non figat. 4° Si quis ex speciali Dei inspiratione et gratia maiorem velit modestiam servare rem certo faciet magni meriti apud Deum et magnae aedificationis apud homines; cuius Sancti splendidissima exempla nobis exhibuerunt. Verum id suaviter faciat, nulla animi anxietate.

5° Aspectus in partes minus honestas sed non turpes mulieris, scilicet pectus, brachia, crura, non sunt per se peccata mortalia, secluso tamen proximo pravi consensus periculo, quod alioquin

facile aderit, si aspectus sit morosus et diuturnus, vel adspiciens ad venerem sit valde proclivus; minus vero facile adest assuetis ex patrio more. — A mortali generatim non excusabis eos, qui ubera mulieris pulchrae nuda cum mora notabili sine causa aspiciunt, ob periculum huiusmodi aspectui adnexum. Verum graviter non peccant qui, secluso speciali periculo, matres aut nutrices infantulos lactantes aspiciunt, aut in denudatum pectus mulieris vetulae, aut iunioris non adhuc formatae oculos figunt. — L. 423.; G. 418. 4.°; Billuart, l. c.; Bouvier, l. c.; Scavini, etc.

6° Aspectus in verenda diversi sexus aut in partes vicinas ordinarie sunt peccata mortalia, nisi forte visio fiat a longinquo et per brevissimum tempus; quia aspectus huiusmodi, si morosi et diuturni sint, per se graviter influunt in turpem delectationem. Nec excusaris a gravi, si partes turpes velo tenuissimo et perlucido aspicias, quia fere talis aspectus libidinem auget, nedum minuat. Excipiunt: 1° Si aspiciens sit puer vel valde senex, aut valde frigidus, quia isti parum moventur. 2° Si oculi defigantur in infantulum, vel senio confectum, quia parum movent. Unde non censentur graviter peccare ancillae et nutrices, quae pueros sibi commissos sic aspiciunt, nisi morose vel iteratis vicibus pravoque affectu id faciant. G. 418. 2.° — Hinc peccatum etiam grave est deliberate aspicere personam alterius sexus totam nudam, nisi aspectus fieret solum leviter, obiter aut a longe; vel aspicere personas coniugatas coeuntes. — Struggl, 12.; Billuart, l. c.; L 420. 421.; Salm. tr. 26., c. 3., n. 12.

7° Omnes aspectus praedicti, qui leviter vel graviter peccaminosi sunt, omni culpa carent, si ex proportionata utilitate et necessitate fiant, qualis datur, e. g., in medico vel chirurgo, dum in his partibus mederi debet. — Hinc excusantur etiam, ut videtur, medici qui stipendium accipiunt a gubernio, ut singulis hebdomadis meretrices publicas inspiciant, et laborantes morbo venereo ex aliorum contubernio excludant. Excusantur pariter iuvenes, qui artem picturae addiscere nequeunt, quin assistant academiis, aut coetibus, ubi personae nudae pro exemplaribus obiiciuntur, nisi tamen eorum salus periclitetur, ut non raro accidit. — Diana, Tract. 6. de aliq Cas. circa mater. luxuriae Resol. 19.; L. 419. 420.

Articulus Secundus

De mulierum ornatu

9. « Muliebris cultus, ait S. Thomas 2. 2. q. 169. a. 2., viros ad lasciviam provocat, secundum illud Prov. 7.: *Ecce mulier occurrit illi ornatu meretricio praeparata ad decipiendas animas* ». Idem vero

S. Doct. mox ostendit in eod. art., quod hoc ipsum, quod ornatus muliebris sit ad lasciviam provocativus, non est tamen imputabile ad culpam, nisi ex prava intentione procedat.

Quod optime explicat Caiet. Comment. in illum S. Th. locum. Porro distinguit primum Caiet. quadruplicem ornatum: « 1° ad fomentum corporis, et hoc est necessitatis, et propterea Deus fecit primis parentibus tunicas. 2° Ad honestatem, et hoc est etiam necessitatis ex parte animae, sicut primum ex parte corporis. Turpe enim est rationali animali pudenda manifesta deferre. ut naturalis erubescentia testatur: et propterea primi parentes fecerunt sibi perizomata, prius providentes animae quam corpori. 3° Ad ornatum vel honoris, vel pulcritudinis. Et ornatus quidem honoris, licet omnino communis non sit, quoniam mortui mundo ab huius ornatus cura sunt exempti, potest tamen ratione ministerii omnibus communis esse. Est autem omnis apparatus qui fit. ut decenter, et iuxta statum procedat homo, ornatus honoris. Hoc autem recta ratio dictat, ut quilibet, prout eum decet, honorabiliter procedat in hac vita, in qua exteriora sunt quaedam interiorum testimonia. Ornatus autem pulcritudinis fere proprius videtur mulierum; quoniam oportet eas amari, ut pulcras, ad habendos vel conservandos maritos bene dispositos ».

Deinde vero de isto ornatu pulcritudinis, de quo tota est controversia, haec statim addit: « Quoniam ars imitatur naturam, et mulier pulcra suapte natura est provocativa ad sui concupiscentiam, hinc fit, ut ornatus muliebris secundum se sit provocativus ad concupiscentiam, seu lasciviam, pro quanto scilicet facit ad mulieris pulcritudinem apparentem. Verum. quia natura superat artem, et multo magis mulieris pulcritudo naturalis quam artificialis provocativa est ad concupiscentiam mulieris; ideo sicut inculpabilis est omnis naturalis pulcritudo mulieris, ita inculpabilis est secundum se omnis pulcritudo artificialis, ita quod neutri secundum se imputandum est ad culpam, quod provocativa est ad concupiscentiam mulieris. Et propterea in littera utrumque explicatur, et quod ornatus muliebris est *provocativus virorum ad lasciviam*, et quod esse provocativum non imputatur ornatui ad culpam, *nisi ex alia culpa*, puta, *ex intentione provocandi* ». — S. Th. Quodl. 10. a. 14.

10. *Coroll.* 1° Nullum per se est peccatum sive grave, sive etiam leve in ornatu, si consuetudo patriae et status conditio servetur. Mortaliter tamen peccant, si se ornent animo provocandi ad libidinem; venialiter vero dumtaxat, si ex vanitate, levitate, iactantia.

2° Venialis per se culpa est ornatus superfluus praeter consuetudinem patriae et status conditionem.

3° Licite tamen mulieres aliquid ornamenti superaddunt, ut

placeant viris suis, ne detur eis occasio peccandi cum aliis; licite etiam mulieres aliquid ornamenti superaddunt, ut sponsum reperiant.

4° Fucationes erunt mortale, si adhibeantur ad lasciviam; veniale, si mere ad fingendam pulcritudinem; nullum vero, si ad defectum aliquem occultandum.

5° « Scito, inquit Caiet. l. c., quod uti capillis alienis ad opportunum ornatum, non ad mentiendum proprios, non minus videtur licitum, quam uti lana ex ovibus, et lino ex terra. Et quia ornatus iste facit mulierem in veritate pulcram coram hominibus, supplendo naturae defectum in illius ornatu, ideo actus iste non videtur ad fucationem proprie spectare ».

6° « Capillos nudare foeminas, quas etiam caput velare Apostolus iubet, nec maritatas decet. In quo tamen casu possent aliquae a peccato excusari, quando hoc non fieret ex aliqua vanitate, sed propter contrariam consuetudinem: quamvis talis consuetudo non sit laudabilis ». S. Th. 2. 2. q. 169. a. 2. « Habere caput discoopertum et capillos intortos iuxta morem introductum, vel nullum, vel veniale tantum est peccatum... secus dicendum de eis, quae morem introducerent ». Bouvier Diss. in 6. dec. praec. de orn. mul. 5°.

7° Mulieres, quae vestes ita constrictas gestant, ut forma pectoris plane appareat, imo et illae quae fictas sibi turgentes addunt mammas, nonnisi venialiter peccant, si id mere ex vanitate faciant, secluso periculo libidinis et scandalo. Craisson Notiones circa 6. Dec. pr. C. 2. n. 233.

8° « Quia pectus a mulieribus decoris gratia nudum alicubi defertur, ac per hoc ad ornatum reducitur pulcritudinis, etiam ornatus talem habens conditionem, scilicet nudati pectoris iuxta patriae morem, non est secundum se mortalis... Ubi tamen consuetudo non est, inhibendum esset, et cito exstirpanda ne cresceret ». Caiet. l. c. In Summ. v. *Ornatus* haec habet idem Caiet. « Qualitas inordinata ornatus communiter peccatum inducit veniale, si indecens est et minus castus, ut ornatus mulierum monstrantium media ubera. Verumtamen ubi consuetus est iam mos, sine peccato videtur ». S. Alph. quaestionem movet, an peccent graviter mulieres ad sui ornatum ubera ostendentes; et respondet: « Cum ego munus concionatoris egi, pluries hunc perniciosum usum fortiter conatus sum exprobrare; sed cum hic officium agam Scriptoris de scientia morali oportet ut dicam quod iuxta veritatem sentio, et quod a dd. didici. Non nego 1°, quod illae foeminae, quae hunc morem alicubi introducerent, sane graviter peccarent. Non nego 2°, quod denudatio pectoris posset esse ita immoderata, ut per se non posset excusari a scandalo gravi, tamquam graviter ad lasciviam provocans. Dico 3°, quod, si denudatio non esset taliter immoderata, et

alicubi adesset consuetudo, ut mulieres sic incederent, esset quidem exprobranda, sed non omnino damnanda de peccato mortali. Ita communissime ». L. l. 2. n. 55. « A fortiori, quae brachia, collum et scapulas iuxta morem patriae denudant, aut leviter tegunt, graviter per se non peccant. Mortaliter vero a citatis auctoribus iudicantur peccare quae tales consuetudines introducunt ». Bouvier l. c. 8°.

9° « Nuditas ipsa pudendorum secundum se turpis est et corruptiva pudicorum animorum... hinc talis habitus, ita scilicet subtilis seu diaphanus, ut mulier tota conspiceretur, mortale peccatum induceret. Esset enim ibi vitiosa provocatio ad lasciviam ex ipsa specie actionis, qua mulier culta se quasi nudam ingerit communibus oculis. Unde de B. Barnaba legitur, quod maledixit nudis viris ac mulieribus ». Caiet. Comm. in D. Th. l. c.

10° « Vestes alterius sexus induere cum intentione aut gravi periculo libidinis, vel cum notabili scandalo, peccatum est mortale, ut patet: ex necessitate, v. g., ad se occultandum, vel defectu aliarum vestium, secluso scandalo et periculo, nullum est peccatum: si ex ioco vel ex sola levitate id fiat, et absit scandalum ac periculum, veniale tantum est peccatum... Eadem ratione iudicandum est, eos qui utuntur larvis, non semper mortaliter peccare, si nempe ex ioco vel ex levitate, secluso scandalo et periculo, sic agant, praesertim quando vestes proprii sexus non mutant, sed tantum conditionem, ut si servus in vestibus domini, vel puella in ornatu dominae appareant ». Bouv. l. c. 6. et 7. — Diana tract. 5. de scandalo Resol. 11. 13. 63.; Bened. XIV. de Syn. l. 11. c. 12.

11. *Nota* quoad varias personas, quae huic mulierum ornatui cooperari possunt: 1° « Non peccat qui vendit ornamenta puellae per illa sollicitaturae alios ad peccatum, quae ornamenta venderentur ab alio; Ita Sanch., Navarr., Azor, Less., Bonac., Diana contra Castr. et alios. Ratio est, partim quia illa venditio est quid indifferens et remote se habens ad peccatum; partim etiam, quia si vendens peccaret, esset ideo quia non impedit peccatum proximi: atqui licet non venderet, non ideo impediret; alius enim esset qui venderet: ergo vendendo non peccaret ». La-Croix l. 2. n. 263.

2° Inter interrogationes sartoribus faciendas has etiam recenset S. Alph. Prax. Confess. n. 60.: « An sibi occasio proxima peccandi esset ex accipiendis regulis bene formandi vestes mulierum per ipsarum corporum commensurationem, ut vulgo dicitur, *in pigliar la misura*, aut esset ex aptandis vestibus foeminis, quod nequit fieri, nisi cum ipsarum mulierum attrectatione, idque esset sartori occasio proxima incidendi in pravas delectationes aut desideria, prout non raro accidit improbae conscientiae viris ».

3° Quoad barbitonsores haec idem S. Doct. l. c. n. 62: « In-

terrogetur, an comam mulieribus componat, iuxta improbum usum a Satana hoc tempore inventum. Ordinarie loquendo, puto id esse viris proximam occasionem peccandi lethaliter turpibus delectationibus, aut saltem desideriis; unde dico, minime permittendum id alicui, qui in se contrariam non habuisset experientiam. Quod si unquam quis per notabile tempus expertus fuisset in huiusmodi actione se immunem a peccato, hic revera damnari nequit de mortali: sed, hoc non obstante, non omittat confessarius eum removere quantum potest ab huiusmodi officio, quod certe in se periculum continet. Hinc nolo dubium aliud discutere, an foeminae possint, necne, tuta conscientia viros accersere, ut illi suas componant comas. Audio, quod ipsae pluribus in locis hoc faciunt; et confitentur, et communicant; videant ipsae et ipsarum confessarii. Saltem confessarius eis imponat, ne utantur viro aliquo iuniori ex cuius actionibus perceperint malitiose se gerere. Caeterum censeo, quod mulieres purioris conscientiae non quidem utentur viris, sed contentae erunt foeminis, a quibus coma componatur, meliori modo quo potest ». Haec autem, ut patet, valent etiam pro mulieribus, quae virorum barbam radunt, et comam componunt.

12. *Nota* praeterea quoad *scandalum*, quod ratione talis ornatus mulier aliis praebere potest: 1° quod mulier, quae, ex ornatu etiam *conveniente* suo statui, probabiliter praevidet *aliquem in particulari* lapsurum mortaliter tenetur ad *breve tempus* eum dimittere, aut talis conspectum fugere. Dixi ad *breve tempus*, quia ad longum tempus nimis illi grave foret. Unde, si etiam ad *breve tempus* illum ornatum omittere grave ipsi incommodum afferret, nullo pacto, vel ad breve tempus, illum omittere tenetur.

2° Si vero idem timeretur *in particulari* ex ornatu *superfluo*, vano, et inconvenienti, (quem assumere vanitatis et aliis placendi causa, ut videatur pulchra, et sponsum facilius inveniat, seclusis aliis, nonnisi veniale est) teneretur *per se loquendo* eum omnino dimittere, etiam sub mortali, quia nullum habet ius ad illum ornatum, et ex altera parte tenetur vitare peccatum alterius, quando commode potest. Unde, si grave inde incommodum sequeretur, neque ad istum ornatum omittendum graviter obbligaretur. *Per se loquendo*, nam cum superflui ornatus, practice loquendo, mox in consuetudinem patriae foeminarum, quae honestae sunt, convertantur, neque dici absolute potest, quod ius non habeat talis mulier patriae consuetudinem sequendi, neque grave deest incommodum.

3° Si mulier non ita *in particulari*, sed *in genere* tantum aliquos in se scandalizandos putet, modo eorum lasciviam non intendat, nec ei placeat, licet ei placeat quod laudetur ut formosa, non videtur teneri abstinere ab illo ornatu, etiam *superfluo*, sub mortali,

v. g., fucando faciem, etc. « Ratio est, tum quia est scandalum potius acceptum quam datum, et ornatus ille ac pulchritudo veniale tantum ad peccatum provocat, tum quia nimis grave esset isti sexui, praesertim si maritum quaerat, perpetuo sic abstinere; cum illa occasio sit *universalis* et *perpetua*, nec formosiores unquam licite irent foras, cum pulchritudo naturalis plus noceat, quam artificialis ». Lig. l. 2., n. 54.

Articulus Tertius

De turpibus sermonibus

13. *Prop.* Verba *valde obscoena*, quae continuata harum rerum conversatione audientes *ex natura sua proxime* possunt *disponere* ad delectationem veneream, nisi fiant ex iusta causa, *per se loquendo*, sunt peccatum mortale. Verba vero *minus obscoena*, quae *ex natura sua* solum *remote disponunt* ad delectationem veneream, nisi pariter fiant ex iusta causa, *per se loquendo*, sunt peccatum solum veniale. Ratio eadem est ac in prop. praec. n. 7. Quod autem de sermonibus hic dicitur eadem proportione de cantionibus et lectionibus impudicis dicendum etiam est. Licet autem *verba* per se minus moveant ad libidinem, quam adspectus; *lectiones* tamen multo magis movent quam verba et colloquia propter moram diuturniorem et intensiorem imaginationis in rebus illis turpibus. — L. 426. 427. 428.

14. *Coroll.* 1° Graviter peccant qui coram personis solutis praesertim alterius sexus sermones inter se permiscent de seminatione, copula carnali et aliis, quae, *attentis personarum, rei dictae*, et *modi* eam dicendi *circumstantiis*, *proxime disponere* possunt loquentes vel audientes ad delectationem veneream. Neque *per se loquendo* excusantur a gravi peccato, qui, *iocandi praetextu*, verbis aequivocis, sed satis notis, de his rebus sermones habent; excipe, nisi aliquid huiusmodi *mero ioco* et *obiter* dicatur. Ille enim iocus et aequivocatio nedum removet, auget potius, ob excitatam curiositatem, periculum venereae delectationis. Dicitur, *attentis circumstantiis*, quia « *de se* non est malum verba turpia proferre aut audire » L. 426. — Item libros omnino obscoenos legere absque iusta causa est peccatum mortale, etiamsi ex curiositate vel recreationis causa fieri id videatur; quia per se haec lectio valde ad libidinem provocat. Excipe forte, nisi legentes ex sola curiositate ob aetatem provectam et frigidam complexionem aut consuetudinem de rebus venereis tractandi grave libidinis periculum non incurrant. L. 426. — Certum autem est, componentes, ac etiam vendentes libros notabiliter turpes, nullo modo excusari posse a peccato gravi, ob scandalum alio-

rum, quamvis non intentum; nec lucrum quamvis magnum excusare valet. L. 428.

2° Non est per se mortale proferre turpia quidem, sed non graviter obscoena, si fiat breviter, per iocum, aut vanum solatium, nisi audientes ita debiles sint spiritu, ut grave scandalum patiantur. Hinc communiter non sunt gravia dicteria turpia, quae proferuntur a messoribus, vindemmiatoribus, mulionibus, quia ad merum iocum ordinarie dicuntur et audiuntur, et ea proferentes ac audientes parum vel nihil commoventur. L. 426.; G. 420. 4°. Idem consequenter de cantilenis dicendum. — Neque vero semper ut mortalia sunt habenda tenera colloquia caeteroquin honesta cum personis diversi sexus, quamvis periculis plena sint, praesertim si sint diuturna, saepe repetita, aut in locis solitariis fiant. L. 422. 426. Quid ergo iudicandum de amoribus, ut vocant, praesertim inter iuniores? Non sunt indiscriminatim omnes culpae mortalis damnandi; quamquam saepe occasio proxima lethaliter peccandi difficulter aberit, saltem in progressu, et accedentibus quibusdam adiunctis, ut si adamantes omnino soli, praesertim per longius tempus, aut noctu etc. conveniant. L. Prax. Confess. n. 65.; G. l. c. 5°. — Item libros amatorios et leviter inhonestos legere per se non est peccatum mortale, quamvis in praxi sit valde periculosum, praesertim iunioribus. L. 426.; G. 419. Merito autem notant Theologi, hos libros amatorios, qui graviter obscoeni non sunt, saepe magis nocere piis fidelibus, quam prorsus obscoenos, qui horrorem excitant ipsa turpitudine, quam praeseferunt, et a lectione ita deterrent. Componentes vero aut vendentes libros leviter obscoenos peccant quidem, etiam lethaliter, si ad excitandam libidinem id faciant; si vero tantum ad lucrum comparandum, aut ob aliud motivum non graviter pravum, peccatum erit solummodo veniale, cum absque gravi periculo legi queant huiusmodi libri. Clerici tamen ac religiosi non videntur per se loquendo posse componere aut spargere huiusmodi libros absque gravi scandalo. Cf. S. Alph. App. de libr. prohib. c. 1. n. 8-11.

3° « Honestos et familiares sermones, et colloquia miscere cum persona alterius sexus, omni culpa vacat, tametsi in his naturaliter delecteris. Salm. Tr. 26. c. 3. n. 22 ». D'Annib. p. 2. n. 68. ed. 3. « Non refert quod sentiat (quis) maiorem inclinationem ad agendum cum foeminis quam cum viris, quia huiusmodi inclinatio non est moralis, nec libera, sed potius naturalis, seu in ipsa natura fundata. Ergo formaliter mala non est. Fatendum tamen est hoc molestum esse castae menti, imo et incautis periculosum ». G. Cas. t. 1. n. 24.; Elbel de Act. hum. n. 15. — Legere libros obscoenos ob iustam causam, v. g., ad stilum efformandum et perficiendum, ad

discendam historiaeveritatem, ad superiores informandos, ad corrigendos mores etc. nullum est peccatum, modo turpibus non assentiatur.

15. *Nota*: 1° Qui audiunt obscoena si auctoritatem habent in proferentes, eos cohibere debent quantum moraliter possunt; si non habent, eos admonere tenentur, quantum item moraliter possunt, aut ad minus tacere debent, praesertim mulieres, ne turpibus assentire videantur, hinc enim libido virorum inflammari solet. « Non tamen leviter pronuntiandum est, eos omnes qui audientes turpiloquia, ex parte loquentis mortalia, parum derident, mortaliter peccare: fieri enim potest, ut de modo dicendi potius quam de rebus ipsis rideant: porro in eo casu mortaliter non peccant, nisi grave praebeant scandalum. Scandalum autem facile praeberent religiosi, clerici, et personae virtutibus christianis eximiae, si de verbis obscoenis riderent ». Bouvier Diss. in 6. dec. praec. de turpiloq. 4°.

2° Qui ob iactantiam narrant sua turpia peccata frequenter peccant ob scandalum audientium, et complacentiam de peccato narrato. L. 426.; Prax. Confess. 40.

Articulus Quartus

De theatris

16. Ex illis, quae duobus art. praeced. dicta sunt, iudicium ferri potest de theatris; an nempe peccent qui theatris intersunt? Si enim peccant, nonnisi ob turpes aspectus, vel turpes res auditas peccare possunt. Iam age, theatra de se mala non sunt, sed indifferentia, cum bene et male haberi possint: ordinarie tamen loquendo, negari non potest ea esse plena periculis, maxime pro adolescentibus, quorum sanguis per se iam satis ebullit; nam et luxus fovent, et turpiter visum pascunt, et animam enervant, et passiones acuunt. — Quare nullum est peccatum sive comoediis interesse, sive eas agere, *si honestae sint*: « officium histrionum, quod ordinatur ad solatium exhibendum hominibus, non est secundum se illicitum », ait Angelicus 2. 2. q. 168. a. 3. — Si vero sint *aliquantisper turpes,* audiens peccabit tantummodo venialiter, nisi forte experientia sciat, se huiusmodi ludis vehementer ad libidinem cum proximo consensus periculo commoveri, adeo ut spectaculum sit ipsi proxima peccandi occasio. — Si tandem comoedia sit *notabiliter turpis*, vel in se vel in modo, mortaliter *per se* peccat. *Per se;* veniale enim esset eam spectare ob curiositatem tantum, aut ob vanum solatium, secluso omni periculo turpis delectationis. quod tamen, practice loquendo, facile aderit in adolescentibus, vel in aliis parum timoratae conscientiae; et nisi adsit scandalum, quod plane adesset, si comoediis turpibus interessent clerici et religiosi,

uti advertit Bened. XIV. — L. 427. 428., Hom. Apost. tract. 9. n. 10.; G. 247.

17. *Nota:* 1° Merito Holzmann et La-Croix propter scandalum aliorum damnant de mortali tum eos, qui pecunia aut plausu cooperantur ad comoedias notabiliter turpes; tum eos quoque, qui eas impedire tenentur, et cum commode possint, non impediunt; a fortiori autem eos qui illas, componunt vel repraesentant. — 2° Cum illicitum non sit ex iusta et proportionata causa alicui se periculo exponere, praesertim si salutaribus praesidiis peccandi periculum avertatur, spectaculis sine peccato assistere possunt, modo ea graviter turpia non sint, 1° mulieres coniugatae, ne marito imperanti displiceant; 2° famuli et famulae, ut dominis suis inserviant; 3° filii et filiaefamilias, si parentes id praecipiant; 4° milites et magistratus, ut bonum ordinem servandum curent; 5° reges et principes, ut affectionem subditorum sibi concilient; 6° aulici, qui principem comitari tenentur, etc., modo hi omnes pravam non habeant intentionem, et delectationi carnali forte insurgenti non consentiant. — 3° Cum tamen res, prouti communiter fit, periculis plena sit, prudens confessarius, quantum fieri potest, poenitentes suos ab huiusmodi spectaculis avertere debet. — 4° Licitum est autem operariis theatra aedificare et ornare, si ornamenta in se honesta sint, quia licitum est Principibus spectacula permittere.

18. *An nunquam absolvi possint comoedi et histriones, nisi suae professioni renuntient?*

R. Certe non sunt absolvendi comoedi et histriones, nisi prius renuntient turpibus repraesentationibus; sed cum spectacula non sint de se omnino illicita, nec etiam officium histrionum, inquit S. Th. 1. c., est de se illicitum, nec illud exercentes sunt in statu peccati, dummodo moderate ludo utantur, i. e. non utendo aliquibus illicitis, verbis vel factis, ad ludum, et non adhibendo ludum negotiis et temporibus indebitis. Non sunt ergo semper histriones absque absolutione dimittendi. « Toutes choses égales, ait D. Gousset, theol. mor. t. 1. n. 648., on sera plus indulgent envers une actrice, qui est sous l'empire de la puissance maritale, qu'envers un acteur, qui est maître de ses actions » — Diana tr. 5. de scandalo resol 25-29; S. Franc. Sales. Introd. à la vie devote 1. p. ch. 23.

Articulus Quintus

De odoribus et gustibus turpibus

19. Nihil de hac re speciale reperimus apud Theologos. Indubia tamen res est, ut constat ipsa experientia, plures ad veneream delectationem excitari ex odoribus et gustibus. Iamvero idem hic

valet principium ac pro aspectibus et sermonibus. Si odores et gustus rei sunt *valde obscoenae,* et ita fiunt, ut *proximum* inducant delectationis venereae *periculum*, peccatum tunc, *per se loquendo*, aderit grave. Si vero attenta re, quae vel non est valde obscoena, vel nullo pacto obscoena est; et attento etiam modo, quo locum habent illae sensationes, periculum adest venereae delectationis satis remotum, vel omnino nullum; vel id, per se loquendo, peccatum tantum leve erit, si ex levitate vel aliquali sensualitate illi actus ponantur; vel etiam nullum. Dicitur *si ex levitate* etc.; nam iterum nullum erit peccatum, si huiusmodi actus sufficienti et proportionata ratione ponatur. — A. p. 115.

Articulus Sextus

De tactibus turpibus

20. *Prop.* Tactus *valde turpes,* qui ex natura sua *proxime disponunt* ad delectationem venereaam, nisi ex iusta causa fiant, *per se loquendo,* sunt peccatum mortale: tactus vero *minus turpes*, qui ex natura sua non *disponunt* proxime, sed solum *remote* ad delectationem venereaam, nisi pariter ex iusta causa fiant, *per se loquendo,* sunt peccatum solum veniale. Prob. Ratio est, quia tangens priori modo se aut alteram personam, exponit se aut etiam alteram personam periculo proximo delectationis venereae; posteriori vero modo, periculo solum remoto: neque vero utriusque tactus rationabilis adest causa, illum cohonestans. Ergo. — Billuart de Temp. Diss. 6. art. 16.; L. 415.-418.; S. Th. 2. 2. q. 154. a. 4., q. 156. a. 2. 4.

21. *Corollaria:* 1° Tangere genitalia brutorum non est ordinarie nisi veniale. Hos autem tactus producere usque ad effusionem seminis probabiliter est mortale, quia est actio vehementissime excitans ad venereaam delectationem. Attamen, si quis id faceret ex mera levitate et curiositate, et experiatur se nihil inde veneree commoveri, de mortali damnari non posset. Tamb. Explic. dec. l. 7. c. 8. n. 5.; Sporer de Matrim. n. 697.

2°. Tactus proprii corporis etiam in verendis veniale non excedunt, quando, secluso affectu venereo, obiter tantum, et ex mera levitate aut curiositate habeantur, quia libidinis non sunt admodum incentivi. L. 419.; G. 416.; Billuart. l. c. — Hic autem advertendum est, quod mulier e. g. quae se tetigit medio aliquo instrumento, non tenetur hanc circumstantiam aperire, etiamsi illud in verenda intromiserit: quia nova inde peccati species non habetur. Neque item necesse est, explicite declarare in qua corporis parte huiusmodi turpes tactus habiti sunt. Confessarius ergo de his interrogare non debet.

3°. Tactus in verendis alterius personae eiusdem sexus, aut partibus vicinis, etiam super vestes, ordinarie non excusantur a peccato gravi, nisi forte ex petulantia, ioco, levitate, et obiter fiant. G. l. c.; Salm. tr. 26. C. 3. n. 50.; L. 420.

4°. Veniale non excedit tangere partes *honestas*, e. g. digitos, manum, vultum personae diversi sexus, si haec ex mera levitate fiant, nec adsit speciale venereae delectationis periculum ratione modi, quo hi tactus fiunt, aut etiam propriae vel alterius fragilitatis. — L. 415.-418.

5°. Tactus in partibus *minus honestis* personae diversi sexus, quales sunt pectus, crura, brachia, si ex mera levitate, curiositate, ioco, etc... fiant, veniale etiam non excedunt, secluso semper speciali delectationis venereae periculo, ratione modi quo hi tactus fiant aut etiam propriae vel alterius fragilitatis. L. 430. — « Unde manum mulieris tenere, digitos contorquere, collum aut scapulas leviter tangere, pedem super pedem eius transeundo ponere, etc., non est peccatum mortale, nisi, ratione personalis sui vel alterius miseriae, grave existat periculum libidinis. Contra vero iuvenis, qui puellam in genua sua trahit et ibi sedentem tenet vel eam amplexando in se comprimit, saltem ordinarie mortaliter peccat, et mulier haec voluntarie patiens a mortali non magis excusari potest ». Bouvier l. c. de tactib. impud. 6°; Ithurr. Cas. 51. n.

Graviter est increpanda illorum iuvenum procacia, qui manum ex proposito immittunt in sinum mulieris; affectus enim libidinosus, si non antecedit, certe sequitur ex tali tactu, ut experientia docet: adde vel ipsam quae tangitur non raro sic exponi pollutionis, vel libidinosae delectationis periculo. Tactus uberum foeminae praesertim iam puberis, sunt mortales, cum sunt pressi et morosi; veniales vero, si leves et fiant obiter, superficialiter et sine affectu libidinoso. Ita etiam de puella proprium sinum tangente. Tactus reciproci morosi ipsarum mulierum inter se super mammillas mortales per se sunt, quia non solum sic tangere, sed etiam sic tangi multum influit in rem veneream. — Scavini l. 1. n. 794. Mediol. 1874.

6°. Tactus in partibus *turpibus*, h. e. in partibus genitalibus, vel quae ipsis proxime sunt, personae diversi sexus etiam brevi tempore habiti, sive immediate sive mediate fiant supra solum indusium vel etiam supra vestes, excusari regulariter nequeunt a peccato gravi, sive quia affectum ostendunt venereae delectationis, sive quia proximum venereae delectationis periculum continent. Probabiliter tamen arguendae non sunt de peccato gravi ancillae, quae tangunt pudenda infantium dum eos vestiunt, etiamsi ex levitate vel curiositate quadam; secus vero si cum mora, vel tactus immediate iterando id fieret, ob proximum periculum venereae

delectationis; et, ubi pueri crescere incipiant, ob ipsorum etiam puerorum periculum. Quare huiusmodi ancillae graviter sunt arcendae a tali pravo habitu. Sanch. de matr. l. 9. d. 46. n. 11.; Salm. tr. 26. c. 7. n. 37.; L. 420. 430.; La-Croix l. 3. n. 902.; Ithurr. Cas. 51, n. 6.; Billuart Diss. 6. art. 16., qui tamen addit: « Virum ex levitate, aut ioco tangentem obiter mulierem e regione pudendorum supra vestes a mortali posse excusari, quia id graviter non videtur influere in commotionem carnalem. »

7°. Ut alii actus incompleti, de quibus in articulis praeced., ita etiam tactus non sunt *ex intrinseca sua natura* mali, ut constat ex ratione constanter adducta, sed tantum extrinsece ob proximum nempe venereae delectationis vel consensus in eam, periculum. Et sane omnes hi actus ex intrinseca sua natura non pertinent ad *luxuriam* seu rem veneream, quae nonnisi coitu, pollutione seu delectatione carnali, quae ad ea proxime disponit, vel ea sequitur in partibus genitalibus, continetur; sed ad *sensualitatem per se* spectant, ut ex iam supra dictis constat, num. 2. Insuper « hi tactus aut adspectus apprehensi, ut media sanitatis, aut necessitatis non ita phantasiam aut carnem commovent; quod si ex alia subrepente apprehensione delectabili graviter commoveant, hoc est per accidens ex miseria naturae, et praeter intentionem agentis, cui, cum habeat iustam causam illos actus ponendi, non imputatur effectus secutus. Insuper dato etiam, quod hi actus per se influant in commotionem, habent nihilominus alium effectum bonum aeque immediatum, qui potest intendi, malo permisso, ut dixi supra art. 11. de poll. Intellige semper, modo absit periculum consensus in ipsam delectationem veneream inde ortam ». Billuart l. c. Dixi 3°.

Omnes ergo praedicti tactus liciti omnino sunt ex proportionata necessitate et utilitate. Hinc medici tangentes ex necessitate pudenda personae etiam diversi sexus non peccant, esto per accidens involuntariam pollutionem patiantur. Neque peccant *per se* qui se tangunt: 1°. ad abstergendas corporis sordes, adeoque possunt viri immunditiam detergere sub praeputio latentem, ex qua grave incommodum patiantur; 2°. ad pruritum sedandum, qui ex acrimonia oritur salsi humoris in verendas partes fluentis; idque tum in viris tum praesertim in foeminis locum habet; et in quibusdam quasi continue; Cf. Milne Edwards l. c. t. 9. pag. 53. 68.; 3°. ad infirmitates curandas; quamvis periculum adsit pollutionis in omnibus hisce tactibus. Attamen, si pruritus, qui nonnunquam intolerabilis fere est, levior sit, insinuandum est, ut a tactibus, quatenus possint sine gravi molestia, abstineant. Magna tamen in his discretione confessarius utatur, oportet. Huiusmodi enim dubia personas praesertim conscientiae timoratae vexare solent. Suasiones autem,

si paulo vehementiores sint, nec condiantur aperta declaratione de absentia alioquin cuiusvis reatus, saepius et facile conscientias molestissimis scrupulis implicabunt. — L. 417. 419. 420., Hom. apost. n. 3., S. Th. 2. 2. q. 154. a 4., G. 416., Billuart Diss. 6. art. 16., Bouvier etc.

Consulendum potius his, qui pruritu laborant in verendis, ut alia remedia efficaciora tactibus adhibeant v. g. aquam vel simplicem vel medicatam, ex medici tamen praescripto, et praesertim earum partium munditiem. — Non licet vero se tangere, si pruritus iste non sit pruritus proprie dictus, seu ex sanguine vel humoribus proveniens; sed pruritus sit omnino venereus, seu vehemens quaedam excitatio se polluendi ex nimia seminis abundantia. Pruritus hic venereus valde dissimilis est ab eo, quem omnes experiuntur in aliis corporum partibus; et sequuta pollutione omnino cessat. Debreyne. Moechialogie P. 1. ch. 1. art. s., 8. ch. 2. art. 2. § 1.

Articulus Septimus

De osculis et amplexibus

22. Oscula triplicis generis esse possunt: *honestatis, levitatis, voluptatis.* — *Oscula honestatis*, seu quae fiunt iuxta morem patriae, urbanitatis gratia, vel ad contestandum amorem honestum, amicitiam, pacem, reconciliationem aut ex alio fine honesto, nullum sunt peccatum. Ratio est: quia similia oscula sunt de se indifferentia; adeoque, si ex honesto motivo fiunt, nullam exhibere possunt inhonestatem. Omni ergo culpa vacant oscula, quae matres aut nutrices infantibus solent infigere. Idemque saltem ordinarie dicendum de aliis, qui infantes tenerae aetatis etiam diversi sexus, secluso pravo quovis affectu, deosculantur. Monialibus tamen, religiosis et clericis non convenit deosculari personas diversi sexus, praeter coniunctos in primo gradu consanguinitatis vel affinitatis, ob naturalem quandam indecentiam, et scandalum, quod inde sequerentur. — G. 415.

Oscula levitatis, curiositatis, aut etiam *sensualitatis,* dummodo ex *obiecto* vel *modo* turpia non sint; *per se* veniale peccatum non excedunt. Ratio est, quia proximum venereae delectationis periculum non exhibent.

Oscula tandem *voluptatis* h. e. venereae, peccatum grave sunt. Talia profecto sunt oscula in partibus *turpibus*, h. e. genitalibus vel partibus vicinis. Talia etiam haberi fere debent oscula *minus honestis* et usitatis corporis partibus impressa, praesertim inter personas diversi sexus, v. g. pectori, mamillis, etc.; vel etiam in partibus honestis, sed modo minus usitato, v. g. si sint valde morosa, vel re-

petita, et pressa, praesertim vero lingua in os introducta, etc. Ratio est, quia huiusmodi oscula affectum ostendunt venereae delectationis, et proximum continent delectationis venereae periculum. — Ithur. Cas. 78. n. 3. 4.; Billuart l. c.

23. Ut oscula, ita amplexus triplicis generis sunt: *honestatis, levitatis, voluptatis.* - *Amplexus honestatis,* qui fiunt ex patria consuetudine, vel causa officii aut benevolentiae, *per se* loquendo, omni prorsus vacant culpa. — *Amplexus levitatis, curiositatis,* aut *sensualitatis,* dummodo ex *obiecto* vel *modo* turpes non sint, veniale peccatum per se non excedunt. — *Amplexus* tandem *voluptatis* scil. venereae, mortale peccatum sunt. Tales ordinarie sunt amplexus, qui valde morose et presse fiunt inter personas diversi sexus. — Ratio triplicis huius resolutionis eadem semper est, periculum nempe venereae delectationis, remotum tantum vel proximum. — Billuart l. c.; L. 417. 429. 430.

Articulus Octavus

De osculis et amplexibus respectu sponsorum

24. 1° Oscula, amplexus, aliique tactus *turpes* vel *minus honesti* eodem plane modo ac aliis, ita etiam sponsis illiciti sunt. Ratio est, quia sponsalia nullum ipsis tribuunt speciale ius in copulam et venereum delectationem; adeoque nec in istos actus, qui periculum continent magis vel minus proximum venereae delectationis. Billuart l. c.; L. l. 6. n. 854.

2° Oscula, amplexus aliique tactus honesti ex suo *obiecto*, et *modo* eos peragendi, sponsis permittuntur. Ratio est, quia isti actus liciti in se sunt, adeoque ut aliis solutis, ita etiam sponsis permittuntur. De sponsis autem potius quam de aliis movetur speciatim quaestio, quia reapse facilius ipsis isti actus permitti possunt ob specialem rationem, quae pro ipsis viget, ad benevolentiam nempe mutuo fovendam, quae ipsis omnino necessaria est, ut futurum matrimonium perficiatur. Ut autem licet agere *cum delectatione* sensibili, illicite vero *propter eamdem* agere, sistendo in ea, ita licitum omnino est sponsis, ut etiam quibusvis aliis, sensibilem voluptatem capere in istis actibus

25. Hinc autem triplex exoritur quaestio omnino practica. Prima quaestio est: Quid de istis sponsorum actibus sentiendum, si ad actus venereos ciendos conferant? — R. valere hic generalem regulam: tunc solum hos actus esse culpabiles, cum vel *mala* est *causa,* vel subest *periculum proximum* consensus.

Altera quaestio est: Quid, si sponso vel sponsae constet alterum in istis actibus peccare ob pravum affectum? - R. 1°. Si

tactus illi coram aliis fiant, licite potest alter illos tactus permittere, ne infametur, vel sui suspicionem ingerat, et ne alii scandalizentur. — 2°. Si tactus illi fiant clam, et certum sit malitiose fieri, ubi de aliis ac de sponsis agatur, communiter dd. docent teneri repellere illos tactus. Verum, si de sponsis agatur, pro quibus saepe hac in re notabile incommodum adesse posset, quia alter certo a matrimonio recedet, adhibenda videtur generalis regula de scandalo accepto, posse nempe istud permitti, si citra grave incommodum impediri nequeat; impediendum si vero absque notabili incommodo id fieri possit.

Tertia tandem quaestio est: Quid de iisdem his actibus sentiendum quando ex lapsuum frequentia periculum consentiendi in subsecuturam veneream delectationem tanquam proxima peccandi occasio haberi debet. — Atque haec quaestio, uti praecedentes, de ipsis etiam aspectibus et colloquiis fieri potest, quae iustissimam habent causam; unde parentes licite omnino tales aspectus et colloquia permittere possunt; quamvis magna semper cautio et prudentia sit in his adhibenda.

R. Valere hic regulam generalem de occasione *proxima necessaria;* moraliter enim impossibile est, ut sponsus serio cogitans de matrimonio ineundo sponsam non invisat, aspiciat, alloquatur, eique iuxta morem exhibeat alia benevolentiae signa, quae mutuum eius amorem manifestent. Media igitur confessarius suggeret non modo generalia, sed etiam specialia; ut debita servetur moderatio, neque necessitas in iis signis exhibendis excedatur; tum vero ut nunquam solus cum sola agat, curandum item ut matrimonium non diu differatur. Quod si ista et alia remedia fructum non obtineant, hoc unum superest, ut cum ipsis non secus ac cum recidivis agatur. G. Baller. n. 413.; G. Dum. Cas. v. 2. n. 695.; Reuter Neo-conf. n. 112.

26. Alia hic moveri potest affinis quaestio: an nempe liceat. « puellae nubili amatores plures in eum finem fovere, ut ex illis unum aliquem tandem eligat, cui matrimonio iungatur? »

R. 1°. Negative « si, honestate neglecta, nec de verecundia sollicitae et ament ipsae, et redamari satagant ». Ratio patet. — 2°. Affirmative, si id fiat » cum summa earundem honestate, et sine ulla pudoris labe ». Ratio, quia si « puellae honestissimo hoc modo se gerent, nihil refert, si ab amatorum aliquo turpiter, uti fieri facile potest, quandoque depereantur. Modo enim, non turpi hoc fine, sed honesto coniugii desiderio ducantur, peccatum, non puellis amatores captantibus imputari debent, sed huic, qui occasionem in sui ipse perniciem accipit, quam ei honestae puellae non dant, dum iure utuntur, quod habent ad medium de se non malum, ob honestissimum matrimonii finem, adhibendum. Praecludatur igitur aditus

omnis periculosis illis familiaritatibus, clandestinisque colloquiis, nefandis illis litterarum commerciis, quae si per puellas concinne, sed modeste incedentes arcebuntur, caput superest nullum » unde res interdicatur, interdicenda omnino si secus esset, uti saepe accidit. Quare ad praxim quod attinet, cum res sit periculo plena magna cautela et prudentia opus est. Ithur. Cas. 14. n. 3. seqq. Atque hic notandum est, quod peccat *per se* puella acceptans munera ab amasio, si ea ex turpi amore proveniant, nam turpem istum amorem fovent; secus vero, ut patet, si nonnisi ex honesta benevolentia et amicitia procedant. G. v. 1. n. 240.; L. l. 2. n. 76.; La-Croix l. 2. num. 264.

Articulus Nonus

De osculis, amplexibus aliisque tactibus respectu coniugum

27. Principium est, iam communiter admissum inter theologos, quod coniugibus omnia licent hac in re, praeter pollutionem, eaque quae pollutionis malitiam participant, citra grave peccatum, et citra peccatum etiam veniale, si adsit rationabilis causa. Hinc oscula, amplexus aliique tactus, etiam turpes, et generatim actus omnes incompleti, quicunque ii sint et quocunque modo peragantur, *per se loquendo,* nullum continent inter coniuges gravem reatum culpae, et accedente sufficienti ratione neque ad culpam venialem imputantur. Ratio autem est, quia in statu matrimoniali cum liceat copula, licet delectatio venerea extra copulam non consummata. Illi enim cui licet actus completus et consummatus, licet etiam actus incompletus inchoatus, qui ex intrinseca natura sua ad completum et consummatum tendit; talis autem est motus carnalis venereus veneream afferens delectationem. Atqui incompleti illi actus, qui ex intrinseca natura sua non pertinent ad luxuriam, sed ad sensualitatem, eatenus prohibentur, quatenus proximum continent delectationis venereae periculum, quae extra copulam non consummata coniugibus non prohibetur. Ergo, etc.. Bus. ap. L. l. 6. n. 932.

28. *Coroll.* 1°. Culpa gravi vacant inter coniuges adspectus, oscula, amplexus, et tactus in partes tum *honestas* tum etiam *minus honestas*, imo etiam simpliciter *turpes;* si tamen caute fiant, ita ut absit pollitionis periculum. Ita sententia ex S. Alphonso *communis* et *verior*. « Ratio, quia status coniugalis sicut cohonestat copulam, ita etiam huiusmodi tactus et adspectus; alias enim, cum sit tanta inter coniuges societas, et ipsi multoties non possint coire, iugibus periculis essent expositi, si tales actus essent eis graviter illiciti. Sicut autem delectatio quaesita in copula culpam venialem non

excedit, ita etiam in his tactibus et adspectibus ». L. l. 6. n. 933; G. v. 2. n. 919.

2°. Omni prorsus culpa per se vacant praedicti adspectus et tactus, si tamen ut dictum est caute fiant, ita ut absit pollutionis periculum, semper ac exerceantur ratione affectus coniugalis demonstrandi, aut amoris confovendi. Ratio, quia tales actus sunt reapse ex intrinseca sua natura media ad finem hunc amoris coniugalis significandi et fovendi, adeoque licita iis, qui ex vinculo matrimoniali *cor unum,* et *caro una* fieri debent. — Culpa *a fortiori per se* vacant praedicti adspectus et tactus, si ad copulam *immediate* referantur, vel ad naturam excitandam necessarii sint aut utiles; tunc enim sunt quaedam copulae praeparatio, et velut inchoatio. Si autem hi actus, quibus coniux se ad actum coniugalem disponit, tales sint, ut pollutionem *per se* facile provocent, culpabiles esse queunt, si desit diligentia ad pollutionem extra congressum evitandam, quae diligentiae omissio, ubi huiusmodi sit, ut prope per eam quis pollutionem extra vas velle censeatur, gravis etiam culpa esse potest; quod si, debita adhibita diligentia, talis pollutio praeter intentionem sequatur, nulla erit culpa. G. l. c.; L. l. 6. n. 934.

3°. Non peccant graviter coniuges, etsi praedictis adspectibus et tactibus, etiam sine intentione copulae habitis, exsurgat commotio spirituum, vel membrorum generationi inservientium, aut sequatur distillatio; quamvis haec in solutis mortalia essent. Ratio, quia secluso voluntariae extra vas pollutionis aut sodomiae crimine nil fit contra bonum matrimonii. Levis autem culpa, quae in huiusmodi actibus inesse potest, facile ob fines ipsi matrimonio intrinsecos aut alios extrinsecos excusatur; v. g. quia ad fovendum affectum, vel ad sedandam concupiscentiam idonei sunt. — Quin imo probabile est, et opinio sat communis est, quae hos actus excusat ab omni culpa etiam in *petente,* licet praevideatur pollutio secutura in se vel in altero, si tamen pollutio non intendatur, nec adsit periculum consensus in eam; et modo adsit gravis aliqua causa, v. g. ad fovendum mutuum amorem aut ad avertendam alterius zelotypiam. Ratio, quia tunc iusta illa causa tales actus cohonestat, qui alioquin non sunt illiciti inter coniuges, et si pollutio obveniat hoc erit *per accidens.* Quare quod consequens est, probabile quoque est istos actus omnino licitos esse *reddenti,* quamvis adsit periculum pollutionis in alterutro, quia tunc reddens dat operam rei licitae. — Diana tr. 6. de Sacr. matr. R. 207.; L. l. 6. n. 934.; Tambur. Explic. dec. l. 7. c. 3. n. 56.; G. l. c.

Haec autem doctrina, ut per se patet, extendenda non est ad illos actus, qui ita ad pollutionem tendunt, ut sint quasi inchoata pollutio, ut si mulier valde morose attrectet et exagitet membra ge-

nitalia viri; vel viri morose prorsus digitum admoveat intra vas foemineum. Cfr. Sanchez. l. 9. D. 45. 46.

Denique huic doctrinae quaestio adnectitur; An peccent coniuges, si incoepta copula cohibeant seminationem? — R. *Per se loquendo,* non peccare *saltem mortaliter*, si coniuges *ambo* in hoc *consentiant.* Ratio est, quia ista penetratio vasis foeminei reputatur, quasi tactus verendorum, qui coniugibus sub gravi minime prohibentur. Dicitur autem 1° *per se loquendo;* nam huiusmodi actus in concreto spectatus, cum ad pollutionem tendat, et sit quasi inchoata pollutio, illicitus in concreto est. Quare, si semper vel saltem ordinarie sequeretur reapse pollutio, tunc illa retractio *per se* reapse tenderet ad pollutionem, et graviter tunc illicita esset. Si vero vel nunquam sequeretur pollutio, vel saltem ordinarie, et tantum *aliquando* sequeretur pollutio; cum haec *per accidens* et *praeter intentionem* esset, illa retractio graviter tunc illicita non esset. 2° *Saltem mortaliter;* si iusta enim adsit causa ita agendi, v. g., ob paupertatem ac multitudinem prolis, ac ob sedandam simul concupiscentiam, omnis aberit culpa. 3° *Si ambo consentiant;* nam si alter se retrahit sine alterius consensu, certe graviter peccat. — L. l. 6. n. 918.; Diana tr. 6. de Sacr. matr. R. 205. n. 2.; R. 207.; Sporer de Matr. n. 500.; Sanch. de Matr. l. 9. d. 19. n. 3.

4.° « Tactus cum se ipso ex delectatione venerea, absente altero coniuge, iuxta plurium sententiam, a peccato gravi excusari non possunt, etiam seclusa pollutione aut proximo eius periculo. Ratio est, quia coniux ius non habet utendi proprio corpore in ordine ad voluptatem secum explendam, sed tantum in ordine ad copulam. La-Croix n. 339. etc. L. l. 6 n. 936. Alii tamen non pauci apud S. Alph. dicunt, secluso pollutionis periculo, hoc culpam venialem non excedere. S. Alph. primam sententiam probabiliorem, et suadendam censet ». G. 920. 5.° Utramque vero opinionem probabilem dicit Tamburini Explic. decal. l. 7. c. 3. n. 45. Ac probabiliorem secundam dicit Sanch. l. 9. d. 44. n. 16.

Iamvero notandum hic est iuxta rationem in superiori num. 27.° explicatam, quod actus hi, si veniales sunt, nonnisi ob extrinsecam deordinationem agentis veniales sunt. Quare consequenter ad principium superius constitutum dicimus, quod etiam hi actus, exerciti ab uno dumtaxat coniuge, seorsim omnino ab alio, *per se loquendo*, seu ex *intrinseca sua natura*, neque venialem culpam probabiliter continent. Et ratio est: 1° quia si hi actus culpabiles intrinsece sunt, cum materia hic semper gravis sit, vel graviter culpabiles sunt vel nullo pacto; 2 quia ideo tactus mutuus coniugis cum coniuge licitus probabiliter est extra copulam consummatam, quia ille tactus ex intrinseca sua natura ordinatur ad copulam. Quare quemadmodum licet coniugibus copula consummata, ita licet etiam copula dum-

taxat inchoata, quae illis actibus continetur. Atqui quicumque tactus voluptuosus coniugati *ex se* refertur ad copulam, quae ipsi iam licita est. Ergo levis culpa, quae in istis actibus inesse potest, facile etiam excusari potest ob honestum finem, quia v. g. ad sedandam concupiscentiam idonei sunt, et ad aliud grave vitandum peccatum.

29. « *Quomodo debeat se gerere mulier, quae tangitur a viro non suo?* » — R. « Si tangatur in partibus inhonestis debet omni modo moraliter possibili tangentem repellere. Moraliter autem dicitur impossibile, quod adhiberi non potest absque incommodo tali, quod praeponderet, aut saltem sit aequale perpessioni huius tactus, quale foret periculum mortis, infamiae, gravis iacturae bonorum et similium, si tangenti resisteret, in quibus casibus iuxta Lessium l. 4. c. 3. n. 64. et Loth non teneretur mulier tactui exteriori resistere, quia talis tactus secundum speciem non est malus ex parte mulieris, sicut foret fornicatio, si tamen libidini interiori consentiendi periculum absit, quod cum ego rarissimum et difficillimum existimem, etiam arbitror, mulierem regulariter teneri resistere omni modo possibili et licito, quidquid ipsi immineat. Si autem tangatur mulier in partibus honestis, sed advertit animum libidinosum tangentis, distinctione opus est. Vel tangitur praesentibus aliis, qui ex resistentia mulieris pravam de tangente seu amplectente suspicionem conciperent, vel non. Si primum non tenetur se subtrahere, quia subest causa negligendi alterius peccatum; si secundum, tenetur, quia tenemur impedire peccatum proximi, quando commode possumus. Ita Sylvius hic conclus. 1. et alii ». Billuart l. c. *Petes circa 4. coroll.* Cf. hic n. 25.

Articulus Decimus

De turpium tactuum natura

30. *An prefati tactus specie differant ab actu consummato pollutionis et copulae, et ab aliis actibus incompletis, de quibus sermo fuit in artic. praecedentibus?*

R. Ad 1. Affirmative; et haec responsio valet tum pro tactibus tum pro aliis actibus incompletis, de quibus hactenus fuit sermo, Ratio est, quia actus inchoatus differt natura, et morali existimatione ab actu consummato. Lugo de Poenit. d. 16. n. 237. 238.

Nota: Hic autem notandum est ad plenam intelligentiam naturae horum incompletorum actuum, quod pollutio, copula et delectatio venerea, quae eas praecedit, comitatur et sequitur, pertinent ad *luxuriam*, quae directe opponitur *castitati;* actus vero isti aliorum sensuum, qui dicuntur actus inchoati et incompleti respectu delectationis venereae, pollutionis et copulae, ad quas disponunt, pertinent proprie ad *sensualitatem* et *impudicitiam*, quae iuxta doctri-

nam D. Thomae 2. 2. q. 154. a. 1. ad 5. versatur circa actus, actum venereum completum antecedentes aut concomitantes. « Quamvis *castitas* et *pudicitia*, saepe pro uno et eodem sumantur, stricte tamen loquendo, pudicitia non est castitas, sed specialis eius circumstantia. Probatur: pudicitia dicitur a pudore, in quo verecundia significatur; unde pudicitia est proprie circa illa, de quibus homines maxime verecundantur, qualia sunt venerea propter rebellionem membrorum genitalium, et quasi absorptionem rationis, adeo ut concubitus ipse coniugalis, qui tamen honestate nuptiarum decoratur, verecundia non careat, et erubescerent coniuges illum coram aliis exercere. Verecundatur autem homo, non solum de ipso concubitu, sed etiam de quibusdam eius signis, ut sunt aspectus impudici, oscula, tactus, etc. Et quia haec solent magis deprehendi, ideo pudicitia magis respicit huiusmodi exteriora signa, castitas autem magis ipsam veneream commixtionem. Ergo pudicitia pertinet ad castitatem, ut eius circumstantia specialis ». Billuart diss. 4. art. 1. *Dico 3.°*

Corollarium. « Quando igitur similes actus praecedunt actum venereum in eadem passione completum, aut eumdem comitantur vel immediate subsequuntur, ut oscula, tactus etc. constituunt cum actu venereo completo unum numero peccatum, et non sunt necessario in confessione sacramentali distincte explicandi: quando vero exercentur sine actu venereo completo sunt ab hoc distinctum peccatum, unum tamen numero, si exerceantur in eodem motu passionis; ut dixi tract. 2. quaest. 1. num. 36. Unde in tali casu sunt luxuria quaedam incompleta, et in confessione sacramentali explicandi ». Struggl. art. 2. n. 9.

R. Ad 2. Controvertitur, si sermo sit de malitia *gravi*. Prima sententia probabilis affirmat. Ratio est, quia hi actus secundum se inspecti, et a facultatibus distinctis ac diversis procedunt, et ad distincta ac diversa obiecta ordinantur.

Corollarium: « Desiderium turpiter aspiciendi, tangendi, osculandi, fornicandi, distinguuntur specie non tantum a morosa delectatione de illis obiectis, sed etiam singula ab invicem, quia tendunt in ista obiecta prout a parte rei ponerentur; si autem a parte rei ponerentur, distinguerentur specie, uti patet. Hinc qui semel delectatus est cogitatione de copula, et semel desideravit copulam non satisfacit dicendo, bis habui turpem cogitationem, sed dicere debet, semel delectatus sum copula, et semel desideravi. Similiter qui semel desideravit aspicere, semel osculari, semel tangere, semel fornicari, non satisfacit dicendo, quater desideravi aliquid turpe facere, sed tenetur ea obiecta exprimere ». La-Croix, l. 6. p. 2. n. 1032.

Secunda sententia probabilis negat. Ratio, quia licet huiusmodi actus *physice* procedant a facultatibus realiter distinctis et ad obie-

cta tendant realiter distincta, moraliter tamen inspecti non continent malitiam *intrisecam* gravem, sed gravem quam continent malitiam a *delectatione venerea* habent, ad quam proxime disponunt, et quae eadem specie est pro omnibus huiusmodi actibus. S. Th. 2. 2. q. 154. a. 4.

Corollarium: Explicata igitur in confessione venerea delectatione secuta, cui quis consensit, necesse non est explicare, an eam sibi procuraverit adspectu vel tactu suipsius; adspectu vel tactu alterius personae. Explicanda tamen esset ratio scandali et cooperationis, si adesset. Explicata item in confessione, interiori voluntatis delectatione in venerea delectatione, vel desiderio voluntatis venereae delectationis, explicandum non est, an delectatio et desiderium illud ad adspectus vel tactus turpes immediate terminabantur. Reuter p. 2. tr. 3. c. 3. q. 10; Tamburini Method. confess. l. 2. c. 1 n. 66-72.

Billuart, Diss. 6. art. 15. § III. *Nota* seqq. haec ad rem habet.

« Docet Franc. Henno delectationes de adspectu, tactu, osculo, etc. specie inter se differre, et debere sic distincte accusari... quia inquit adspectus, tactus, oscula, specie inter se distinguuntur... sed tamen fatetur praxim confessariorum et poenitentium esse contrariam. Insuper puto ego falsum esse eius fundamentum, nempe tactus oscula, adspectus specie inter se distingui in genere luxuriae. Cum enim non sint per se mala, ut dictum est, sed tantum ratione commotionis, aut pollutionis, aut copulae, ad quas excitant et tendunt, eandem inter se malitiae speciem habent, scilicet vel commotionis carnalis, vel pollutionis, vel copulae, etc. Unde meo iudicio satisfaceret poenitens, qui diceret, toties excitavi in me vel in alio commotionem carnalem, aut pollutionem, tacendo an per tactus, aut adspectus, aut oscula, modo sui et complicis conditiones explicet. A fortiori satisfaceret dicendo toties delectatus sum carnaliter, circa talem vel talem personam, non explicando, an circa tactus, aut oscula aut adspectus, bene tamen si fuerit delectatio circa copulam, aut pollutionem, quia cum haec differant specie ab impudicitia, et distincte sint accusanda, ita et delectationes circa ipsa ».

S. Th. 2. 2. q. 154. a. 4. ad 3., loquens de osculis et tactibus ait « quod huiusmodi non sunt peccata secundum *suam speciem* ». Et ib. ad 2. ait: « ex libidine habent rationem peccati ». Et ib. in c. « huiusmodi, secundum quod libidinosa sunt, sunt peccata mortalia ».

31. *An tactus aliique actus incompleti, cum peccatum grave sunt, malitiam contrahant specie diversam pro variis personarum circumstantiis?*

R. Ad tactus, oscula et amplexus quod attinet, communiter affirmatur. Et ratio est, quia morali exstimatione tactus prae aliis

actibus maxime respiciunt personam *individuam*, et ad copulam *magis proxime* accedunt. Unde quemadmodum in copula circumstantiae specificae personarum sunt explicandae, ita et in tactibus. Cf. Lugo de Poenit. d. 16. n. 238. L. l. 417. 453. 459. 469.

Quoad aspectus, affirmant pariter Salmant. apud S. Alph. n. 421; ac tum quoad aspectus, tum etiam quoad verba turpia sive dicta sive audita, eodem fere modo ac quoad tactus, affirmat etiam Sanchez de matrim. l. 9. d. 46. n. 17. 18. 30. 45. propter rationem omnino universalem, quia nempe hi actus omnes ordinantur ad coitum eiusque malitiam moralem participant. Verum S. Alph., relata Salmant. opinione quoad aspectus, haec subdit: « Sed huic doctrinae verius contradicit Croix l. 6. p. 2. n. 1030, ubi ait, quod qui sine ullo desiderio personam veneree aspicit, non tenetur dicere qualis fuerit persona: quomodo enim foemina, adspiciendo turpiter sacerdotem nudum committet sacrilegium, quod consistit in violatione personae sacrae, cum ibi nulla violatio intercedat? Et quomodo quis, adspiciens turpiter consanguineam, committet incestum? » Et sane aspectus, moraliter loquendo, mere personam aspicientem afficiunt, et ideo proprie et natura sua non censentur in actum consummatum tendere, et esse quasi aliqua copulae affectiva inchoatio. Haec vero valent etiam quoad verba turpia dicta vel audita, ut per se patet, quibus malitia scandali facile addi potest. Lugo de Poenit. D. 16. n. 163. 167; Billuart diss. 6. art. 16. par. *Circa Turpil. Nota bene*, Scavini. L. 1. n. 792. nota, Mediolani 1874., S. Th. 2. 2. q. 154. a. 4. ad 1. ad 2., L. 415. 417.

32. *An in tactibus, quos secum vel cum alio quis habeat, explicandus sit sexus, an mas, an faemina?* — R. *per se loquendo*, negative; id enim se habet *per se*, mere materialiter. L. 467.

33. *An quoad tactus explicandae sunt corporis partes, quas graviter hac in re peccans tetigit?* – R. Haec La-Croix l. 6. p. 2. n. 1031: « qui sine desiderio veneree attigit puellam, secundum Dianam satisfacit dicendo se toties attigisse turpiter, nihil dicendo de partibus in quibus attigit. Alii probabiliter dicunt exprimendum, si partem turpem attigerit », — Cf. hic n. 30.

Articulus Undecimus

De Choreis

24. Ut ordine procedamus tria praestabimus: 1° generalem doctrinam exponemus; 2° de choreis in particulari nostro tempore usitatis dicemus; 3° confessarii praxim indicabimus.

34. 1° Tres sunt chorearum classes Prima est *per se* pudica, altera *per se* graviter impudica, tertia *per se* leviter impudica.

Choreae *per se* pudicae sunt, quae sine ullo prorsus turpi fine, vel impudico actu exteriori, musicis instrumentis sonantibus, exercentur inter personas eiusdem sexus vel etiam diversi sexus; licet manus viri et foeminae invicem apprehendant, leviter tamen, de more inter honestas personas et honestis choreis usitato. Hoc enim « nulla est *per se* culpa, aut ad summum venialis est. quia in hoc generatim nullum vel leve periculum libidinis adest ». Gur. 234. Iam age huiusmodi choreae nullo pacto *per se* illicitae sunt, quia in se indifferentes sunt, nullaque lege prohibentur. Attamen saepe *per accidens* impudicae sunt ratione periculi, quod in istis etiam pudicis choreis facile reperiri potest. S. Th. super c. 3. Isaiae, et 2. 2. 168. a. 12., L. l. 3. n. 429.

36. *Corollaria:* 1° Qui ita infirmi sunt, ut grave peccandi periculum subeant in saltationibus, ab iis sub peccato mortali abstinere debent; nisi forte aliquando quaedam necessitas urgeat, et media adhibeantur, ut proximum absit consensus periculum. E contrario, ait Tamburini l. c. c. 8. de Chor. n. 3., si ex experientia cognovisti tibi eiusmodi periculum non subesse, te hoc modo chorizantem vel chorizantes aspicientem puto nequaquam esse mortalis peccati reum.

2° Modeste saltare vel choreis honestis adesse ex quadam necessitate, vel ex status sui decentia, sine probabili peccandi periculo, nullum est peccatum; quia datur ratio sufficiens peccata aliorum, si quae sint, permittendi. Hinc excusantur a peccato, decenter saltando, puellae matrimonio destinatae, quae a choreis in domo paterna, vel apud vicinos aut cognatos ductis, abesse non possunt, vel saltationem recusare nequeunt, quin derideantur, vel parentibus aut sponsis ipsas requirentibus displiceant.

3° Imo interesse choreis honestis, etiam absque necessitate, secluso tamen periculo ac notabili scandalo, et in eis decenter saltare, non solum non est mortale, sed facile etiam omni peccato vacare potest. Inveniuntur enim aliquando viri, et non raro mulieres, quibus etiam in choreis inter personas diversi sexus, nullum aut valde remotum periculum imminet. Hi autem, quamvis a saltationibus dissuadendi sint, tamen imprudenter et iniuste ab illis promissio vitandi choreas sub denegatione absolutionis exigeretur. — G. 243.

37. Choreae *per se* graviter impudicae sunt quae mixtis viris foeminisque, imo etiam separatis, suscipiuntur obscenis gestibus, tactibus impudicis, inhonestis cantibus, indecentibus nuditatibus, iisque graviter pudicitiae repugnantibus. Has choreas illicitas omnino esse nemo est qui negat. Cf. S. Th. l. c. a. 3. — Ad has choreas *per se* impudicas choreae pertinent, quae fiunt in popinis, ad quas

dissoluti et dissolutae omnis generis conveniunt. Nullo autem pacto licet cauponi ad plures alliciendos hospites choreas graviter turpes ordinarie admittere in suis aedibus, uti nec etiam illis legenda proponere publica folia, quae evidenter et ordinarie bonis moribus adversentur. G. 256. Huc etiam *generatim loquendo* revocantur choreae cum larvis inter personas diversi sexus. Experientia enim constat huiusmodi ludos illecebras esse ad libidinem et causam efficacem impudicitiae. G. 244.

38. Choreae tandem *per se* leviter impudicae illae sunt, in quibus gestus, tactus, cantus, ornatus leviter inhonesti habentur. Hae choreae, ut patet, *per se loquendo*, graviter illicitae non sunt; sed tantum leviter, quia nonnisi leviter inhonestae sunt. Attamen *per accidens* facillime graviter illicitae esse possunt ratione periculi lethalis culpae, quod facillime in ipsis reperiri potest.

39. *Corollarium.* 1° Triplex corollarium superius constitutum quoad choreas *per se* pudicas locum etiam habet, debita tamen cum proportione, quoad choreas has *per se* leviter tantum impudicas.

40. 2° Choreae nostro tempore usitatae, de quibus maxime est controversia, illae sunt, quae gallice dicuntur valse, polka, galop, aliaeque istis similes; quibus omnibus illud speciale est, quod vir et mulier mutuo amplexu sese comprehendant, et ita simul apprehensi in gyrum saltando progrediantur. — Iam age multi quidem sunt, qui has choreas universim habent tanquam *per se* impudicas, tum quia ea corporum nimia proximitas usque ad ipsam corporum compressionem progreditur, maximo, ut per se patet, venereae delectationis periculo, tum quia saltantes, simul adhaerentes, ab aliis separati, ita ut sit quasi solus cum sola, in magno etiam periculo sunt obscena colloquendi. Hinc dicunt absolvi non posse qui praefatis choreis indulgent nec eis renuntiare volunt. « Attamen non desunt viri probi, qui has ipsas saltationes dicunt modo non adeo indecoro fieri posse, licet communiter valde periculosae sint ». Gur. Dum. Cas. 233. Quare et ad has recentiores choreas quod attinet, confessarii erit iudicare de particularibus casibus, ex modo, circumstantiis, gravitate motivi, gravitate periculi, etc. G. 242.

41. 3° Ad praxim quod attinet, haec generatim confessario praesto esse possunt. 1° « Confessarius ad haec duo maxime attendere debet, nempe ad periculum personae poenitentis, ut illum cohibeat, atque ad rationes quas habere potest choreis assistendi, ut ipsi indulgeat, vel saltem non adeo rigide agat. Occurrunt enim non raro fideles qui, gravi de causa, vel morali necessitate, ad choreis interveniendum impelluntur ». Gur.-Dum. Cas. 234. — 2.° « Si nulla detur spes choreas de medio tollendi, ut frequentis-

sime contingit. nimia severitas saluti animarum nocebit: multi enim arbitrantes haec oblectamenta esse licita aut non graviter illicita, ab eis penitus abstinere nolunt: confessionem, Eucharistiam, conciones sacras deserunt ». Bouvier l. c. de chor. 8. — 3° « Qui e contra poenitentes choreis assistentes benigne tractans, suasione et precibus eos ab eiusmodi periculis avertit, salutaria eis praestat consilia ut discrimini se non obiiciant: si lapsi fuerint, eos paterne redarguit, absolutionem eis differt, et tandem de graviter admissis contritos, licet ab omni peccato immunes eos non iudicet, absolvit, ad communionem saltem in Paschate admittit, multo efficacius saluti eorum consulit et ad bonum religionis proficit ». Bouv. l. c. — 4° Generatim loquendo « choreae prout fieri solent semper sunt periculosae, idcirco confessarii..... iuvenes utriusque sexus ab illis quantum possunt avertere debent », Bouvier, l. c., quamvis graviter adhuc prolapsi non fuerint. Tunc autem procedat confessarius debita cum charitate, et potius per modum consilii. Commendet suis poenitentibus spiritualia quaedam exercitia, piam lectionem, orationem, etc.: et, Dei iuvante gratia, optimo certe rei exitu, non frustrabitur. Cf. S. Franc. Sales, Introduction à la vie dévote 3. p. ch. 23.

CAPUT SECUNDUM

De peccatis luxuriae consummatis iuxta naturam

42. Peccata luxuriae consummatae, alia sunt secundum naturam, quando nempe exercentur eo modo, qui generationi speciei humanae non adversatur: si videlicet in concubitu servatur sexus diversus, species eadem, vas et modus naturalia: alia sunt contra naturam, si semen effundatur modo ad generationem non apto: id est si modo enumerata non serventur, sive id fiat in concubitu, sive extra concubitum. De prioribus in praesenti capite, de posterioribus in sequenti dicemus. — L. 412. 432., S. Th. 2. 2. q. 154. a. 2.

Articulus Primus

De Fornicatione

43. *Prop. Fornicatio* est intrinsece mala et peccatum mortale: ita ut nunquam liceat.

Praenota: Fornicatio est copula soluti cum soluta ex mutuo consensu. Dicitur *soluti* cum *soluta*, h. e. a vinculis matrimonii: prout *fornicatio* ab *adulterio* distinguitur. *Soluti* et *soluta* etiam a vinculis cognationis aut affinitatis et voti; prout *simplex* sit forni-

catio, et nullam aliam *speciem* adnexam habeat. Ex mutuo consensu, ut a *stupro* distinguatur, et a *raptu*. Cf. hic n. 57. 61. 66. 73. 83. 103.

Prob. 1.ª p. 1.° Ex prop. 48.ª damnata ab Innoc. XI.: « Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur ». 2.° Quia fornicatio et vagus concubitus repugnat bonae prolis educationi, quae sine vinculo coniugali maris et foeminae non potest fieri; nam ad illam non solum requiritur cura matris, a qua nutritur, sed multo magis etiam cura patris, a quo dein proles est instruenda, defendenda, et ad statum, in quo sibi de necessariis possit providere, promovenda. — Prob. 2.ª et 3.ª p. 1.° Quia in S. S. fornicatores excluduntur a regno coelorum. 2.° « Quia fornicatio graviter repugnat bono prolis, et debitae propagationi generis humani; nam, si liceret fornicatio et vagus concubitus, mares de proprietate prolis dubii eam non agnoscerent, et debitae educationi non studerent: foeminae vero a maribus dein derelictae, procurarent abortus, relinquerent infantes, aut eos plane occiderent; ergo. Porro fornicatio est peccatum mortale, etsi dives vellet curare debitam educationem prolis fornicariae; nam si fornicatio in tali casu liceret, plerique similem licentiam sibi arrogarent, omitterent matrimonia, et fornicatio successive fieret communis contra debitam propagationem generis humani ». Struggl. 23., L. l. 1., n. 199., l. 3. n. 432. 435. seqq., S. Th. 2. 2. q. 154. a. 2. Deus ergo uti auctor naturae debuit fornicationem pro omni casu vetare, alioquin homines cupiditatibus excaecati facile sibi fingerent incommodum illud debitae prolis educationis multis in casibus defuturum, in quibus tamen non deesset, cum maximo prolis detrimento. Scavini, l. 1. n. 766. Mediol., 1874., Billuart, l. c., dissert. 6. art. 2.

44. *Nota:* 1.° « Qui solum incipit copulam; sed non absolvit, nec seminat, debet idipsum explicare, quia licet tunc sit fornicatio inchoata, et in affectu, non est tamen fornicatio reipsa; sed est actus impudicus, et extremus impudicitiae; ut notat Sanchez disp. 19. n. 1. (« Copula in vase naturali mulieris alienae est vera fornicatio, licet non adsit seminatio ». L. l. 6. n. 916.) Multo magis, qui eamdem copulam incipit, et excitata iam natura resilit, semenque dispergit, explicare debet, quia iam adest duplex malitia, nimirum fornicatio inchoata et in affectu, et mollities consummata, ut per se patet. Verum id intelligendum, quando peccans ita facit in peccato perseverans ac voluptati consentiens. Nam alias quicumque inchoavit fornicariam copulam, vel quamvis illicitam cum aliqua, et licite potest absque novo peccato, et debet se retrahere, quamvis propter naturae irritatae impetum semen sit emittendum extra vas naturale; imo etiam postquam persona complex iam se-

minavit. Ratio est, quia fornicans omni tempore ante completam fornicationem tenetur desistere, et eam non consummare, cum omni tempore teneatur desistere a peccato; desistendo autem a copula desistit a peccato, quod semper licitum et debitum est. Ergo, si tunc sequatur pollutio extra, sequetur ex opere licito et praeter intentionem consensumque ipsius; adeoque eo casu censetur pollutio non voluntarie causata, sed permissa tantum ob iustissimam causam desistendi a peccato coepto fornicationis vel similis. Nec refert quod altera pars seu foemina iam seminaverit, vel certo seminabit, hoc enim non tollit obligationem desistendi a peccato, et non consummandi actum malum ». Sporer, 575. 576., L. l. 6. n. 916., Struggl., 25, Billuart, diss. 6. art. 2. append. 1. *Petes* 4.°.

2.° Circumstantia inductionis ad fornicationem probabiliter explicanda non est in confessione, cum sit mere aggravans. Quare sufficit confiteri fornicationem, « quia malitia inductionis sive scandali, (ut aiunt) iam habetur, licet non ita gravis, quando aliquis non sollicitat, sed consentit; adhuc enim participat cum altero in suo peccato, et est causa cooperans ad eius ruinam: quare solum videtur aggravari magis haec malitia intra eamdem speciem, quando quis positive sollicitat. Et idem ait Lugo dicendum de collocutione turpi et simili ». L. l. 2., n. 46.

3.° Qui cum tribus fornicatus est satisfacit inquiens, se ter esse fornicatum, quin exprimat, an ter cum eadem, vel semel cum tribus. Prudenter vero de huiusmodi circumstantia confessarius interrogabit ratione maioris periculi vel scandali, quod adesse possit; et uti perspiciat, an officium quasi corruptoris ille faciat, et ita convenientia remedia suggerat. Elbel de Act. hum. n. 103.

4.° Quoad poenas a iure civili latas contra fornicatores, nulla quidem a Iure Ital. et a Iur. Gall. lata est contra simplicem fornicationem, nisi concurrentibus quibusdam circumstantiis, i. e. *publicitatis*, *violentiae*, *infirmae aetatis* illius quocum crimen committitur. Cod. Ital. poen. 331 seqq., Cod. Gall. poen. 330. seqq., Leg. 17. Maii 1819. art. 8. Quoad canonicas vero poenas Cf. Trid. s. 24. C. 8. de R. M.; s. 25. C. 14. de R., Bouix de Parocho, p. 3. s. 4. c. 2. §. 4.

Articulus Secundus

De Concubinatu et Meretricio

45. *Prop. Concubinatus et meretricium* non est speciale peccatum; sed tantum circumstantia peccati, *per se* non necessario in confessione declaranda. — Prob. Etenim concubinatus proprie est, concubitus *frequentatus* soluti cum soluta. Meretricium autem con-

cubitus est cum viro mulieris omni viro occurrenti paratae. Ergo licet concubinatus et meretricium gravius peccatum sit ob perseverantem in peccato voluntatem, neque speciale peccatum est, nec circumstantia peccati *per se* speciem mutans est. Manifestanda tamen est *per accidens* ea circumstantia, 1.° ratione scandali, cum concubinatus vel meretricium publicum esset; 2.° ad statum et genus occasionum manifestandum, semperque confessario interroganti aperienda, uti constat ex prop. 58. damn. ab Innoc. XI. L. 432., G. 421.

46. *Nota:* 1.° meretricium *per se* generationem non impedit, neque sterilitatem procurat, si nulla organorum laesio frequentibus lasciviis habeatur. Meretrices enim non raro concipiunt, et abortum etiam nonnunquam experiuntur, quem minime curant, aliquantulo materiae coagmento eiecto. Idque prioribus conceptionis diebus locum ordinarie habet. Communiter tamen conceptio prolis non habetur; sed huiusmodi circumstantia non immutat naturam peccati, cum per accidens sit, sicut si quis fornicaretur cum sterili, vel cum vetula. Quod autem, si proles nascatur, incertum sit cuius patris sit, et male inde educetur, circumstantia est haec non specifice propria meretricii, sed fornicationis, adeoque ab ipsa essentialiter non distinguitur. Cf. hic n. 43. Quod si huiusmodi incertitudo prolis maior forte sit in meretricio, notum tamen est, magis et minus non mutare speciem. — Billuart, diss. 6. art. 2. *Petes* 1.°.

2.° Viri ad meretrices accedentes medio quodam utuntur, ne ab ipsis morbo syphilitico afficiantur. Hoc vero medio impedimentum habetur generationis, quamvis copula ex utraque parte specie et exterius normalis remaneat sine ulla viri aut mulieris retractione. Huiusmodi obex aliquando perhibetur ex parte mulieris, quae solum intendit impedimentum conceptionis, cum ipsa hoc modo contagionem avertere nullatenus possit. Si igitur vel intentione tantum, vel etiam re ipsa obstaculum generationi apponatur, tunc utique circumstantia habebitur specialis, sed extrinseca, in confessione necessario declaranda. Debreyne Moechial., 1. p. ch. 1. art. 2 §. 1.

47. *An sit etiam peccatum scandali petere fornicationem a meretrice parata ad peccandum?*

R. « Non desunt plures dd. qui dicunt non esse peccatum scandali; quia cum talis mulier sit semper in actuali, aut virtuali voluntate peccandi, non censetur graviter sed leviter cooperari, qui occasionem ei praebet peccatum illud exequendi. Ita Sotus, etc. Veneror tantorum dd. auctoritatem, sed non auderem recedere a sententia contraria, quam sequendam censeo, et tenent Sanch. etc. Ratio mihi valde potens, quia licet meretrix, sit in actuali voluntate peccandi, certe tamen sibi infert ruinam graviter maiorem, opere

complendo illud particulare fornicationis peccatum. Is igitur, qui illi cooperatur ad peccatum consummandum, dupliciter graviter peccat, tum contra charitatem, tum contra castitatem ». L. l. 2. n. 47.

48. *An permitti possunt meretrices?*

R. « Prima sententia probabilis affirmat; eamque tenent Salm., S. Thom., huicque clare adhaeret S. Aug. Ratio, quia, demptis meretricibus, peiora peccata evenirent, nempe sodomiae, bestialitatis, mollitierum, praeter praevaricationem mulierum honestarum. Verum, secunda sententia, practice probabilior, negat; et hanc tenent Ronc., Nav., etc. Ratio, quia per meretrices haec mala graviora non evitantur, eo quod in hominibus luxuriosis ex facili de frequenti cum meretricibus congressu libido altiores figit radices; et ideo cum hoc vitium frequentia magis augeatur, ipsi non desinunt committere pollutiones, et peccata nefanda, saltem cum ipsis meretricibus, nec ideo se abstinent a sollicitandis feminis honestis. E converso, permissione meretricum, innumerabilia alia mala superadduntur, nempe, plures puellae prostituuntur, adolescentes parentes parvipendunt; bona dissipant, studia scientiarum negligunt, rixas excitant, honestas nuptias respuunt. Caeterum, bene advertit P. Sarnelli quod, licet in vastis urbibus meretrices permitti possint, nullo tamen modo in aliis locis permittendae sint ». L. 434.

49. *Corollarium:* In civitatibus, in quibus vitandi maioris mali causa, permissum est meretrices degere, licet domum hisce locare; maxime si alii conductores desint, aut illis alias aedes conducere facile sit; nisi tamen meretrices graviter nocerent vicinis honestis, vel ob situm ansam maiorem darent peccatis. G. t. 1. n. 250., L. l. 2., n. 70., Ithur. Cas. 26., S. Th. 2. 2. q. 10. art. 11.

50. *An liceat meretricibus vel concubinariis famulari?*

R. Negative *per se* et *ordinarie* loquendo; tum ob scandalum, tum etiam ob maximum lapsus periculum. Illi ergo casus qui in praxi excipiendi sunt ex gradu necessitatis, et ex adiunctis personarum, scandalum et proximum peccandi periculum removentibus, diiudicandi erunt.

51. *Nota:* 1.° Licitum est famulo ostium aperire concubinae vel meretrici, maxime dum, eo non aperiente, alius esset qui aperiret. L. l. 2., n. 66., Roncaglia, tr. 6. cap. 6. reg. in prax. observ. IV.

2.° Haec Laymann, l. 2. tr. 3. cap. 13. num. 5.: « Ius est famulo foeminam, cum qua herus peccaturus est per ianuam intromittere, facem praeferre, lectum sternere, sicuti docent Sanchez, Navarr., Rodriguez, Azor, quia huiusmodi materialis cooperatio satis remota est, et sine ea peccatum nihilominus committeretur ». Cf. etiam Struggl., tr. 4. q. 5. n. 37. et Tamburini Expl. Decal. l. 5. cap. 1. par. 4. num. 18., ubi haec habet: « Ipsa communis

famulatus et obsequii ratio est proportionata causa, cur excusetur famulus, filius, uno verbo subditus sequentia opera ex se indifferentia faciens; Primo..... Secundo si eiusdem (heri) iussu, quem scit ire ad adulterandum, sternat equum, ipsum mere comitetur, mereque expectet ante fores (mere, inquam, hoc est non ut custodiat, animosioremque ad peccandum reddat), sternat lectum, cibos condiat, ministretque concubinae, eandemque mere associet, ducendo ad locum ubi dominus peccaturus est, ianuamque aperiat eidem ingressurae. Tertio si ornet suam heram meretricem, si deferat scripta et internuntia solius urbanitatis plena, si deferat munuscula et esculenta, praestetque alia officia, quae alius famulus aeque praestaret ». Sporer, de 8. praecepto c. 1. n. 99. famulum etiam excusat dona meretrici deferentem, « quia, inquit, ex una parte illi ex officio et conditione tenentur dominis servire et obsequi; ex altera vero parte cooperatio ad peccatum mere materialis est et tantum remota ».

Alii tamen aliam valde gravem requirunt rationem, quia cum munera haec apta sint ad libidinem fovendam, cooperatio satis proxima videtur. Ac propter hanc ipsam rationem non licet famulo litteras amatorias concubinae domini sui deferre, nisi praeter communem famulatus rationem gravior et proportionata adsit ratio. Caeterum famulus non tenetur inquirere, quid litteris contineatur.

S. Alph. l. 2. n. 64. 65. 66. 67. pro famulo, comitante herum ad lupanar vel sternente equum, uti excusetur, exigit *metum gravis damni;* pro famulo aperiente ostium meretrici, uti excusetur, exigit, *ut ipso non aperiente adsit alius qui aperiat.* Censet autem *deferre munera meretrici esse intrinsece malum,* et *nunquam licere deferre litteras amatorias concubinae domini.*

3.° Illicitum vero prorsus esset famulo subiicere humeros, vel deferre scalam domino ascendenti ad fornicandum, vi aperire ianuam et similia: nam cooperatio omnino proxima est, et facilius reddens peccatum in gravissimum damnum tertii. Cum tamen hae actiones intrinsece malae non sint, illicitae adhuc non essent, si metus mortis, aut mutilationis accederet. Nullum alium timorem addit S. Alph. l. 2., n. 66. excusare cooperantem, nisi mortis. Nam alias ob solum metum iacturae facultatum vel infamiae non licet concurrere ad dehonorationem puellae deflorandae. Cf. L. l. 3. n. 571.

52. *An liceat habere famulam concubinariam?*

R. Si ancilla sit publice concubinaria, non licet eam retinere ratione scandali et pessimi exempli. Si vero sit occulte concubinaria tunc distinguendum est. Aut enim retinetur domi etiam eius amasius, aut non. In primo casu non licet eam retinere, etiamsi alii famuli et famulae facile reperiri non possint. Etenim sic dominus esset

peccantes receptans, et securius ac commodius peccantes, et consequenter foveret ipse peccatum famulorum suorum. In altero vero casu tenetur etiam dominus ancillam eiicere, si prudenter sperari possit eam ex tali eiectione ad bonam frugem reversuram. Quod si verisimile esset domo expulsam deteriorem futuram (quod certe facile praesumi posset), tunc licet ei talem famulam retinere, dummodo non sit familiae perniciosa, quod facile evenire potest. Ratio est, quia in priori casu videtur favere peccato famulae non item in posteriori. Idque eo magis liceret, si ea expulsione notabile damnum domino sequatur, si ex. gr. debito et necessario famulatu esset cariturus. Cf. Tamburini Expl. Decal. l. 5. cap 1. par. 4. nn. 21. 22., Elbel de Act. hum. Conf. 1. Cas. 3.

53. *An concubinarius prius absolvi possit quam concubinam dimiserit?*

R. 1.° Si concubinatus fuerit *publicus*, nec concubinarius, nec concubina regulariter absolvi possunt, quantumvis appareant contriti, ante publicam separationem, quia, praeter discrimen fugiendum, necessaria est satisfactio scandalo proportionata: porro haec satisfactio per solam separationem communiter obtineri potest. Dicitur *regulariter*, quia in extremis constitutus, neminem habens praeter concubinam, qui sibi necessaria ministret, potest absolvi et aliis sacramentis muniri, modo vere contritus sit, et promittat, coram adstantibus, si commercium fuerit publicum, se quam primum potuerit concubinam eiecturum. Idem est dicendum de concubina in eadem necessitate constituta.

In tali enim necessitate scandalum reparatur eo modo, quo reparari potest: nemo quippe ad impossibile tenetur. Bouvier, l. c. art. 2. Quin imo, necessitate urgente, neque necessaria videtur illa coram adstantibus promissio, quia in his circumstantiis facile scandalum cessabit ob ipsam *evidentem* rei necessitatem. Idque a fortiori locum habet, si dumtaxat ageretur de absolutione secreto danda, et non etiam propter temporis angustias de Extrema Unctione et Viatico ministrando. Atque hic animadvertunt dd. S. Eucharistiam deferendam non esse ad meretricem in publico lupanari morientem ob publicam decentiam, et quia absolute necessaria non est. Gur. Dum. Cas. t. 2. n. 721.-723.

R. 2.° Si concubinatus fuerit *occultus*, aut concubina dimitti potest, absque scandalo, vel alio gravi damno famae aut fortunae, aut non. Si 1.^{um}, alii apud S. Alph. affirmant pro prima vel secunda vice, dummodo sincere doleat et promittat se eam eiecturum: ratio est, quia poenitens est sufficienter dispositus. Alii omnino negant etiam pro prima vice, quia est in occasione proxima, et donec illam removeat, non potest constare prudenter de eius sufficienti

dispositione. Affirmat etiam S. Alph., sed quando moraliter impossibile sit quod concubina ante absolutionem brevi dimitti possit. « Nam alias semper absolutio est differenda; quia experientia nimis constat, quod, obtenta absolutione, difficulter occasio postea auferatur, et sic facillime redeatur ad vomitum ». L. 436. et l. 3. n. 682., Billuart, Diss. 6. art. 2. App. 2. *Petes* 3.°. Si 2.um, absolvi quidem potest, si sincere doleat et promittat adhibere media quae illi suggerantur; sed omnino expedit, ait S. Alph., « ut saltem differatur absolutio, donec experimento probetur continentia poenitentis; nisi casus esset, quod poenitens (satis alias dispositus, ut supponitur) non amplius redire posset ad peccata confitendum; vel si immineret necessitas communicandi, ad vitandam positivam infamiam ». L. 435.

54. *Corollaria:* 1.° In articulo mortis « si concubinatus sit occultus non erit *per se* urgenda separatio sub denegatione absolutionis, ob scandalum, quod ordinarie sequeretur, si concubina in his circumstantiis dimitteretur. Sic enim publice manifestaretur commercium, quod occultum est. Sed obtinenda est a moribundo promissio dimittendi ancillam, si convalescat; et interea curandum est, ut fiat saltem separatio ab habitaculo, atque ut ancilla ad eum non accedat, nisi urgente necessitate » Gur. Dum. Cas. t. 2. n. 724. — Nulla autem erit amplius difficultas, sive concubinatus sit occultus, sive sit publicus, si ut facile in praesenti fieri potest, matrimonium legitime celebretur.

2.° Qui occasione artis licitae exercendae in proxima sunt occasione peccati, si ostendant signa verae poenitentiae cum proposito occasionem cavendi quantum possunt, debita media adhibendo, non tenentur artem suam deserere, quod absque gravi incommodo fieri non possit. Hinc absolvendi sunt chirurgi, qui feminis medendo sunt in occasione peccandi. Idem dicendum de parocho, qui in audiendis foeminarum confessionibus voluntarie se polluit. Potest etiam absolvi foemina, quae vivit hospitando, et peccat occasione hospitandi, et ideo cadit cum diversis, et etiam cadit cum aliquo particulari, modo proponat inde evitare solam cum solo conversari. L. 438. 483. d. 6. n. 455. — « Ancilla vivide sollicitata ab hero tenetur ab illius domo discedere; qui enim *libere* commoratur, ubi tam periculose ad malum allicitur, non potest rationabiliter sperare victoriam tentationis; nisi auxiliis gratiae extraordinariis, quae sperari sine temeritate nequeunt ab eo, qui libere periculum vitare potest, et non vitat. Haec tamen intelligenda sunt, si huiusmodi persona sit fragilis, et parum devota; nam si esset pietati dedita, et cauta, et opportuna adhiberet remedia ad tentationes repellendas ac passioni obviandum, tunc eam non obstringerem ad occasionem auferendam ». L. ib. 452

55. *Nota:* « Remedia pro his qui reperiuntur in occasione proxima praesertim peccati turpis, sunt maior oratio, frequentior usus Sacramentorum, quotidiana ante imaginem Crucifixi renovatio promissionis non amplius peccandi, vitandique ne versetur solus cum sola, fugiendi ab aspectu complicis, et similia ». L. l. 6. n. 455. 464.

56. *Quaenam sunt poenae a iure latae contra concubinarios?*

R Quoad Ius Civile Ital. et Gall. nulla adest specialis poena. Quoad Ius Canonic. nullae sunt latae sententiae; sed omnes ferendae sunt sententiae, excepta suspensione ipso facto ab episcopis incurrenda, si postquam a Synodo Provinciali fuerint admoniti, se non emendaverint. Trid. s. 24. C. 8. de R. M., s. 25. C. 14. de R., — Bouix, l. c. n. 44., L. 442., Billuart, Diss. 6. art. 2., *Petes* 5°.

Articulus Tertius

De Stupro

57. *Stuprum* sumitur aliquando pro omni illicito concubitu; sed communius hac voce speciale luxuriae peccatum designatur. Non autem sibi consentiunt Thth. circa naturam huius peccati. P. Gury. 425. stuprum, ait, est violatio seu oppressio mulieris, ipsa invita. Verum communiter theologi stuprum reponunt in defloratione virginis. Alii autem tenent propriam stupri rationem simpliciter consistere in *illicita virginis defloratione;* alii vero tenent consistere in *violento concubitu cum virgine*, ita ut concubitus cum virgine consentiente non sit peccatum distinctum a simplici fornicatione. — Virginis autem nomine in utraque sententia non ea intelligitur, quae virtutem virginitatis ita servavit, ut nullo peccato luxuriae fuerit maculata, sed illa quae virginitatis signaculum retinet integrum, etsi polluta fuerit etiam voluntarie, ideoque amiserit irrevocabiliter *virtutem* virginitatis. Cf. hic n. 1. 3.° 4., L. 443., S. Th. 2. 2. q. 154. a. 6.

58 *Prop.* — Certum apud omnes est violentam virginis defloration praeter grave peccatum contra castitatem involvere etiam peccatum grave contra iustitiam in confessione necessario explicandum. Atque haec violentiae circumstantia, ut per se patet, exprimenda est, etiamsi mulier non esset virgo, sed corrupta vel coniugata. -- Porro « *per violentiam* hic intelligitur non solum violentia physica, sed etiam moralis, qualis est fraus et metus; item importunae preces et blanditiae, quae, iuxta iudicium prudentum, in hac praesertim materia, violentia moraliter reputantur; quales sunt eae, quas comitantur magna promissa, oscula, tactus veneris incentiva, ac uno verbo eae omnes, quibus ingenua mulier facile resistere non potest ». Billuart, de Temper., Diss. 6. art. 3. *Dico* 1°., Struggl 28. 29. Quamvis vero non habeatur vis seu violentia, certe

insignis fraus habetur, adeoque specialis malitia contra iustitiam in confessione declaranda, si quis fornicaretur cum muliere amente, ebria, aut dormiente, quia violatur sine eius consensu, et proinde gravis ei infertur iniuria. — Sporer, 606., S. Th. 2. 2. q. 154. a. 6., L. 430. 433

Verum, an illicita defloratio virginis ultro consentientis sit species luxuriae a simplici fornicatione distincta controvertitur, et utraque sententia saltem extrinsece probabilis est. Negativae sententiae omnino adhaerendum videtur: ratio, quia illa circumstantia physicae virginitatis seu integritatis mere materialiter se habet respectu virtutis castitatis. adeoque peccatum contra castitatem specie non immutatur. Hinc quod consequens est circumstantia haec virginitatis in peccatis quibuscumque a faemina vel viro virgine commissis necessario in confessione non erit explicanda; nisi forte occasione reservationis, vel censurae, vel alterius extrinsecae circumstantiae, puta si culpabiliter innotuerit, et dedecus ac damnum obvenerit, quod sit reparandum. *Dedecus* ipsius virginis, eiusque parentum, illatae iniuriae satisfactione, *damnum* vero restitutione, nempe sufficienter dotando, vel nubendo, reparatur. Billuart Diss. 6. art. 3. *Dico* 2°. seqq., L. 3. n. 640. seqq., l. 6. n. 874., Suarez de Poenit. d. 22. s. 4. n. 4-6., Lugo de Poenit. d. 16. s. 4., § 7., de Iust. et Iur. d. 12., S. Th. 2. 2. q. 154. a 1. 4.

59. *An stuprum, si virgo deflorata consentiat, contineat saltem specialem malitiam iniustitiae respectu parentum, in quorum custodia erat?* — R. Negative. « Ratio, quia, si ipsa puella, cum sit domina sui corporis, nullam irroget iniuriam patri, si deflorationi consentiat, utens iure suo, tanto minus irrogat deflorator. Tantum illa peccabit, et consequenter etiam violator, contra pietatem patri debitam, et etiam contra obedientiam, si de tali crimine expresse prohibitionem a patre habuerit, ut ait Lug. n. 226 ». L. l. 3. n. 641.

60. *Quaenam sint poenae contra stupratores?*

R. Habentur poenae variae mulctarum, carceris, reclusionis, laborum coactorum, Cod. Gall. poen. l. 3. 331-333; Cod. Ital. Poen. art. 331-336.

Articulus Quartus

De Raptu

61. *Raptus* dupliciter sumi potest. Primo enim sumi potest prout est impedimentum dirimens matrimonium, et est: abductio violenta mulieris cuiusvis de loco tuto in alium, ubi sub potestate raptoris detineatur, matrimoni ineundi causa. Altero vero modo est luxuriae species; eaque est personae cuiusvis, sive sit

masculus sive femina, sive virgo sive corrupta, sive nupta sive innupta, abductio de loco ad locum, illata vi sive abductae, sive iis quorum potestati subest, scilicet parentibus aut tutoribus, aut viro; non autem, si sint fratres et mulier sit sui iuris, *libidinis explendae causa.* Quare primo modo persona abducitur matrimonii contrahendi causa, altero vero modo causa libidinis. De raptu primo modo in tract. de Matrim. est sermo, hic de raptu agimus secundo modo. — Porro patet quomodo raptus ita sumptus a stupro differat. Nam stuprum solummodo cum virgine invita locum habet, raptus autem cum quacumque persona; stuprum solam involvit violentiam vel fraudem, raptus etiam abductionem de loco ad locum; stuprum violentiam infert tantum virgini, raptus personae abductae, aut iis quorum potestati rapta subest, aut etiam utrisque. « Unde vides raptum virginis, secuto turpi effectu, nonnisi valde accidentaliter differre a stupro ». Sporer de Matr. 603. « Si quae tamen sponte discedat cum amasio, insciis parentibus, non erit proprie raptus, sed fuga, non addens malitiam specie distinctam fornicationis ». — L. 443. Malitia ergo raptus propria consistit in iniuria quae infertur in violenta abductione, libidinis causa. Quare ut stuprum perfecte tale, ita raptus, praeter peccatum luxuriae, continet peccatum iniustitiae; at in raptu ista iniustitia est tam contra personam ipsam, quae violenter abducitur, quam etiam contra parentes aut alias quascumque, quarum in potestate persona illa est constituta; ubi notandum est, quod per raptum etiam volentis violatur ius patriae potestatis, non vero per deflorationem eiusdem, cum quoad usum corporis sui parentibus non subdatur. — Schmalzgr. l. 5. p. 2. t. 16. de Adulteriis etc. § II. de Stupro n. 19.; S. Th. 2. 2. q. 154. a. 7; L. 444.

62. *Nota:* Haec de *fuga* Billuart diss. 6. art. 4. par. I: « *Fuga* reduci potest ad raptum, quia licet fiat sine violentia, non fit tamen sine iniuria parentum, quatenus eorum custodiae praesertim puellae a natura et lege commissae sunt ad certum tempus, regulariter usque ad vigesimum quintum aetatis annum, quo fiunt annis maiores, et ultra quem abductio puellae ultro consentientis, etiam repugnantibus parentibus, non est amplius dicendus raptus, neque proprie, neque improprie, quia tunc nulli fit iniuria ».

63. *Quid agere debet mulier vi oppressa, ut a peccato sit immunis?*

R. 1°. Cavere debet ne voluptati interius assentiat, alioquin mortaliter peccat, quamvis vis externe ei inferatur. — 2°. Externe etiam se defendere debet quantum utiliter et rationabiliter debet: secus enim iam consentire censetur. An autem teneatur etiam clamare, affirmant plures, alii vero valde probabiliter negant, si periculum adesset notabilis damni, sive infamiae, vel nimiae ve-

recundiae; quia tunc, si aliter iam resistat quantum potest, non tenetur cum tanto suo incommodo vim repellere. Excipe, si adsit periculum proximum consentiendi. L. 430.

An vero in casu supposito liceat invasorem pudicitiae occidere, negat Dñus Bouvier, sed communiter alii affirmant. Ratio est, quia si licitum sit hoc ad tuendum honorem, et facultates, multo magis dicendum id licere pro tuenda pudicitia, quando aliud non suppetit remedium. Advertunt autem Lug., Ronc., etc. quod non solum licebit puellae, dum actu violenter tangitur ab altero, sed etiam immediate post, eum percutere alapis, pugnis, fuste, et etiam ictibus non periculosis. Ratio, quia nisi tali modo ipsa suam constantiam et displicentiam ostendat, non facile ille discedet. Hinc semper, si id non fiat ad vindictam, non tantum permittendum, sed etiam mulieri consulendum est, ut alter saltem resipiscat, et alia vice eam non sollicitet. L. 386.

Tandem, an mulier vi oppressa teneatur potius pati mortem, vi repellendo invasorem pudicitiae, quam permittere copulam, duplex est sententia. « Prima dicit, quod, licet possit, non teneatur tamen faemina mortem pati, sed possit tunc permissive se habere, dum accidit copula; modo voluntate positive resistat, et consensus periculum absit; quia, ut dicunt, illa permissio non est tunc cooperatio moralis, sed tantum materialis, et ideo ob periculum mortis satis excusatur. Secunda docet, hoc omnino illicitum esse, quia, cum foemina possit copulam impedire, si timore inducta quiescat, eius tunc cooperatio vere moralis et voluntaria fit; in foemina enim illa quies in copula reputatur ut actio. Haec ratio tamen non convincit, quia illa quies foeminae revera non potest dici actio, dum nullo modo est positiva; ideo prima sententia (speculative loquendo) sua probabilitate carere non videtur. Non tamen negandum secundam sententiam in praxi omnino suadendam esse, saltem ob periculum consensus, quod in illa permissione facile adesse potest ». L. 368. 430. 433. — Hinc superius in R. 2°. dictum est: « *quantum utiliter potest, et rationabiliter debet*, utique sine periculo vitae, vel famae suae, neque enim tunc tenetur invadentem occidere, mutilare, vel vulnerare, esto iure possit ». Sporer 605., Elbel De Act. hum. Conf. 2. Cas. 1.

64. *An puella violenter oppressa possit licite expellere incontinenter semen viri immissum, ne concipiat?*

R. Negative. Ratio, quia ea seminis iam in utero existentis expulsio *per se et directe* ex ipsa mulieris positiva actione contra generationem est. Si autem semen non esset adhuc immissum in uterum, « licite posset se vertere et coitum interrumpere, quamvis semen viri esset effundendum; quia hoc per accidens et ob solam malitiam viri eveniret ». L. 394. et l. 6. n. 954. — Non desunt tamen

auctores, qui illud permittunt, si fiat statim post copulam, antequam facta sit conceptio, quia, dicunt, semen tunc se habet ad modum iniusti aggressoris, quem repellere licet. Verum, si licet statim post copulam, antequam fiat conceptio, semen, lotione vel alio medio, expellere; ut optime ait S. Alph. cit. n. 394., idem liceret postea, quod esset omnino illicitum. Nonne tunc magis aggressor est, aggressionis continuator, conceptus iam fetus? Insuper, quomodo semen expelli potest postquam receptum fuerit, *antequam fiat conceptio?* Nam « matrix mulieris clauditur statim ac semen excipit ». L. 394. — Adverte autem hic, simplici lotione non impediri generationem, si saltem aliquot horis post copulam fiat.

65. *Quaenam sunt poenae in raptores?*

R. Poenae sunt detentionis, reclusionis, laborum coactorum, secundum varios casus, Cod. Ital. Poen. art. 340-344.; Cod. Gall. Poen. art. l. 3. art. 354-357. Quoad autem Ius Can. ex Trid. S. 24. C. 6. de R. M. raptor tenetur raptam « sive eam in uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio iudicis dotare », nisi sit meretrix vel malae famae; quod non tam est poena quam iusta compensatio. Quoad poenas vero proprie dictas, an qui mulierem abducit causa libidinis, vel alio malo fine quam ad matrimonium, si non impedimentum, saltem incurrat ceteras poenas a Trid. statutas, S. 24. C. 6. de Ref. Matr., alii affirmant; quia Tridentinum in illo speciali capite generaliter loquitur; sed verios alii negant; quia Tridentinum solum intendit favere libertati matrimonii. Caeterum, excepta excommunicatione, aliae poenae ibidem statutae ferendae sunt sententiae. Scav. Mediol. 1874. l. 3. n. 808.

Articulus Quintus

De Adulterio

66. *Adulterium* est copula cum alterius coniuge. Peccatum grave est ab aliis specie distinctum; praeter enim peccatum contra castitatem aliud contra iustitiam includit: violat enim in re gravi ius inalienabile alterius coniugis; unde non cessat talis malitia, licet iste consentiat. Constat ex prop. 50. damn. ab Innoc. XI. « Copula cum coniugata consentiente marito non est adulterium; ideoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum ». Billuart, Diss. 6. art. 5. S. Th. 2. 2. q. 154. a. 8., L. 445.

67. Gravitatis peccati huius hi sunt gradus: 1° Gravis, cum persona soluta peccat cum ligata: huic praeter fornicationem solum cooperando peccat contra ius tertii. 2° Gravior, cum persona ligata peccat cum soluta, quia praeter fornicationem peccat contra fidem a se datam propriae coniugi, et quia violat ius acquisitum coniugi

in eius corpus. 3° Gravissimus, cum persona ligata peccat cum ligata, quia praeter fornicationem peccat ipse contra iustitiam, violans ius proprii coniugis, et cooperatur peccato contra iustitiam sui complicis, violantis pariter ius proprii complicis. Unde status utriusque declarandus omnino est in confessione, ut habet comunissima dd. sententia. 4° Adulterium uxoris gravior adulterio viri est, propter damnum gravissimum familiae et legitimorum haeredum, volitum in causa, quae circumstantia est aliam inducens malitiae speciem. — Sporer 259., L. 445., Lugo de Poenit. d. 16. n. 258.

68. « Adulterium committitur a coniugato in omni prorsus specie luxuriae saltem externae non tantum naturali cum soluta, ligata, consanguinea, sacra, etc. Sed etiam contra naturam, bestialitate, sodomia, mollitie, itemque osculis et tactibus impudicis etiam cum solutis, ideoque talia agens coniugatus, vel coniugata tenetur explicare statum matrimonii sui. Communissima dd. Sanchez, lib. 9. disp. 18. n. 4., Lugo l. c., Tamburin, citat c. 3. § 1. Ratio est: quia in his omnibus semper fit iniuria coniugi, iuxta Apostolum citat. *Qui non habet potestatem corporis sui*, etc. Et e contra ». Sporer 259. Haec vero Billuart, diss. 6. art. 9.: « Si quis cognoscat uxorem alterius in vase praepostero, adiungitur malitia adulterii .... Non est tamen stricte et proprie adulterium, quia non violatur proprie thorus alienus, seu vas coniugale ..... Quapropter si reservaretur adulterium, haec non essent reservata ».

69. Adulterii etiam, vel quasi adulterii malitiam coniuges contrahunt peccantes contra naturam sodomia aut mollitie, quum mutuo vel seorsim se polluunt. Sic enim verissime dividitur eorum caro contra fidem matrimonii, quae prohibet omnem usum carnis extra limites coniugii, et obligat, ut uterque servet alteri corpus suum. Debent autem necessario explicare peccatum illud comissum esse cum proprio coniuge, secus enim nunquam peccatum a se commissum explicabunt. Sporer, 497. 526., L. 446., Diana tr. 6. de Matr. R. 186. n. 4., Billuart de Matr. diss. 4. art. 3. initio.

70. *An coniux si solum morose delectetur de copula cogitata cum altero, contrahat etiam adulterii mentalis malitiam necessario in confessione explicandam?* — R. « Affirmat Vasquez 2ª p. tom. 1. disp. 112. cum aliis. Ratio est, quia fides matrimonii obligat, non solum corpus, sed etiam mentem ad aliud obiectum turpe non collocare: ideoque talis morose delectans, non tantum peccat peccato luxuriae, sed etiam adulterii mentalis: quemadmodum omnium consensu Religiosus, Sacerdos, vel alius voto castitatis adstrictus in confessione delectationis morosae venereae tenetur explicare circumstatiam voti, vel status sui; quia non solum contra castitatem, sed etiam vere contra votum et virtutem religionis delinquit. Probabilis et sine du-

bio tutior sententia. Negat vero non improbabiliter Hurt. apud Tamburini l. 10. Decalogi n. 6. his verbis : Docet Vasquez coniugatum, qui veneree delectatur de fornicatione cum non sua, non tantum peccare peccato luxuriae contra castitatem, sed etiam peccato adulterii contra fidem matrimonii. Id tamen difficile et absque sufficienti fundamento probatum, quia difficile et absque fundamento dicitur in matrimonio praestari fidem coniugi non collocandi mentem in aliam. Haec Hurtad. satis probabiliter. Certe absque sufficienti fundamento et urgenti necessitate aut ratione non est gravandum Sacramentum poenitentiae. Alia est ratio de voto castitatis adstricto. Nam vovens castitatem Deo inspectori cordium, sine dubio principaliter vovet et obligat se ad castitatem etiam internam, sine qua nihil valet externa : at contrahens matrimonium cum homine sine fundamento asseritur, ei etiam obligare mentem, ne in aliud obiectum libidinose tendat » Sporer n. 523.

71. *An sit adulterium, copula habita cum desponsata per verba de futuro ?*

R. « Probabilius negatur cum Sanchez de Matr. l. 1. d. 2. n. 2., Salm. d. c. 5. n. 10., Ronc. ibid. q. 5ª. Censent autem Ronc. et Salm. de Matr: c. 1. n. 11., quod si unus ex sponsis cum alia persona fornicetur, debet aperire in confessione circumstantiam sponsalium tamquam mutantem speciem ratione iniuriae alteri illatae. Probabile vero satis est cum Trull., Pont., Dian., Covarr., Lug., Sanch. et Laym. esse tantum circumstantiam aggravantem, cum sponsus per sponsalia nullum acquirat ius in corpus alterius. Vide hoc de Matr. l. 6. n. 647 ». L. 447., Ithur. Cas. 6. n. 16., Billuart dis. 6. art. 2. App. 1. *Petes 3°*, Lugo de Poenitent. d. 16. n. 177-178.

72 *Quaenam sint poenae in adulteros ?*

R Ex Iure canonico sunt: 1° quod non possint adulteri compellere innocentem partem ad debitum reddendum : aequum *est enim ut frangenti fidem nulla fides servetur*. 2° Quod adsit ius in comparte innocenti divortium petendi, si tamen adulterium fuerit consummatum, certum, formale, alterutrius non collaudatum, neque remissum. — Poena vero ex Cod. Poen. Gall. l. 3. art. 336.-339., et ex Cod. Ital. Poen. art. 353.-358. est poena detentionis, carceris et mulctae. Poena etiam reclusionis et detentionis nec non laborum coactorum statuitur pro alio matrimonio contracto post aliud validum matrimonium. Cod. Poen. Ital. art. 359.; Cod. Poen. Gall. l. 3. art. 340.

Articulus Sextus

De Incestu

73. *Incestus* est concubitus cun consanguineis aut affinibus intra gradus ab Ecclesia pro matrimonio prohibitos. Incestus grave peccatum est. et specie differt ab aliis luxuriae peccatis : est enim non solum contra castitatem sed etiam contra pietatem et reverentiam, quam ipsi coniuncti sibi mutuo debent. Billuart diss. 6. a. 6.; S. Th. 2. 2. q. 154. a. 9.

74. *Nota:* Gradus prohibiti sunt, usque ad 4^{um} gradum inclusive in consanguinitate et affinitate orta ex matrimonio sive rato, sive consummato ; usque ad 2^{um} inclusive in affinitate orta ex copula illicita. Ita ex Trid. S. 24. C. 4. de R. M.

75. *An non solum copula, sed etiam omnes tactus impudici inter coniunctos induant naturam incestus in confessione necessario explicandi ?*

R. Affirmative. Nam isti etiam actus reverentiae coniunctis debitae repugnant. L. 453. 469., Billuart l. c. a. 6. 9. Cf. hic n. 31. 103.

76. *Nota:* Existimat Billuart, diss. 6. art. 6. vers. fin. : loquens de actibus sodomiticis non esse improbabile, quod huiusmodi actus naturam incestus non induant in gradibus iure tantum positivo prohibitis. Ratio, quia « ius positivum prohibet dumtaxat copulam inter personas inter quas prohibet iniri matrimonium. Isti enim gradus consanguinitatis, et affinitatis constituuntur ab Ecclesia in ordine ad dirimendum matrimonium: sicque non videntur afficere personas eiusdem sexus inter quas non potest iniri matrimonium ». Et ib. a. 9. loquens de peccato contra naturam, si quis ait cognoscat in vase praepostero consanguineam malitia habetur incestus, non est tamen *stricte* et *proprie* incestus, quia non fit commixtio seminum, ex qua contrahatur affinitas ..... quapropter si reservaretur incestus haec non essent reservata ». Cf. Lugo de Poenit. d. 16. n. 344-350., qui n. 349. contrarium omnino docet quoad peccatum *specie* diversum in confessione manifestandum, « quia si aliquis consanguineam in tertio vel quarto grado turpiter tangat, debet explicare in confessione circumstantiam personae propter malitiam, quam ille tactus participat specificam, diversam ab illa circumstantia consanguinitatis .... Ergo a fortiori, si vir cum consanguinea in tertio vel quarto grado habuit concubitum sodomiticum, debet explicare circumstantiam cognationis propter malitiam specie diversam. Mirabile enim esset quod tangere manum consanguineae addat malitiam diversam specie, tactus vero adeo obscoenus et turpis, qui in peccato sodomiae reperitur, non habeat malitiam specie diver-

sam ex circumstantia cognationis. Unde habemus ad minus... debere illam circumstantiam explicari in coitu sodomico masculi cum consanguinea in tertio vel quarto gradu. Ex hoc tamen rursum probari videtur explicandam etiam esse in eodem peccatum inter masculos duos consanguineos in eodem gradu : tum, quia inter eosdem alii tactus turpes videntur habere malitiam specialem declarandam.... tum etiam, quia si sodomia cum consanguinea habet specialem malitiam ratione sanguinis, cur non habebit specialem etiam malitiam inter duos consanguineos, cum sit eadem coniunctio sanguinis et debitum observantiae inter illos? Propter haec ergo verius videtur illam circumstantiam explicandam omnino esse in hoc peccato, sive sit cum consanguineo, sive cum affini, aut cognato spirituali vel legali : de omnibus enim procedit eadem ratio ».

77. *An adsit incestus inter eos, qui ligantur impedimento publicae honestatis.*

R. Quidam affirmant, et Sporer 613. tamquam certum tradit. Sed saltem probabiliter negandum est. Ratio est, quia incestus est inter cognatos et affines. Atqui inter eos, qui ligantur impedimento publicae honestatis, neque cognatio est, neque affinitas stricte talis. Ergo. L. l. 6. n. 469.

78. *An incestus cum consanguinea sit idem specie ac incestus cum affine ; itemque an omnes incestus quoad gradus sint eiusdem speciei?*

R. « Probabilis opinio est omnes incestus factos sive inter consanguineos sive inter affines et in quocuque gradu et linea esse eiusdem speciei, atque adeo illam diversitatem coniunctionum et graduum non esse necessario explicandam in confessione, ut sufficiat dicere : *feci incestum*.... Ratio.... est, quia omnibus istis una et eadem species et deformitas est contra eandem virtutem pietatis et reverentiae debitae coniunctis : neque enim illa diversitas coniunctionis consanguinitatis et affinitatis ac graduum diversorum quidquam aliud afferunt, nisi maiorem aut minorem coniunctionem : magis et minus autem non variant speciem etiam in re morali, nisi aliunde probetur esse contra particularem virtutem, vel contra speciale rationis dictamen, quod hic evenire difficile est. Similiter quod copula in tali coniunctione et gradu aliquando illicita sit ex natura rei intrinsece, ut in primo gradu consanguinitatis, aliquando vero tantum ex praecepto Ecclesiae, ut in ceteris omnibus : ex hoc autem nihil specie diversum necessario infertur, nam praeceptum superioris aliquid praecipientis ponit materiam praeceptam in eadem specie virtutis, ratione cuius seu ex cuius motivo illam praecipit : nunc autem Ecclesia prohibet congressum in illis coniunctionibus et gradibus propter eandem pietatis virtutem et reverentiam con-

iunctis debitam : ergo manet eiusdem speciei transgressio » Sporer 609 — S. Th. 2. 2. q. 154. a. 9., Cai. ibid., Billuart l. c., Suarez de Poenit. D. 22. S. 3. n. 12., S. 4. n. 7., Lugo de Poenit. D. 16. n. 313.

S. Alphonsus quoad primam quaestionem : an incestus cum consanguinea differat specie ab incestu cum affine ; respondet : « Utraque sententia est probabilis. Prima cum Croix., Cai., Lugo, Dian. ex S. Th. negat, quia in utroque casu contra reverentiam coniunctis debitam pariter peccatur. Secunda sententia cum Vasq., Dic., et aliis affirmat. Ratio istorum, quia videtur totaliter diversa reverentia debita ob sanguinis coniunctionem, quam ob coniunctionem, affinitatis ». L. 449. — Quoad alteram quaestionem : an omnes incestus quoad gradus sint eiusdem speciei ; respondet : « sat probabiliter affirmatur, excepto tantum primo gradu consanguinitatis in linea recta, cum Cai., Sot., Lug., Bon. etc., quod inferunt ex D. Th. » L. 448. 449. et l. 6 n. 469. 470. Eadem autem valet exceptio pro primo affinitatis gradu in linea recta. Reverentia enim parentibus et filiis debita non est eiusdem rationis ac reverentia debita aliis consanguineis et affinibus. L. l. 6. n. 469. 470.

79. *An incestus inter cognatos spirituales et legales sit diversae speciei, quam inter consanguineos et affines ?*

R. « Absolute affirmandum cum Salm. et S. Th. qui 2. 2. q. 154. a. 10. ad 2^m^. docet per copulam inter cognatos spirituales *committi sacrilegium ad modum incestus*. An autem tunc sit explicandus gradus cognationis ? Affirmant Salmant. ; sed probabiliter negat La-Croix. Pariter incestus inter cognatos legales, nempe ratione adoptionis, est diversae speciei ab aliis enunciatis et explicari debet ». L. 450. — « Fatendum est illum (incestum inter cognatos legales) esse proprie incestum ; unde non est cur dicamus differre specie ab incestu inter consanguineos, et affines naturales... Unde... non necesse erit explicare differentiam cognationis legalis a naturali.... Circumstantia vero cognationis spiritualis specie diversa est ab incestu, quia licet contineat malitiam aliquam incestus..... addit tamen ultra hoc malitiam sacrilegi ». Lugo de Poenit. D. 16. n. 327. seqq. — Haec autem Sporer n. 612. 613 : « Qui peccat carnaliter cum persona coniuncta cognatione legali (cuius quadruplex est gradus : 1° inter adoptantem personam et adoptatam eiusque descendentes ; 2° inter adoptatum et filios legitimos adoptantis ; 3° inter uxorem adoptati et ipsum adoptantem ; 4° inter uxorem adoptantis et adoptatum) sine dubio committit speciale peccatum incestus, ut tale necessario confitendum, cum inter easdem personas ob saepe dictam reverentiam coniunctis debitam, Ecclesia constituat impedimentum dirimens matrimonium. Utrum autem incestus iste sit explicandus ut distinctum peccatum ab aliis incestibus supra dictis,

et an etiam explicari debeat illa modo dicta diversitas graduum seu personarum ? rursus probabilius ac tutius quod sic; et satis probabile quod non. — Qui autem peccat cum persona coniuncta cognatione spirituali contracta ex Sacramento Baptismi et Confirmationis (cuius duplex est gradus seu species, *Paternitas spiritualis* inter baptizantem et confirmantem, item inter patrinos ex una parte, et baptizatum et confirmatum ex altera parte: et *compaternitas spiritualis* inter eosdem baptizantem et confirmantem, ac patrinos ex una parte, ac parentes baptizati vel confirmati ex altera parte; nam *fraternitas spiritualis*, inter baptizatum et confirmatum, et filios baptizantis vel patrinorum exolevit) is omnino committit incestum distinctum ab omnibus praedictis in consanguinitate, affinitate vel legali cognatione; ideoque specialiter explicandum in confessione: quia addit specialem malitiam irreverentiae sacramenti, ratione cuius reducitur ad genus quoddam sacrilegii. — Utrum autem etiam explicari debeat, an factum sit ex Sacramento Baptismi vel Confirmationis: item an in paternitate vel compaternitate ? probabilissimum quod non, quia in omnibus eadem deformitas non multum gravior vel levior ». — Ita etiam Billuart Diss. 6. art. 6. Caietanus vero in 2. 2. q. 154. a. 9: « Ad 2^am^ obiectionem de cognatione spirituali et legali, dicitur, quod quia coniunctio talis non ordinatur ad consanguinitatem, ut proprium ac proximum finem, sed secundum quamdam assimilationem, ideo illius violatio metaphorice dicitur incestus ».

80. *An confessarius rem habens cum filia spirituali debeat hoc explicare in confessione ?*

R. Negative probabilius. Ratio est, « quia nec est incestus, dum, inter illos nulla intervenit cognatio: neque est sacrilegium (intellige quoad hanc circumstantiam), dum nulla sacramento iniuria irrogatur. Recte vero advertit Elbel l. c. cum Henno, Parochum peccantem cum tali poenitente, peccare etiam contra justitiam, cum ex iustitia teneatur suas oves pascere, ex Trid., non solum verbo sed etiam exemplo », L. 451. Billuart Diss. 6. art. 7. Idem proportionate aliqui dicunt da tutore erga pupillum et de omnibus, quibus cura minorum est commissa. Verum Billuart Diss. 6. art. 2. App. 1. de circumstantia *tutoris* aut *curatoris* dicit tantum, quod « videtur circumstantia nobiliter aggravans ». Lugo de Poenit. D. 16. S. 6. § 3.

81. *An propinqui obtenta dispensatione ad matrimonium contrahendum, si ante matrimonium fornicentur incestum committant ?*

R. Duplex est sententia: utramque probabilem habet S. Alph. 452. Ratio sententiae negantis est, quia cessante *speciali* matrimonii *repugnantia*, cessat consequenter *specialis* fornicationis *repugnantia*: hac enim manente ipsum matrimonium impediretur. Ratio senten-

tiae affirmantis est, quia dispensatio aufert tantum impedimentum matrimonium dirimens, non coniunctionem.

82. *Quaenam sunt poenae in incestuosos?*

R. Poena in incestum cum consanguineis coniugis in 1°. et 2°. gradu, ex Iure Can. est privatio iuris debiti petendi. Ex Cod. Poen. Ital. art. 335. 345. seqq., Cod. Poen. Gall. l. 3. art. 333. 334. 335. poena est mulctae, carceris reclusionis, coactorum laborum.

Articulus Septimus

De Sacrilegio

83. *Sacrilegium*, quatenus est luxuriae peccatum, est violatio loci, rei vel personae sacrae per actum venereum: praeter peccatum ergo contra castitatem, complectitur etiam peccatum contra religionem. S. Th. 2. 2. q. 154. a. 10., L. 454.

84. *Circa personam sacram.* Prop. *Sacrilegium carnale et personale* « proprie et in rigore dicitur concubitus illicitus, seu quodvis peccatum carnis personae Deo voto solemni castitatis adstrictae et consecratae, utpote per professionem Religionis approbatae, aut per susceptionem Ordinis sacri e subdiaconatu inclusive. Ratio est quia sacrilegium proprie et in rigore est violatio rei sacrae: res autem sacra proprie dicitur, quae pubblica auctoritate et ritu ad cultum Dei instituta et consecrata est: atqui per solum votum solemne professionis, vel sacri ordinis persona, publica auctoritate Ecclesiae, illud votum solemniter loco Dei acceptantis, consecratur ad cultum Dei: non item per votum simplex privatim emissum. Quare peccatum carnis personae sacrae solo voto simplici castitatis adstrictae, non quidem est in rigore proprie dictum sacrilegium; cum non sit personae sacrae, est tamen speciale peccatum contra virtutem Religionis et 2^{um} praeceptum Decalogi, scilicet violatio voti et promissionis Deo factae, et ideo necessario quoque in confessione explicandum secundum omnes ». Sporer 615., Sanchez de Matr. l. 7. D. 27. n. 17. et seqq., Suarez de Relig. T. 1. Tr. 3. l. 3. c. 2. et. 3. Cum autem votum solemne castitatis, sit votum perfectae castitatis, ut votum simplex perfectae castitatis complectitur actus externos et internos, ita etiam et multo magis solemne; et consequenter peccatum mere internum contra castitatem personae Deo sacrae sacrilegium quoque est.

85. *Corollaria:* Hinc qui ligatus solemni castitatis voto peccat carnaliter, peccatum perpetrat triplicem continens malitiam; *impudicitiae* contra castitatem; *infidelitatis* contra Deum, ob non impletionem promissionis ipsi factae, *sacrilegii* ob violationem seu profanationem personae Deo consecratae. *Sacrilegii* vero gravitas tri-

plicis gradus est, si complicem habeat: 1° gravis, si peccatum carnale sit personae non sacrae *cum sacra*, 2° gravior, si sit *personae sacrae* cum non sacra, 3° gravissimus, si sit *personae sacrae cum sacra*. Cf. hic n. 67.; L. 456.

Nota: 1° Probabile est non opus esse exprimere, utrum votum fuerit solemne vel simplex, quia probabilis est etiam opposita sententia, quod nempe verum etiam sacrilegium sit violatio personae sacrae, voto simplici castitatis ligatae. Neque item necesse est dicere, si persona sit duplici titulo sacrata, quia est religiosus et sacerdos, quia constitutus in sacris probabilius et verius tantum ratione voti Ordini adnexi tenetur ad castitatem ut colligitur ex Cap. *Cum olim* 6. *de Cleric. coniug.*, Sanchez l. c., L. 454. 455., Lugo de Poenit. D. 16. n. 146.-150.

2° « Omnino tenendum sacrilegium committere religiosum, qui morose delectaretur de peccato carnali alterius, vel qui alterum suis manibus pollueret, etiam sine sua delectatione ». L. 457. Itemque sacrilegium committit qui personam sacram ad peccatum luxuriae inducit, licet ipse cum ea non peccet; sacrilegio enim cooperatur. G. 424. E contrario, satis probabile est sacrilegium non committere, qui habens votum castitatis alterum suo consilio inducit ad carnale peccatum, quia castitatis votum emittens, non alienam, sed tantum propriam castitatem respicit. Unde tunc scandalo peccaret. Intellige tamen, si id alio fine faceret, quam ex positivo libidinis affectu: secus enim jam directa in propriam castitatem cuius votum emisit, peccaret. Billuart Diss. 6. art. 8., Ithur. Cas. 53. n. 29., Lugo l. c. n. 151 et seqq. L. 157

3° Sacrilegium personale in affectu esset, si quis se pollueret cogitando cum delectatione Sanctum vel Sanctam, vel quod horribilissimum est ipsum D. N. I. C. aut ipsam B. V.

86. *Circa locum*. Prop. 1. *Locus sacer* hic solummodo intelligitur ecclesia, h. e. locus ad divina officia ab Episcopo consecratus, vel etiam simpliciter benedictus a tecto usque ad pavimentum: et coemeterium h. e. locus benedictus et deputatus ad mortuos sepeliendos. Quare excluduntur oratoria privata, cum non sint verae ecclesiae; neque solemniter benedicantur ritu praescripto pro publico oratorio in Rit. Rom., sed benedictione, quae habetur in eodem Rit. pro nova domo vel loco. S. R. C. 7. Iun. 1899. n. 4025. Excluduntur etiam aliae omnes partes ecclesiae, quae intra tectum et pavimentum minime continentur, uti sunt cellae, claustrum, sacristiae, dormitorium, tectum supra ecclesiam, ianua extra limen ecclesiae, atrium. L. 460., Billuart Diss. 6. Art. 8.

87. Prop. 2. Peccata *mere interna* non sunt habenda ut sacrilegia, saltem graviter talia, quia locum sacrum non videntur specialiter

afficere, nisi habeatur desiderium externe peccandi in ipso loco sacro, etiamsi extra locum sacrum illud desiderium habeatur; est enim tunc sacrilegium in affectu. Quoad peccata autem *externa*, certum est apud omnes, committi grave sacrilegium per actus consummatos, nempe per pollutionem voluntariam, fornicationem. Ubi advertendum 1° est, quod plures ex S. Alph. 438. probabiliter tenent nonnisi per publicam seminis effusionem, sacrilegium in ecclesia committi; licet alii probabiliter dicant etiam occultam effusionem et illicitam copulam grave esse sacrilegium; quod communius et verius esse affirmat Lugo de Poenit. D. 16. n. 462. — 2° Quod plures apud eundem S. Doct. ceu probabile tradunt, praeciso scandalo, nunquam esse sacrilegium copulam maritalem in ecclesia habitam. L. 36. 334. 434. 458. et l. 6. n. 920. Idque alii probabilius negant, nisi fiat ex morali necessitate, i. e. « propter diuturnam mansionem coniugis in ecclesia ». Lugo de Poenit. D. 16. n. 463. An vero praeter hos actus consummatos grave sacrilegium committatur per alia peccata externa gravia non *consummata*, controvertitur. Alii probabiliter affirmant, alii probabiliter negant. L. 459. Spor. 619., Billuart l. c., Lugo l. c. n. 464. 466. Suarez de Relig, T. 1. tr. 2. l. 3. c. 7. « Excipit tamen merito Lugo et alii passim, nisi quis eiusmodi impudica exerceat in loco sacro cum magna ecclesiae irriverentia: ut si meretricem ante altare publice impudice tangeret, si in sacro templo lascivas comoedias exhiberet. etc., tunc enim non esset negandum proprie sacrilegii scelus committi: fieret enim gravis irriverentia divino cultui, ad quem locus sacer deputatus et consecratus est ». Spor. ibid., Billuart l. c., Suarez l. c.

88. *Nota*: Per voluntariam et illicitam seminis effusionem polluta remanet ecclesia, adeo ut esset abstinendum a divinis, si id innotescat, donec ipsa reconcilietur, C. unic. *de Consecr. Eccl.* in 6°.

89. *Circa res.* Prop. Nomine *rei sacrae* intelligitur quodvis aliud obiectum, sacrum aut sanctum, a persona et loco sacro distinctum, uti in hac potissimum materia « summum locum obtinent ipsa sacramenta, quibus homo sanctificatur, quorum praecipuum est Eucharistiae Sacramentum, quod continet ipsum Christum. Et ideo sacrilegium, quod contra hoc sacramentum committitur gravissimum est inter omnia. Post sacramenta autem secundum tenent vasa consecrata ad sacramentorum susceptionem, et ipsae imagines sacrae et reliquiae Sanctorum, in quibus quodammodo ipsae personae Sanctorum venerantur et honorantur, deinde ea quae pertinent ad ornatum Ecclesiae et ministrorum ». S. Th. 2. 2. q. 99. a. 3., Laymann l. 4. Tr. 10. c. 7. n. 12. 13.

90. *Corollaria:* 1° *Sacrilegium reale* erit in re praesenti luxuriosa tractatio horum obiectorum; « ut si in linteamina aut vasa

sacra semen effundatur, si cereus benedictus, aut quod est horribile, sacra Eucharistia ad philtrum amatorium adhiberetur, si res sacra maxime Sacrificium Missae promitteretur aut daretur in pretium actus carnalis (esset tunc sacrilegium et simonia); secus, si actu peracto in signum benevolentiae offeratur. Si autem quid impudicum petatur per obtestationem Dei, B. Virginis, aut alicuius Sancti, erit potius blasphemia, quam sacrilegium ». Billuart l. c. in fine. Sacrilegium item non committeret, qui reliquias sanctorum daret amasiae, titulo simplicis donationis. Secus vero, si eas daret in pretium peccati; nam esset tunc sacrilegium et simonia.

2°. *Sacrilegium reale* committit, qui indutus ad Missam se pollueret: itemque sacerdos gestans ss. Eucharistiam qui carnaliter peccaret, vel qui se pollueret infra mediam horam post communionem; minime vero qui carnaliter peccaret, gestando reliquias, agnos Dei, etc., vel die festo. Ratio est, quia haec videntur per accidens se habere ad carnale peccatum. Neque revera res ipsa sacra violatur: e contra in primo, secundo et tertio casu gravis irreverentia foret in Ss. Eucharistiam, et in missae sacrificium, ac sacra vestimenta ad illud offerendum destinata. — L. 463., Elbel de Act. hum. n. 104., La-Croix l. 6. p. 2. n. 1069., Lugo de Poenit. d. 16. n. 513., Billuart l. c.

3° Huc autem spectat sollicitatio ad turpia in confessione, quando scilicet Confessarius Sacramento poenitentiae abutitur ad peccatum carnale, quod gravissimum sacrilegium reale est: gravissima enim irreverentia infertur Sacramento. Sporer 621.

CAPUT TERTIUM

De peccatis luxuriae consummatae contra naturam

91. Cum ad prolis generationem natura exigat 1° ut fiat carnalis commixtio duorum, 2° ut hi duo sint eiusdem speciei, 3° ut sint sexus diversi, 4° ut eo modo coeant, qui generationem procurare valeat, ac proinde eam non impediat, quadruplici modo peccari potest contra naturam in materia luxuriae: 1° per mollitiem, seu voluntariam pollutionem, 2° per bestialitatem, seu concubitum cum re diversae speciei, 3° per sodomiam, seu concubitum cum eodem sexu, 4° si non servetur modus naturalis concumbendi, unde impediatur generatio; quod dupliciter fieri potest 1° non servando vas naturale, uti si vir coeat in vase praepostero, 2° naturalem coitum interrumpendo, ut semen extra vas naturale diffundatur, seu per onanismum. Haec autem peccata, ut per se patet, specie inter se differunt. Hinc merito prop. 24. damnata est ab Alex. VII.: « Mol-

lities, sodomia, bestialitas sunt peccata eiusdem speciei infimae, ideoque sufficit in confessione dicere se procurasse pollutionem ». Billuart Diss. 6. art. 9.

Articulus Primus

De mollitie, seu pollutione

92. Mollities, seu voluntaria pollutio est, voluntaria seminis humani extra copulam seu concubitum effusio.

Voluntaria; nam ista seminis effusio potest etiam provenire naturaliter ex abundantia humoris, cuius emissio ex ipsa abundantia humoris, et ex pluribus etiam extrinsecis circumstantiis tum in statu vigiliae, tum potissimum in somno determinari saepe potest. Hae autem circumstantiae aliae sunt *physicae,* ut debilitas temperamenti, morbus aliquis organorum genitalium irritationem progignens, decubitus supinus, mollities et calor lecti, potiones excitantes, exercitium equitationis, etc.; aliae *morales*, ut cogitationes rerum venerearum, lectiones earumdem rerum, conversationes, etc. Voluntaria vero erit pollutio, cum ipsa *in se* vel etiam in *sui causa*, quaecumque ea tandem sit, intendatur. Cum autem voluntaria ista pollutio saepe manuali contactu excitetur, hinc vulgo *masturbatio,* h. e. *manustupratio,* appellatur.

« Est quaedam infirmitas, cui foeminae sunt maxime obnoxiae, quaeque ipsis magnam molestiam et quoddam veluti tormentum affert: est species quaedam affectionis herpeticae (affection dartreuse) vel potius violentus pruritus, qui in *pudendo* locum habet. Huiusmodi circumstantia nonnunquam pollutioni locum praebet, quia quae sunt hac molestia affectae, quadam vi, cui resistere nequeunt, eo usque inducuntur ut aliquod sibi comparent solatium ». Debr. p. 74.

Effusio; effusio haec in maribus fit extra membrum genitale; unde effusio exterior est; in foeminis vero fit tam extra, sed rarius, quam intra vas genitale absque ullo effluxu exteriori. Hinc aliqui observant, quod, licet generatim existimetur nocturnas pollutiones in somno rariores esse in foeminis quam in viris, forte raritas haec potius est apparens, quam realis, cum externe non percipiatur. Licet vero in foeminis ista effusio fiat in vase genitali, hanc ipsae sensibiliter percipiunt; in ea enim magna voluptate afficiuntur, eaque completa, satiantur et quiescunt; et hoc magnae voluptatis et satisfactionis subsecutae signo dignoscitur, an revera fuerint pollutae. Verum ista humoris effusio, quae in statu sanitatis contingit semper cum magno voluptatis sensu, et erectione membrorum genitalium; potest etiam in statu morbi et infirmitatis contingere absque ulla erectione et voluptate, quin prorsus advertatur, tempore defeca-

tionis aut post minctionem. Hinc. ut patet, pollutio differt omnino a motibus inordinatis, qui motus sunt partium genitalium; h. e. alteratio, tumor, erectio membri genitalis; et hi motus voluptatis venereae sensui ordinarie consociantur, et ad pollutionem disponunt. Hi motus tam in viris, quam in foeminis locum habere possunt. Hos autem motus, si non omnino pollutionem, sibi non raro procurant et viri et foeminae non solum tactibus, sed variis etiam corporis positionibus, compressione femorum ad invicem, tibiarum extensione, frictione pectoris infra mamillas, quoad foeminas, etc. Hos motus naturaliter omnino adeoque involuntarie experiuntur foeminae tempore menstrui. Tunc enim augetur vis vitalis totius apparatus genitalis, eiusque partes turgiditatem et commotionem patiuntur ob sanguinis in eas congestionem. Aliquando vero tum in viris tum in foeminis habentur huiusmodi motus absque ullo voluptatis sensu, et ignota penitus causa. Aliquando etiam sentitur in utroque sexu sensus voluptatis in venereis partibus sine carnis sensibili commotione. Debreyne; Milne Edward, t. 9. pag. 118.

Seminis; semen seu sperma generatim hic intelligitur humor viscosus ad generationem ab ipsomet Creatore destinatus. Humor iste non est eiusdem naturae in mare ac in foemina. Materia enim, quae per pollutionem segregatur in viro vere prolifica est, eaque in testiculis elaboratur. Vis prolifica huius humoris microscopicis quibusdam *animalculis*, secundum veteres, quae tamen verae cellulae sunt, tribuitur. *Zoospermata*, vel *spermatozoides* appellantur; et ante pubertatem nondum apparent. Materia vero, quae per pollutionem segregatur in foemina non est sperma proprie dictum, seu humor prolificus, sed mucus quidem vaginalis seu uterinus, qui faciliorem reddit actum coniugalem. Quare pollutio in sexu foemineo est effusio quaedam externa vel interna, i. e. excretio seu exudatio quaedam materiae mucosae, quae elaboratur in glandulis uteri et vaginae, cum sensatione plus minusve vehementi voluptatis in apparatu genitali, in quo simul locum habet motus erectilis et spasmodicus. Hic humor continue fere diffluit, sed maxime crescit, exorta commotione venerea. Porro *effusio externa*, habetur, cum ea humoris evacuatio, exterius producitur, et sensibus percipi potest. *Effusio interna* autem est simplex quaedam exsudatio mucosa, quae in apparatu genitali inclusa vel impedita est, quia propter minimam quantitatem exterius prodire non potest. Debr. p. 302. Hinc *pollutio* in viro differt a *distillatione*, quae est uretralis quaedam excretio, et fluxus alterius humoris mucosi, qui non in testiculis, sed maxime a prostata et a mucosis uretri folliculis elaboratur. Differt omnino a vero spermate, nullumque continet animalculum microscopicum, adeoque non est prolificus, nec etiam adeo vehe-

menti, sed levi tantum, imo et quandoque absque ulla carnis commotione ac venerea delectatione emitti solet. Haec materia mucosa mixta cum ea, quam vesiculae seminales secernunt, quaeque omnino differt a liquore spermatico, est illa materia, quam impuberes et eunuchi emittere possunt. Foeminae etiam, ut plures asserunt, experiri possunt non solum pollutionem, sed etiam effluxum cuiusdam humoris non absimilis distillationi marium, qui proinde non est confundendus cum mollitie seu pollutione. Cum pollutione item confundendus non est neque fluxus menstruus, neque alius in foeminis fluxus albi coloris, aquae similis, gallice *pertes blanches*. Milne Edwards t. 8. pag. 338. 339. 355. 356., Debreyne 1. p. ch. 1. art. 1. § 1.

Extra copulam, seu concubitum; hinc pollutio habet, quod sit peccatum contra naturam, adeoque specie diversum. Generatio enim non habetur, nisi per contactum spermatis virilis et ovuli, quod genitalia organa foeminae suppeditant; ac ad huiusmodi contactum ut ovulum virili semine foecundetur copula viri et foeminae naturali rerum ordine, est necessaria. Billuart Diss. 6. art. 11., Milne Edwards t. 8. pag. 338. 355. 367. 383. etc.

93. *Prop. 1.ª* Pollutio directe in seipsa volita peccatum grave est, ut constat ex prop. damn. ab Innoc. XI.: « Mollities iure naturae prohibita non est: unde si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali ». « Ratio huius certissimae veritatis potissima affertur: quia si eiusmodi pollutio esset licita, etsaltem non graviter prohibita, impediretur usus coniugii tam necessarius in mundo; quandoquidem homines ea sola voluptate contenti forent, nec coniugiis plerumque tam molestis vacare vellent. Accedit: si fornicatio est iure naturae vetita, et intrinsece mala, multo magis erit pollutio, qua prorsus prodigitur semen, et impeditur generatio contra unicum a natura intentum finem, iure naturae illicita, et intrinsece mala erit ». Sporer 628., Billuart l. c., L. 465., S. Th. 2. 2. q. 154. a. 5.

Intrinseca ergo pollutionis malitia non est in vehementi voluptate, contra copulam coniugalem, sed in eo quod sit contra generationem. Secus enim peccatum non esset specie distinctum a venerea delectatione extra copulam coniugalem. Magis et minus non mutat speciem. « Omnis actus humanus dicitur esse inordinatus, qui non est proportionatus debito fini... Finis autem usus genitalium membrorum est generatio et educatio prolis; et ideo omnis usus praedictorum membrorum, qui non est proportionatus generationi prolis et debitae eius educationi, est secundum se inordinatus ». S. Th. de Malo q. 15. a. 1. Usus ergo venereorum esse non potest sine peccato, nisi « fiat debito modo et ordine, secundum quod est conveniens ad finem generationis ». S. Th. 2. 2. q. 153.

a. 2. « Quia ergo in vitiis, quae sunt *contra naturam* transgreditur homo id quod est secundum naturam determinatum circa usum venereorum, inde est quod in tali materia hoc peccatum est gravissimum ». S. Th. 2. 2. q. 154. a. 12. Et quia « species actus sumitur ab obiecto, quod est materia actus... sic *in quantum impeditur generatio prolis, est vitium contra naturam*, QUOD EST IN OMNI ACTU VENEREO, EX QUO GENERATIO SEQUI NON POTEST ». S. Th. 2. 2. q. 154. a. 1.

94. *Corollaria*: 1° Specialis pollutionis malitia consistit, ut ex dictis patet, in frustranea seminis effusione contra naturae ordinem. Quare peccatum hoc specie differt ab omni tactu impudico, quem utique venerea voluptas, nulla tamen seminis effusio sequitur.

2° Voluntaria pollutio, cuiusvis morbi, vel mortis periculi evadendi causa, semper est peccatum mortale. Communissima DD. Licitum omnino est pro conservanda vita, et toto supposito, homini membrum aliquod, manum vel pedem abscindere. Nulla enim ex ista abscissione aliquando licita sequuntur inconvenientia; cum enim ab ea tamquam a re permolesta appetitus naturalis vehementer abhorreat, non facile homines eo medio abutentur, et ultra casum extremae necessitatis extendent. E contrario, cum pollutio res sit magnam afferens voluptatem, ad quam natura ipsa inclinat, periculum maximum adest, ne, si aliquando hoc liceat, homines abutantur in detrimentum *ipsius speciei*. Et sic e. g. nunquam licet, neque in casu extremae necessitatis, sigillum sacramentale violare; quia si hoc vel in rarissimo casu liceret, odiosum redderetur fidelibus sacramentum poenitentiae, ab eoque removerentur, maximo animarum detrimento; quemadmodum reapse saepe bono consilii petendi homines privantur, quia sciunt posse quibusdam in casibus tale secretum manifestari. Sporer 640. 641.

« Quod si opponas illud (semen) aliquando a natura expelli, non ideo aliquid concluditur: quod enim a natura fit non est contra naturam, sed ab auctore naturae; neque ideo fieri licite potest a nobis. Sic contra naturam non est, quod quis ex defectu virium moriatur; at esset, si quis ideo vires sibi vellet adimere » Scavini. Cf. Lugo de Iust. et Iur. D. 10. n. 126. 131.

Ac Lessius De Iust. et Iure l. 4. c. 3. d. 14. n. 95. 96., recte inquit: Pollutio « est peccatum mortiferum, etsi non voluptatis, sed solius sanitatis, vel tentationis mitigandae causa procuretur... tum quia sic non vincitur tentatio, sed ei ceditur et succumbitur, tum quia si id licitum est, cur Sancti tantam inediam et alias asperitates carnis domandae causa subierunt? cur hoc certamen durissimum et praecipuum hominis christiani a SS. PP. est habitum? tum denique, quia, si quis aliis praesidiis uti nolit, *hoc opus concessum est quidem in remedium concupiscentiae, sed in legitimo coniugio, non extra*, non

enim naturalis institutio pervertenda est *ob finem extrinsecum et accidentalem*. Unde si quis hoc opere in hunc finem uti velit, debet capessere matrimonium. Confirmatur, quia *finis primarius* illius operis est proles, ac proinde postulat eum statum, *in quo proles suscipi et recte educari possit,* qui est matrimonium ».

« Ob eandem causam non est etiam licitum sanitatis ergo, nisi in legitimo coniugio. Nec obstat, quod fas sit detrahere sanguinem ob hunc finem, et etiam secare membrum, quia haec solum sunt instituta propter bonum individui: partes enim sunt propter bonum totius; unde de illis disponere possumus prout expedit saluti individui; genitura autem solum propter naturae propagationem; unde illa uti non possumus, nisi eo modo, ut possit sequi generatio ».

3° Simplici pollutionis malitiae, aliae malitiae ratione circumstantiarum addi possunt, idque generatim valet etiam pro aliis luxuriae speciebus, « puta si polluatur sacerdos, additur sacrilegium; si coniugatus adulterium; si cum desiderio peccandi cum alia persona, additur malitia iuxta qualitatem personae concupitae; item additur alia malitia, si quis polluitur se delectando de concubitu imaginario cum aliqua persona mari vel femina, nupta vel soluta. Item si polluitur tactibus alienis ». L. 476.

95. *Prop. 2.ª* Si sermo sit de pollutione indirecte volita in causa, qui sine causa sufficienti ponit actionem, ex qua turpes motus passurus sit, quos tamen, licet praevideat, non intendit, graviter peccat, si illa actio est per se mortalis in genere luxuriae, et influit per se graviter in pollutionem; leviter peccat, si illa actio est per se venialis in genere luxuriae, et influit per se leviter in pollutionem; nullo modo peccat, si illa actio est per se simpliciter honesta, et nullum ipsa per se habet influxum in pollutionem. Ratio est, quia cum pollutio non sit volita in se, sed tantum in causa, adeoque praeter omnem intentionem eveniat, eo gradu mala erit, quo mala est ipsa causa. Struggl Tr. 7. q. 7. art. 1. n. 5., L. 481. et seqq.

Causa autem *ut talis*, mala est pro ratione maioris vel minoris efficaciae, quam *per se* habet in pravum effectum. Porro pollutio *indirecte volita,* est etiam *in seipsa directe in causa* saltem implicite, vere *volita*, si absque alia ratione sufficienti quis *velit* causam *per se graviter* influentem in illam. Hoc enim ostendit pravum in eam pollutionem voluntatis affectum. Est vero dumtaxat *permissa*, si quis eius causam velit, *per se*, vel *nullo pacto,* vel tantum *leviter* in eam influentem. Causa enim tunc natura sua ad huiusmodi effectum necessario non ordinatur, neque affectus necessaria connexione in ea causa continetur.

Ad rem faciunt quae habet Billuart Diss. V. art. 2. par. *Confirmatur Conclusio.* « Si homo, ait, teneretur sub peccato mortali

vitare omnem actionem, ex qua sequitur ordinarie levis commotio venerea, sequitur, quod oporteat damnare ut plurimum peccati mortalis conversationes non necessarias virorum cum mulieribus, iuvenum maxime cum puellis, colloquia familiaria, varias recreationes honestas secundum se, in quibus facillime intercurrunt adspectus blandi, verba demulcentia, tactus, oscula, amplexus in partibus honestis ex amicitia, ioco, levitate, utpote ex quibus plerumque oriuntur leves motus venerei. Atqui haec, quamvis sint fugienda, pauci sunt tamen, si qui sint, qui ea damnant peccati mortalis, ubi abest periculum consensus in ipsam venerem, nec ea est praxis Confessariorum in Tribunali. Ergo ».

Huc etiam spectant quae habet Caietanus apud Ithur. Cas. 18. n. 6. et apud Billuart Diss. 6. art. 12. par *Confirm. Concl.* Loquitur de pollutione ex auditione confessionum proveniente et ait: « Voluntarium indirecte, i. e. quia est in potestate voluntatis, non imputatur voluntati nisi ex eo quod possit et debeat facere et non faciat. In proposito pollutio haec non cadit sub voluntario, nisi indirecte, quia scilicet voluntas non divertit ab auditione, quae est eius causa. Et quamvis voluntas possit; non tamen tenetur divertere a tali actu auditionis, cogitationis et similium. Ergo hoc non imputatur voluntati. Declaratur Minor. Quia nullus artifex debet omittere inchoationem et prosecutionem operis propter defectus consequentes ex necessitate materiae; stulte enim aliquis omitteret constructionem serrae vel gladii ex eo quod rubiginem contrahant, propterea quod ex ferro fiant, et sic de aliis; pollutiones autem et stimuli carnis in proposito contingunt ex necessitate materiae ex eo quod res venerea est materia purganda, lavanda, diputanda, praedicanda, cogitanda; exinde naturali sequela sequitur commotio carnis, etc.. Non igitur debet homo propter defectus contingentes ex necessitate materiae venereae omittere non solum necessarias, sed utiles cogitationes, locutiones, auditionem etc. Nam alioquin oporteret aut Angelos aut viros valde privilegiatos tantum de eiusmodi disputare, audire, etc., cuius oppositum Ecclesiastica habet consuetudo et ratio docet ». Cfr. etiam Elbel de act. hum. n. 16., Lessium l. 4 c. 3. Dub. 14. n. 97.-102.

96. *Corollaria*: 1° Si causa, utut graviter in se culpabilis, sit extra luxuriae genus, uti v. g. ebrietas, aut usus carnium die veneris, etc., tunc deest certe vel omnis, vel saltem gravis efficacia causalitatis in illum pravum effectum; adeoque ratione pollutionis subsecutae, licet praevisae, sed minime intentae, veniale peccatum non exceditur.

2°. « Si in aliquo corpore, ratione infirmitatis... vel alterius causae, sit positive indispositio ad venerem, esto illi applicentur causae,

quae alias ex se graviter in pollutionem aut carnalem delectationem influunt respectu aliorum.... respectu tamen illius... non erunt graviter influentes, sed solum leviter, aut etiam nullo modo, seu erunt causae materialiter tantum de genere luxuriae; quapropter communiter... ratione earum influxus in pollutionem mortaliter non peccabit ». Salmant. T. 26. c. 7. v. 41.; idque valet, etiam quando gravis affuerit culpa in actu, qui occasionem praebuit pollutioni, quae tunc per accidens subsequi censetur.

3.° Si actiones graviter etiam influentes « ponantur ex causa necessaria, vel utili, vel convenienti animae aut corpori, tunc... pollutiones ex ipsis provenientes, adhuc praevisae, non sunt peccata, dummodo absit consensus periculum. Ita communiter... Hinc (ratione necessitatis) etiam praevisa pollutione involuntaria, licet parochis, et etiam aliis confessariis audire confessiones mulierum, ac legere tractatus de rebus turpibus, chirurgis aspicere et tangere partes foeminae aegrotantis, ac studere rebus medicis... servire in balneis... Licet alicui, qui magnum pruritum patitur in verendis, illum tactu abigere, etiamsi pollutio sequatur... (Ratione decentiae vero) licet aliis alloqui, osculari aut amplexari mulieres iuxta morem patriae... et similia ». S. Lig. l. 3. n. 433., l. 6. n. 29. Denique (ob praedictam convenientiam et utilitatem) licet equitare non modo necessitatis et utilitatis, sed etiam recreationis causa; decumbere certo quodam corporis situ ad commodius quiescendum; cibos calidos aut potus moderate sumere, et honestas choreas ducere.

4.° « Foemina, vel vir, quae ob superpositionem unius femoris in aliud motum sensualem sensit, non tenetur modum situs mutare dum derminata sit non consentire, neque sit periculum consensus; quia per accidens actus influentes in pollutionem vitare non tenemur ». Diana Tr. 6. de aliq. cas. circa mat. lux. Resol. 12. n. 4.

5.° Quum aliquibus causa subest necessitatis vel utilitatis aliquid faciendi unde pollutio sequatur, si isti consentiant delectationi venereae, perinde habendi sunt ac, ii, qui in occasione moraliter necessaria versantur, adeoque absolvendi quamdiu rationabilis spes apparuerit, occasionem remotam redditurus. L. 438. 483., l. 5. n. 63,, l. 6. n. 453. 457.; D'Annib. ed. 4. p. 2. n. 67.

97. *Prop. 3.* 1.° Sicut directe velle et procurare ipsam pollutionem, vel delectationem venereum, peccatum grave est, ita consequenter peccatum grave erit distillationem libidinosam directe velle et procurare, distillationem nempe cum partiali seminis effusione, vel cum carnali tantum commotione et venerea delectatione, ita ut utrumque quis directe velit et procuret. « Porro sicut ipsa pollutio, indirecte tantum voluntaria in causa posita, tantum peccatum est, quantum est ipsa causa posita in genere luxuriae, ita

eadem ratione discurrendum de distillatione et commotione libidinosa », Sporer 659 — 2.° « Distillatio non libidinosa, quae scilicet contingit sine ulla delectatione, vel voluptate sensuali venerea (quamvis adsit levis erectio genitalium) non est peccatum. Ratio est, quia si talis distillatio esset peccatum contra castitatem, ideo esset vel quia esset delectatio venerea, vel quia esset proximum periculum ad delectationem veneream, vel saltem quia dispergitur ille humor. Non 1^um^; quia nos loquimur de eo distillationis modo, in quo nulla adsit delectatio sensualis: non 2^um^; quia si illius humoris effusio nullam affert delectationem sensualem, non est ratio, cur ipsa sola spectata afferat periculum proximum in illicitam voluptatem veneream consentiendi: neque 3.^um^; quia ille umor extillans sine voluptate non est semen, nec eius effusio generationi nocet, sicut seminis effusio ». Sporer 660.

98. *Corollaria:* 1.° De ea distillatione, quae insensibiliter accidit, inquietari non oportet. De ea, quae modica est, et cum levi commotione « non magis curandum, quam de sudore videtur », Caiet. Opusc. 22. q. l.: ipeo potest permitti, dummodo quis mere passive se habeat absque alio venereae delectationis consensu. Salmant. 33.

2.° Si res practice consideretur, « directe et data opera procurare quamcumque distillationem, etiam levem, nullo modo potest excusari a peccato mortali ». L. 477. Ratio est, quia si sit notabilis distillatio ea « non potest esse sine notabili carnis rebellione; unde sicut graviter peccat qui notabilem commotionem procurat, ita etiam qui magnam procurat distillationem ». Si vero levis sit, « revera quaecumque distillatio semper, vel ut plurimum, secum fert aliquam commotionem, et aliquantuli seminis effusionem ». Ita L. ib.

99. *An impuberes sive pueri, sive puellae et eunuchi, qui conantur impudicis motibus semen emittere, cum non possint, peccent peccato pollutionis, vel tantum impudicitiae?*

R. Haec Tamburini de 2° Eccl. pr. c. 17. n. 13.: « Qui ex defectu aetatis vel ex alia causa, (quales sunt impuberes et eunuchi) non possunt motu impudico semen effundere, vel effundunt semen inutile, peccant mortaliter... sed certe haec species peccati differt a vera pollutione, cuius est proiicere semen contra generationis finem, quae proiectio non est in praedictis eiusmodi; ergo peccatum in impuberibus reducitur reipsa ad tactum impudicum ». — Ita Sporer 639. « Respondetur, utique esse peccatum mortale ad mollitiem reducendum; est enim ex se pravus affectus ad pollutionem: attamen videtur specie differre a vera pollutione, per quam seminatur, in specie proprie reducendum ad impudicitiam tactus; unde in confessione explicandum ». Ita etiam Holzmann, Babenstuber aliique. — Contrarium tamen docet S. Alph. 476., qui aperte affirmat, quod « pollutio

spadonum et puerorum (licet illi semen perfectum non habeant) nihil differt a pollutione adultorum. Cfer. etiam Ithur. Cas. 23. n. 13. et seqq. Verum reapse actus malitiâ specifice distinctus videtur, cum ille actus sit essentialiter incompletus, adeoque ex intrinseca natura sua ordinabilis adhuc ad actum completum, et ille humor nullo pacto prolificus sit.

Neque valet obiicere: quod semen virile ad generationem necessarium adaequate constituatur 1° ex *spermatozoidis* seu animalculis spermaticis, 2° ex *lympha spermatica,* quam secernunt testes, 3° ex humoribus, quos secernunt vesiculae seminales, glandulae cowperianae et prostata, qui in actu eiaculationis miscentur lymphae spermaticae. Unde tota ista spermatozoidum et humorum congeries *semen completum* constituit; spermatozoides enim generationi omnino impares essent, nisi revera in istis humoribus natarent; adeoque et ista humorum effusio *contra generationem* est. Enimvero licet spermatozoides, ut apti sint generationi in humore illo spermatico quem testes secernunt, vivere debeant; alii tamen humores quos aliae glandulae secernunt, non inserviunt immediate nisi ad organum madefaciendum et tuendum, per quod semen prolificum pertransire debet, ut foras emittatur, et ad expellendam omnem extraneam materiam ab illo canali, ut semen prolificum purum permaneat, et alienae materiae non permisceatur. Quare huiusmodi humores neque semen prolificum essentialiter constituunt, licet illi in suo transitu permisceantur, neque sunt ad generationem necessarii tanquam vim activam generationis continentes, quae nonnisi in spermatozoidis residet, vel tanquam medium necessarium, quo naturaliter spermatozoides vivant. Et sane antequam sperma effundatur foras vivunt certe spermatozoides in lympha spermatica, neque uti vivant indigent humore aliarum glandularum. — Lugo de Poenit. D. 16. n. 175. 338.

Eunuchi, utroque testiculo carentes, nonnisi mucum emittunt, praesertim prostatae et uretrae, sine ulla seminis emissione.

100. *An foeminae, quae carent semine vere prolifico, cum pollutionem sibi procurant, peccatum committant speciale pollutionis, vel tantum impudicitiae, ut pro impuberibus et eunuchis dictum est?*

R. Affirmant plures e recentioribus Theologis propter rationem in ipso quaesito indicatam. Hinc autem deducunt: Confessarium posse ab omni ulteriori interrogatione abstinere cum malitia haec pollutionis non sit specie diversa a malitia tactuum.

Verum negandum omnino videtur cum communissima, et unanimi veterum Theologorum sententia, licet horum etiam quam plures mulieris seminationem necessariam conceptioni non reputarent. Ratio est, quia licet ille humor non sit de se prolificus et necessarius ad generationem, est tamen ex natura sua ad actum generativum de-

stinatus: ad hunc enim certius et facilius efficiendum ordinatur. Hinc in effusione istius humoris frustratur adhuc ordo naturae in re gravissima humanae generationis, ad quam extra concubitum totus ille actus iam amplius ordinabilis non est; adeoque contra naturam est. Gratis autem omnino asseritur ab adversariis, *hanc rationem rem non convincere.* Nam, si ille actus, ut ipsimet asserunt, *naturalem habet destinationem ad generationem;* ergo *contra naturae ordinem* est istum actuum destitui suo naturali fine. Atque hinc discrimen patet pollutionis mulierum, et illius impuberum et eunuchorum effusionis. Haec enim est intrinsece et essentialiter actus physice incompletus; et *de se* ordinabilis ad actum licitum completum, nempe copulam coniugalem: dum e contra illa mulierum pollutio intrinsece et essentialiter est actus physice completus, ut constat vel ex ipsa serie phaenomenorum excitationis, quae praecedit, et quietis ac satietatis, quae sequitur; adeoque si fiat extra omnem concubitum, de se amplius ordinabilis non est ad actum licitum completum, nempe copulam coniugalem; illa enim emissio muci vulvo-vaginalis indicat perfectam voluptatem consecutam, *quae a natura ad actum generativum ordinatur.* Ant. v. 2. p. 216. n. 471. nota. Quare iterum actus contra naturam est.

Neque vero valet instare, quod licet ille actus sit contra naturam, adeoque de se illicitus, non est tamen graviter, sed leviter tantum illicitus, cum iste uxorius actus non sit ad esse simpliciter generationis, sed tantum ad melius esse. « Porro abuti, ait Billuart l. c., non solum necessariis a natura ordinatis ad generationem, sed etiam utilibus est peccatum mortale: sic peccaret mortaliter, qui se vel alterum uno oculo privaret, quamvis non sit absolute necessarius, sed utilis tantum ad videndum ». Si autem id non esset graviter illicitum, et ex intrinseca natura sua, iam foeminae, quibus matrimonium tam onerosum est, contentae ea sola voluptate, qua a natura ad opus coniugii alliciuntur, eidem minime vacarent, ac nulli amplius essent uxoriae masturbationis et coniugalis onanismi ex parte earundem uxorum limites. Quin imo impudicis mulieribus matrimonium via esset ad impudicitiam magis magisque fovendam et augendam, cum eam iam citra grave peccatum exercere possint.

Neque iterum urgeri potest, quod saltem in ista mulieris pollutione desit propria ratio pollutionis, *frustranea* nempe *seminis effusio contra generationem,* cum *contra* hanc nihil fiat. Etenim in pollutione mulieris duo sunt apprime distinguenda. Primum est *humoris effusio,* qui ad generationem minime est *necessarius* sed dumtaxat *utilis;* alterum vero est *ovuli decisio,* quae non solum fit naturaliter et spontanee tempore menstrui, sed fit etiam venerea hac excitatione, quae folliculum disrumpit, quo ovulum continetur, tum ipso totius

organi generationis erethismo, tum secretione humoris quo illud repletur. Ac meliores physiologi id affirmant, admittentes manstur-bationem in foemina, ac coitum et genitalium excitationem in ovuli decisionem influere. Atque haec est vera intima ratio, cur, ut omnes admittunt, mulieris seminatio conceptionem faciliorem et certiorem reddat. Quatenus ergo venerea ista excitatio tendit de se ad ovuli decisionem ex ovario, veram ea continet pollutionis malitiam; siquidem ovulum est ex parte foeminae elementum omnino *necessarium* generationis, quod spermatozoidum virilis spermatis contactu foecun-datum generationem exhibet novi individui. Quare, ut in viro pollu-tionis malitia reapse non est in *frustranea humoris effusione*, sed in *frustranea a testiculis*, seu proprius *a vesiculis seminalibus*, *decisione spermatozoidum*, in quibus residet vis ovulum foecundandi, quae sper-matozoidum decisio illa reliqui humoris effusione comitatur; unde haec ab illa habet quod *contra naturam* sit; ita pariter in foemina pollutionis malitia non est in *frustranea humoris effusione*, sed in *frustranea ab ovario* decisione ovuli, ad quam ista effusio humoris tendit, unde haec ab illa habet, quod *contra naturam* sit. Cfr. Milne Edwards. Tom. 8. pag. 338. 339. 355. 356. 359. 360., Tom. 9. pag. 106.-109.; Longet, traité de physiologie, Paris, 1850. Tome 2. 3^{e} partie, pag. 80-95. 125.; Billuart, l. c.

Neque tandem obiicere valet quod ista *ovuli* ab ovario *decisio* non sit contra generationem, quia reapse nihil aliud tunc fit quam illud ipsum quod fit tempore menstrui fluxus, quo eadem haec ha-betur ovuli decisio. Quare venerea excitatione ad summum nihil aliud habetur quam anticipatio quaedam periodi illius, fluxus nempe menstrui, qua facilius et certius foemina concipiat. Etenim nihil sane fieret contra generationem, si fieret nempe in ordine ad actum coniu-galem perficiendum. Verum cum res fiat independenter ab actu coniugali, evidens res est, quod ille actus utpote iam non referibilis ad copulam contra generationem est, et *frustranea* omnino est ea ovuli decisio, quod tunc, non ut foecundetur et vivat deciditur; sed ut corrumpatur, quod reapse contingit. Quod autem fluxu illo menstruo periodice habeatur illa ovuli decisio, licet nullus sequatur coniugalis actus neque sequi possit, nihil urget; nam id quod facit natura iuxta ordinem a creatore ipso constitutum contra naturam non est. Inde vero, uti iam observavimus, deduci nequit quod idem homini liceat sua actione procurare. Cfr. Epistolam Card. Patrizi ad Archiep. Melitensem 28. Iulii 1873. Revue des Sciences Ecclés. Janvier 1882. pag. 89.

Postremo, si mulieris seminatio nonnisi malitiam continet tactus impudici et simplicis delectationis venereae, venialem culpam in muliere uxorata saltem probabiliter non excedit. Idque moderni

quidam auctores affirmare videntur; vel si non affirmant, certe sibi contradicunt, simul affirmantes *pollutionem femineam non esse peccatum consummatum contra naturam, et grave peccatum in coniugibus id solum esse, quod est contra finem primarium matrimonii,* nempe *voluntariam pollutionem, et sodomiam.*

Attamen mulierem uxoratam in praedicta seminatione *graviter peccare*, et consequenter contra naturam, constat etiam ex sequenti S. Poenit. Resolutione:

« Tibullus excipiens confessiones mulierum, quarum viri saepe abesse solent, et quae non facile se continent, docet et suadet easdem mulieres non peccare in sequentibus casibus:

1° Si desiderando proprium virum absentem, patientur commotionem sensualem seu pollutionem.

2° Si desiderent hanc eandem pollutionem in se experire ex ardenti amore viri absentis.

3° Si pollutionem in se excitent tactibus secum habitis, dummodo hos actus referant ad virum absentem.

Sacra Poenitentiaria dilecto in Christo..... scribenti subiungit: iam bis hac super re ab hoc sacro Tribunali responsum fuisse, et actus huiusmodi esse *graviter illicitos,* et confessarium eos probantem esse denunciandum ». S. Poenit. 2. Sept. 1904.

101. *An omnes pollutiones sint eiusdem speciei?*

Resp. « Omnes pollutiones secundum se sunt eiusdem speciei, quocunque modo fiant, si fiant sine concubitu ». L. 476. 467. Dicitur *secundum* se, quia ratione circumstantiae, personae vel interioris delectationis et desiderii vel cooperationis ad peccatum alterius, possunt ei adiungi aliae malitiae. *Si fiant sine concubitu,* huius limitationis habes hic n. 103.

102. *Corollaria*: 1°. Necesse non est explicare in confessione an propriis manibus immediate, vel mediante aliquo istrumento quis se polluerit. — 2°. Copula cum foemina mortua neque malitiam habet fornicationis, quia non est iam foemina, neque malitiam bestialitatis, quia foemina mortua non est bestia, sed malitiam habet simplicis pollutionis; sicut qui concubitum iniret cum pictura vel statua foeminae vel vestibus foeminae, etc.. Nihilominus id explicandum erit in confessione, saltem generatim dicendo: pollui me cum instrumento inanimato, cum affectu ad foeminam Adest enim pollutio et fornicatio affectiva. L. 466., Spor. 639., Diana l. c. resol. 6. n. 5. — 3° « Qui se polluit instrumento alieno animato, seu partibus corporis alterius personae, utpote praeter manus, ordinarium tactus instrumentum, v. g. inter brachia, axillas, coxendices, ubera, etc... foeminae vel viri, etc. tenetur quidem explicare personam illam (ratione cooperationis)... Sed opus non est explicare ipsas illas particulares partes

corporis, quia materialiter solummodo differunt, et illa maior delectatio quaesita in una parte non transcendit speciem malitiae quae est in alia, nisi adesset affectus aliquis particularis ad partes praeposteras, et sodomiam, quod utique explicandum foret ». Sporer 636., Billuart l. c. Cf. n. seq.

103. *An pollutio habita tangendo puerum, aut mulierem, dormientes, aut doli incapaces, aut pudenda bestiarum; sed absque concubitu, sit diversae speciei a simplici pollutione?*

R. « 1ª. Sententia affirmat, et dicit talem pollutionem cum puero esse sodomiam, cum foemina vero esse copulam inchoatam. 2ª. vero sententia tenet esse simplicem pollutionem. Ratio, quia, quando abest concubitus, dicunt de materiali se habere quod fiat pollutio tactibus propriis vel alienis. Sufficit tunc confiteri: habui pollutionem tactibus alienis. Quando enim non adest *concubitus*, non adest affectus ad sexum, sed ad pollutionem; et haec est probabilior. Notat ideo Ronc. de VI. Praec. c. 7. q. 6. cum Bon. Trull. et Fill. quod, si quis polluatur tactibus alienis, non oporteat ut explicet, an tactibus viri vel foeminae; quia, quum tantum pollutio tunc intendatur, etiam de materiali se habet, si tactibus viri vel foeminae illa eveniat. Secus tamen dicendum, si facta sit tactibus coniugatae, vel votum castitatis habentis ». L. 467. 474. Difficultas autem hic est, conciliandi haec cum dictis ab ipso S. D. Ho. Ap. tr. 9. n. 3. ubi asserit sexum in tactibus explicari debere, quia ait, tactus « omnes eiusdem sunt naturae quam actus consummatus ». Cfr. n. 31.

104. *An, si semen corruptum fuerit, liceat illud medicamentis expellere, etsi praeter intentionem sequatur aliqua veri seminis emissio?*

R. Affirmative. Ita communius DD. — Ratio, quia medicamenta illa per se directe solum tendunt ad expulsionem seminis corrupti; effusio autem aliqualis veri seminis sequitur per accidens, et praeter intentionem, quod non potest dici illicitum, cum omnes concedant licitum esse remediis alios expellere humores nocentes, quamvis per accidens sequatur pollutio, sicut etiam licet pharmacum sumere ad morbum expellendum, etsi indirecte expellendus sit foetus inanimis, iuxta pariter communem sententiam. « Hanc sententiam, ait S. Alph. 478., satis probabilem censeo, modo tamen 1. Semen certo sit corruptum; non vero, si dubie. 2. Expulsio seminis corrupti possit fieri sine sensu libidinis, (cum enim hoc periculosum admodum sit non est tentandum nisi in extremis), ut bene advertit Anacl. 3. Alia non sint remedia ad semini corrupto medendum: nunquam tamen est licitum tactu semen corruptum expellere, etiamsi absit periculum consensus; sic tenendum omnino cum Sporer etc... Ratio, quia, licet permittatur remedium, eo quod illud solum tendat de se ad expellendum semen corruptum, nullo modo

tamen est permittenda confricatio; quia ista tendit de se ad commovendos spiritus carnales, et semen verum expellendum, quod numquam est licitum ». Quare neque practice, neque speculative probabilis videtur eorum theologorum opinio, qui saltem aliquando licitum esse existimant verenda fricare ad semen corruptum expellendum, licet delectatio venerea, ipsaque prolifici seminis effusio sit secutura. Billuart, l. c. Diss. 6. art. 12. *Petes*, in fine.

105. *An liceat sumere medicamentum ad semen verum corrumpendum, et postea iam corruptum eiiciendum?*

R. « Probabiliter id concedunt Sanch., Bon., Anacl., Ronc. etc. Ratio quia natura non obligat ad conservandum semen cum periculo vitae: si enim (ait Sanch.) licet amputare testiculos ad tuendam vitam, quamvis homo sine illis omnino impotens reddatur ad generandum; cur non liceret semen corrumpere? » Lig. 478., Billuart l. c.

Nota: Medici negant hypothesim seminis corrupti. Nam aut semen adhuc remanet in vesiculis seminalibus, aut ex illis exiit. *Si remanet,* tunc permanet sanum usque ad emissionem. Et si non emittatur, tunc absorbetur, novum robur conferens organismo. *Si exiit,* iaculatione vel minctione statim expellitur. nec amplius potest in vesiculas regredi. — Quamvis vero admittatur, negant eam posse aliquo signo certo constare; et licet certo constare posset, nullam aiunt adesse medicinam hactenus notam, quae vim per se habeat illud expellendi. Debreyne 1. P. ch. 1. art. 1. § 1. S. 3.

106. *An teneatur quis pollutionem involuntarie coeptam impedire?*

R. Affirmant nonnulli, quia aiunt, falsum est quod inde ullum adsit periculum morbi. Haec P. Debreyne « Moechialogie » Bruxelles, 1853. p. 26. « Sunt qui opinantur, ait iste auctor (magnae Trappae monachus, et Doctor medicus), quod liquor spermaticus, cum semel sit plus minusve egressus e suis receptaculis, necessario corrumpitur, et sanitati nocet propter suum corruptionis statum suasque morbidas qualitates. Haec autem certissima sunt, et ex physiologiae principiis demonstrata, scilicet 1mo. quod pars illa seminis, quae usque ad vasculum uretrale pervenit, necessario emitti debet extra corpus vel immediate, vel cum urina; nec tempus adest ut aliquam alterationem subire possit; 2do. quod liquor spermaticus qui debebat esse materia pollutionis (quocumque modo impeditae), quique nondum e suis vasculis (glandulae proximis) eiaculatus est, intus regreditur, vel in iisdem receptaculis remanet cum suis qualitatibus naturalibus ac vitalibus. Nec solum ipse non est causa alicuius morbi ob suam corruptionem, sed potius vim et vigorem subministrat sive corpori sive spiritui ». Hinc aiunt cohibendam esse pollutionem mox imminentem vel incoeptam, retinendo eiaculationem, quaerendo, si noctu accidat, locum lecti frigidum, e lecto pro-

siliendo, etc. Vernier. — Aliud suggerit medium idem Debreyne l. c. p. 57. « Per unum saltem vel duo momenta, primis duobus digitis cuiusvis manus sat fortis compressio facienda est ante et iuxta anum, vel potius supra anteriorem ani marginem, i. e. ad ortum vel originem uretri, sive urinae canaliculum, ita ut eius meatus paulisper deleatur, et perinde omnis seminis fluxus prohibeatur. Sed hunc in finem et ut opus istud recte perficiatur, subdifficilis conditio, scilicet evigilatio vel saltem semievigilatio requirenda est, quo compressio exerceatur tempore pollutionis imminentis vel quidem aliquando iam inchoatae ».

Verum alii communiter negant. Tunc enim quis illam pollutionem naturaliter coeptam et naturaliter continuantem non vult, sed mere permittit, et patitur. L. 479. — « Idem dicendum videtur de quacumque pollutione involuntaria, sive in somno sive in vigilia eveniat, cum sit utriusque ratio eadem quantum ad hoc, ut iam dixi ex Caietano » Billuart, l. c. Diss. 6. art. 13. in fine, « Cavendum tamen permaxime, ne taliter evigilans, vel alias involuntarie ortam pollutionem sentiens, non tantum permittat, vel non reprimat (quod solum conceditur), sed etiam positivo aliquo conatu, vel impulsu eam promoveat, vel compleat, etiam solum quoad aliquas reliquias seminis protrundendas, eo fere modo, quo mingentes, cessante fluxu, aliquot guttas protrudere solent; quod utique non liceret citra grave peccatum, si omnino deliberate fieret ». Spor. 657. 642. 656., Ithur. Cas. 23. n. 30.

107. *Nota.* — « Quando pollutio incipit in somno, et emissio contingit in vigilia semiplena, tunc, si homo aliquam experitur delectationem, non plene deliberatam, non peccat quidem nisi venialiter ». Lig. ibid. — « Qui passus est pollutionem in somnis, licet dubitet, an in eo puncto temporis habuerit sufficientem usum rationis, necne, nihilominus non potest iudicari peccasse mortaliter, sed potius contrarium praesumendum est ». Suarez de Relig. T. 2. Tr. 6. l. 4. c. 6. n. 9.

108. *An teneatur quis pravos concupiscentiae motus involuntarie exortos positiva resistentia directe impedire?*

R. Negative; neque vero id expedit, siquidem imaginatio tunc ipsamet contentione excandescit et per sympathiam naturalem facultatis cum facultate genitales spiritus magis magisque excitat. Opportunum magis remedium erit positiva resistentia indirecta, Deum nempe tranquille invocare, et mentem ac imaginationem ab imaginibus obscoenis avertere, et seria applicatione ad alia, praesertim ad exteriora negotia applicare. Ita communiter.

109. *An graviter peccet, qui pravos istos concupiscentiae motus pure*

permittat, quin nempe complacentiam vel displicentiam eorum habeat; sed negative se habet?

R. Mortaliter peccat, si adsit periculum proximum consensus. At, cessante isto periculo, mortale quidem non est, sed veniale non resistere positive inordinatis illis motibus; si iusta non adsit causa a resistentia excusans, quae si adsit, illo cessante periculo, neque veniale erit — Prob. 1ª p. quia peccatum grave est scienter se exponere occasioni proximae peccati. — Prob. 2ª p., quia ad actuale peccatum requiritur actualis consensus voluntatis. At qui negative tantum resistit rei graviter prohibitae, actu non consentit rei turpi; nullum enim ponit positivum voluntatis actum Ergo. — Prob. 3ª p. Nam ratio dictat, quod homo cavere debet, ne appetitus sensibilis trahat post se voluntatem; at, cum desit proximum consensus periculum, haec obligatio est tantum levis. Ergo. — Prob. 4ª p., quia quando agitur de peccato veniali, quod tale non sit ex intrinseca sua natura, ut ex. gr. mendacium in re levi; sed tantum ratione extrinseca, quaelibet iusta causa extrinseca actum tunc cohonestat et a veniali excusat.

Haec S. Alph.: « Notandum non esse obligationem motibus carnalibus resistendi positive, si iusta adsit causa non resistendi, nempe si quis expertus sit resistendo magis motus excitari et augeri vel si motus ortum habeant ex actione necessaria, vel utili... si non facile negotium sit illos repellere. Sat est igitur tunc negative se habere cum firmo proposito numquam consentiendi: ipsa enim non consentiendi actualis cura sufficit tunc ad liberandum hominem a culpa, saltem mortali, etsi non a veniali, si resistentia sit tepida, ut dicunt Tol., Caj., Laym. etc. cum Salm. Verum Croix, cum Az. et Sanch., ut certum supponit quod in casu praedicto quando tentatio diu durat, et nimis molestum foret iugiter motus positive repellere, nullum peccatum sit eos permittere, negative se habendo. Et sic facere consulit Cont. Tourn., cum Sylv., his qui sunt timoratae conscientiae » l. 2. n. 9. Et ibid. n. 8. idem S. D. inquit: « si motus sint leves melius erit eos contemnere sine positiva resistentia ». — Ithur. Cas. 18. n. 9. 10., Billuart Diss. 6. art. 15. § II., S. Th. 2. 2. q. 35. art. 1. ad 2.

110. *An si actiones, quae per se nullo pacto vel tantum omnino leviter influant in pravos motus vel etiam in pollutionem, graviter influant in eosdem effectus, ratione peculiaris infirmitatis et dispositionis subiectivae, teneatur quis sub gravi abstinere a talibus actionibus?*

R. Affirmat Scavini, Tr. 4. D. 2. C. 3. art. 1. § 2. post q. 3., qui citat Ronc. et Salmant. Cf. L. 423. 484. Verum negandum videtur, secluso tamen proximo consensus periculo in pravos illos

effectus. Ratio est, quia dispositio subiectiva non potest immutare intrinsecam naturam illius actionis, adeoque non potest eam facere graviter illicitam, si ea *in se* est tantum *leviter illicita*, vel etiam *simpliciter licita*. Quod autem ex ea sequantur pravi motus vel etiam pollutio, hoc est per accidens; et casus iste est, cum causa in se honesta sit, causae in se honestae habentis duplicem effectum, alterum *per se* bonum, alterum malum et quidem *per accidens*. Potest ergo quis in ea actione ponenda prosequi ius suum. Neque vero *ex parte agentis* sufficiens et proportionata ratio deest in tali ratione agendi; nam qui ita sensibiliter afficitur ipsis honestis rebus, obnoxius est innumeris scrupulis et anxietatibus, et si omnia vitare velit, quibus male affici potest, vere intolerabilem cogitur ducere vitam. Et sane hoc confirmatur comunissima confessariorum praxi, qui si quando incidant in tales poenitentes, qui vel e sanctissimis rebus prave afficiuntur, eis consulunt, ut cum simplicitate procedant, et tales pravos motus, si exurgant, penitus contemnant. Si vero actio illa omnino leviter illicita sit, *per se* « non est gravis obligatio » illam vitandi, L. 484.; *practice* vero « hominibus est quasi moraliter impossibile omnes has causas communiter evitare ». L. ib. Cf. hic n. 95. 96. Idque Billuart, Diss. 6. art. 12. *Dico* 1.°, admittit etiamsi sequatur pollutio. Et hoc certe ex principiis communiter receptis logice omnino consequitur.

Placet tamen quam maxime, *ad praxim* quod spectat, moderatio S. Alph. qui distinguit inter « actiones omnino leviter turpes » et « actiones quae vehementius in pollutionem influunt, quamvis per se non pertingant ad mortalia, si ex his *frequens* pollutio sequatur », *ratione proximi periculi consensus,* quod esse possit et *pravae dispositionis* voluntatis, unde ea quae forte per se graviter adhuc non influant in pollutionem, gravem malitiam ratione pravi affectus sortiuntur. Quando res ad hos terminos practice pervenit, magnam sane hac in re illusionem patiuntur viri conscientiae parum delicatae; qui tamen aperte nollent grave peccatum admittere. Haec S. D.: « recte dicunt Salm. et consentit Ronc. non excusari a mortali eum, qui frequentem pollutionem expertus sit ex aliquibus causis in eodem genere luxuriae, quae *vehementius ad pollutionem influunt*, et alias voluntarie, ac sine necessitate ponit, quamvis ipsae *per se non pertingant ad mortalia,* uti sunt nimirum curiosa lectio turpis, aspectus picturae obscoenae vel coitus animalium, tactus propriorum verendorum, aut alterius ex levitate, et similia. Ratio, Quia respectu istius personae, *ob suam pravam dispositionem*, talis causa non leviter influit. Secus vero dicunt, si pollutio ex huiusmodi causis raro eveniat, ut Salm. l. c. Et secus etiam, si causae sunt omnino leves, prout essent visus partium honestarum

mulieris, lectio leviter turpis, colloquium cum foemina non diuturnum vel leviter obscoenum. Ratio, quia hominibus est quasi moraliter impossibile omnes has causas communiter evitare. Ita Sanch. et Salm. » L. 484.

111. *An ob pollutionem teneatur quis communionem omittere?* R. 1.° Negative, si fuerit involuntaria, et hoc etiamsi provenerit ex causa venialiter culpabili, modo non perduret, notabilis mentis perturbatio orta ex illa corporis commotione; vel conetur quis eam repellere, faciens quantum in se est, ut devote accedat; secus, per se loquendo, veniale erit. Ratio, quia externa macula, cum iam sit praeterita praesentem corporis decentiam non impedit. 2.° Negative, si fuerit culpabilis, et iam per debitam poenitentiam retractata, modo iusta adsit causa necessitatis, vel etiam utilitatis ad Communionem accedendi; secus veniale erit ob reverentiam tanto sacramento debitam; cui vero satis consulitur per rationem illam *proportionatam*, quae adsit Communionem suscipiendi. — Rubr. Miss. tit. 9. *de Defect.* 5.; L. l. 6. n. 272.

Articulus Secundus

De Bestialitate

112. *Bestialitas* est concubitus cum bestia. Huius peccati species non mutatur, moraliter loquendo, ex varietate bestiarum. An autem moraliter immutetur ex diversitate sexus aliqui affirmant, sed communiter et probabilius negatur. « Quare tota essentialis deformitas huius facinoris consistit in accessu ad diversam speciem ». L. 474. — « Ut completa sit bestialitas requiritur seminis effusio ex parte patrantis. Dicit Saettler, necesse haud esse declarare in confessione, an congressus fuerit in alvo aut in alia parte corporis bruti, quippe ad recipiendum semen humanum nulla est distinata. Attamen, casu quo hoc peccatum esset reservatum, Billuart tenet necessariam esse seminationem intra vas bruti, quia reservatio, utpote odiosa, restringi debet ad actum consummatum. Billuart ergo non reputat consummatam bestialitatem nisi fiat intra vas bruti, proinde, saltem ut plurimum, consummari nequit a mulieribus ». Craisson, Notiones circa sex. Decal. praec.... n. 178. Cf. hic n 118., S. Th. 2. 2. q. 154 a. 11.

113. Ad bestialitatem reducitur congressus cum daemone. Hinc « universalius a D. Thoma et aliis definitur bestialitas peccatum contra naturam, quo homo concubit cum re animata diversae speciei; ut nimirum etiam comprehendantur infandi coitus sagarum et magorum cum demonibus incubis vel succubis, praeter peccatum contra naturam, etiam speciale peccatum contra Religio-

nem, sc. societatis et commercii nefandi cum daemone, Dei nostrumque omnium nequissimo inimico, continentes; ideoque sine dubio id necessario explicandum in confessione ». Sporer 625.

114. « *An autem qui coit cum daemone apparente in forma coniugatae, monialis, aut consanguineae, peccet semper affective peccato adulterii, sacrilegii aut incestus?*

Videtur universe affiirmare Busemb. cum aliis; sed valde probabiliter negandum, si concubens delectetur de muliere illa a demone repraesentata, non qua nupta, aut moniali, sed qua pulchra, iuxta sententiam Eng., Paul., Vasq., et aliorum plurium, qui valde probabiliter docent quod delectatio morosa non involvat speciem obiecti, de quo aliquis delectatur; nisi circumstantia personae intret in delectationem ». Lig. 475.

115. « Tactus impudici cum bestia, licet non sint proprie peccata bestialitatis, tamen habent aliquam specialem turpitudinem, et ait Elbel, saltem venialem ». L. 474., Cfer. hic n. 103. Hinc non videtur circumstantia necessario declaranda, si quis lingua iumenti, aut minoris bestiae delectationem veneream, aut pollutionem in se excitet, sine affectu ad bestiam.

Articulus Tertius.

De Sodomia

116. « Quaestio magna est in quonam actu consistat sodomia? — Alii tenent consistere in concubitu ad indebitum vas. Alii in concubitu ad indebitum sexum. Utraque sententia est probabilis, et in utraque sententia cernitur specialis deformitas, quam habet sodomia contra naturam, quae requirit utrunque servari ad generationem, i. e. debitum *vas* et debitum *sexum* ». L. 466. — Secunda sententia *probabilior* et *communis* theologorum dicitur a S. Alph. l. c. « Ratio, quia vera et propria sodomia committitur in accessu ad personam; quacum *nullo modo* generatio fieri potest ». L. ibid.

117. *Nota:* Iuxta secundam hanc sententiam non refert in quo vase coeant masculi aut feminae inter se, in anteriori vel in posteriori, vel in alia parte corporis, cum malitia sodomiae in affectu ad sexum indebitum consistat, atque in genere suo completa sit, dum fit applicatio membri genitalis ad partem corporis eiusdem sexus per modum concubitus; si autem fieret tantum applicatio manus, pedis vel oris ad partes genitales alterius, etiamsi pollutio ex utraque parte locum haberet, non reputaretur sodomia, quia non esset concubitus ». Bonv., L. 466. 485., Hom. Ap. Tr. 9. n. 24. 25., Cfr. hic n. 103., S. Th. 2. 2. h. q. 154. a. 11. 12.

118. *Corollaria:* « Hinc infertur 1° esse veram sodomiam coitus

foeminae cum foemina, ut dicunt S. Th., Ronc., Holzm., Spor., Salm. cum Cai., etc. Quamvis non improbabiliter sentiat Elbel l. c. cum Fel. Pot. huiusmodi concubitum, etiam cum affectu ad vas praeposterum, non videri nisi sodomiam impropriam, cum inter foeminas non possit dari copula perfecta. — Infertur 2° esse veram sodomiam quemcumque concubitum, sive corporum coniunctionem, habitam cum persona eiusdem sexus, sive in vase praepostero, sive in alia parte, semper enim adest tunc, regulariter loquendo, affectus ad indebitum sexum, ut tenent Tamb., Ronc., Tourn., Croix, Salm. — Hinc dicunt Ronc., Tamb. et Salm. contra Graff., non esse necessario in confessione explicandum, si pollutio fuerit intra vel extra vas, sufficit enim confiteri, peccavi cum puero, ut Confessarius iudicet adfuisset sodomiam cum pollutione. Si vero non adfuerit pollutio, deberet explicari. — Infertur 3° cum Salm., Bon., Tamb. et communiori, coitum viri in vase praepostero mulieris esse sodomiam tantum imperfectam, *specie distinctam* a perfecta, ut aiunt Tourn. et Tamb. Qui notat cum Fill., et recte consentiunt Holz. et Spor. cum communi, ut asserit, quod, si vir coiret inter crura, brachia, aut alias partes mulieris, esset quaedam copula inchoata, saltem in affectu. Unde, iuxta hanc doctrinam, vir *concumbens* cum virgine extra vas, duo committit peccata, contra eandem quidem castitatem, sed diversae speciei, unum fornicationis in affectu, alterum contra naturam in effectu. Dicunt autem praefati Spor., Holzm., Tamb. cum Angel. quod Confessarius, intelligens mulierem cognitam fuisse extra vas naturale, vel praeposterum, non debeat quaerere in quo loco, vel quomodo ». L. ibid.

Porro haec Sporer 627.: « Hoc nota, quando vir et foemina, ita commiscentes se polluunt extra vas: si quidem fiat ex affectu ad personam ipsam (uti ordinariae fit) spectat ad copulam fornicariam, adulterinam, incestuosam, etc. prout fuerit persona; si autem fiat ex affectu ad praeposteras partes, erit sodomia imperfecta de qua agimus; si denique fiat sine concubitu vel coniunctione aliqua, sed mere ad explendam libidinem, est mollities ». — L. 485.

Haec autem Scavini q. 6, in nota : « Etiam inter foeminas « habetur completa sodomia vel ope instrumenti, vel naturaliter, eo modo, quo compleri potest, quoties nempe fit applicatio unius partis ad partem alterius cum aliqua seminatione intra vas. Ita Salm., Luraschi, etc. ».

119. *An pollutio in ore sit diversae specie?*

R. « Affirmat Sporer cum aliquibus apud Diana, et hoc peccatum vocat irrumationem. Sed probabilius dicunt Holzm., Fill., Caiet., Graff. etc. quod, si vir polluatur in ore foeminae, erit copula inchoata; si vero in ore maris, erit sodomia ». L. 466.

120. *An in peccato sodomiae explicandum sit quis fuerit agens vel patiens?*

R. Probabilius *per se* non est declarandum; quia species peccati eadem est. Billuart cum aliis. — Circumstantia tamen pollutionis, si adfuit, quod facilius in agente contingit, omnino aperienda est. *Plerumque* tamen ambo polluuntur. Quare confessarii iudicium hac in re sufficienter efformari potest ex communiter contingentibus, quin opus sit interrogare in re tam turpi et periculosa. L. 468., G. 434., Lugo de Poenit. D. 16 n. 243.

121. *Quaenam sunt poenae contra sodomiam?*

R. Gravissimae poenae constitutae sunt ex Iure Canonico contra sodomitas; quae tamen iuxta veriorem sententiam non incurruntur, ante sententiam iudicis. L. 470.-472.; et l. 4. n. 251. Sodomiam tamen exercentes ex C. S. Pii V. *Horrendum illud* 30. Aug. 1568. irregularitatem incurrunt.

122. *An si sodomia sit reservata, comprehendatur in reservatione etiam sodomia cum foemina?* — R. « Probabiliter notant Salm. cum Bonacina, quod sodomia cum foemina non comprehenditur sub reservatione *sodomiae,* cum non sit vera sodomia, secus vero, si sit reservatum peccatum *contra naturam* ». Huiusmodi vero reservatione Episcopi communiter pollutiones etiam comprehendere non intendunt. L. 471.

Articulus Quartus

De appositione impedimenti ad generationem

123. Peccant coniuges si *ante* vel *post* vel *in ipso usu* aliquid faciant, quo impediatur generatio; quia agunt directe contra finem matrimonii.

Hinc 1° peccat graviter *ob pravam intentionem* impediendi generationem uxor, quae in actu coitus animum ad alia divertit, ne excitetur ad seminationem, vel quae statim post copulam surgit aut mingit. Dicitur *ob pravam intentionem* etc.; nam mulieris seminatio necessaria reapse non est generationi, sed dumtaxat eidem valde utilis; ac cum matrix brevi tempore semen attrahat et arctissime claudatur, varii illi conatus semen eiiciendi, surgendo, mingendo etc. vani reapse et irriti sunt. Hinc etiam omnes conveniunt, non opus esse, ut uxor post copulam diu immota et resupina maneat. L. l. VI. n. 954. - Debreyne 2 p. ch. 2. art. 2 §. 2.

2°. Peccant coniuges, si mutuo consensu vir post incoeptam copulam ante seminationem se retrahat et semen effundat extra vas, ut generationem impediat. Hoc peccatum dicitur *onanismus,* ab Onan, qui tale patrabat peccatum. Gen. 38., 9. 10., et est vera

et proprie dicta pollutio, malitiam continens *specialem* quasi adulterii. Cfer. hic n. 69. Extra matrimonium, vero coepta copula, se retrahere et semen extra vas effundere praeter malitiam pollutionis consummatae malitiam quoque habet fornicationis inchoatae vel certe in affectu. Cfer. hic. n. 44. 103.

124. *Nota:* « Licite interrumpitur actus coniugalis; etsi naturae concitatione secutura sit pollutio, dummodo sit iusta causa interrumpendi, v. g. si ex continuatione immineat periculum morbi, vel mortis ab hoste, vel aliquis alius interveniat ». Busemb. L. 6. n. 954.

125. *An mulier licite possit reddere debitum marito onanistice matrimonio utenti?*

R. Haec Diana: « Dico igitur peccare quidem mortaliter virum et foeminam, si de eius consensu id efficiatur; at si illa non consentiat, licite existimo posse petere, et reddere debitum a marito, etiamsi ille in fine copulae semen extra vas effundat. Et ratio est, quia quoties peto actum ab aliquo, quem ille potest bene, vel male praestare, non pecco, neque praebeo causam peccati; alter enim sua malitia male facit, cum recte possit efficere. Sed hoc totum procedit in casu nostro ». Tr. 6. de Matrimon. R. 181. Cfer. etiam ibid. R. 184. Confirmatur ex variis S. Poenit. et S. Officii decisionibus. G. t. 2. n. 927. et seq., Enchir. Morale. 1058. 1066.

126. *An requiratur gravis aliqua causa extrinseca, ut mulier licite debitum viro onanistae reddere possit?*

R. Affirmant plures innixi potissimum declarationibus S. Congr. Causas autem graves has recensent: 1°. Si mors, verbera, aut graves saevitiae timeantur. 2°. Si detur locus timendi, ne maritus sive in domo sive extra domum concubinam habeat. 3°. Si mulier certo sciat virum ex repulsa iratum blasphemias in Deum et in religionem, iniurias contra confessarium et sacerdotes in genere, verba scandalosa coram famulis aut liberis pronuntiaturum. 4°. *A fortiori* metus divortii, aut separationis aut infamiae, aut gravis scandali. — Scite vero admonent hi Theol. necesse minime esse, quod mulier virum repellat donec saevitias, molestias, aliave incommoda memorata experta fuerit; tunc enim debitum reddendo vel offerendo malum iam existens saepe non averteret, et aliunde illud subire non tenetur ad peccatum mariti impediendum; sufficit ergo ut illud rationabiliter timeat. — Verum non videtur necessaria gravis *causa extrinseca*. Nam 1°. huius causae necessitatem non evincunt responsa S. Congr., siquidem haec declarant dumtaxat excusandam esse mulierem, quae debitum reddit viro onanistae ex causa gravi. Nihil vero pronuntiant de ea quae illud reddit sine ista gravi *extrinseca* ratione. — 2°. Probatur ex auctoritate S. Alph., qui dicit uxorem *probabilius* non solum *posse*, verum etiam *teneri* ad debitum red-

dendum viro onanistae, absque gravi ratione. «Ratio, ait, quia quando culpa se tenet ex parte personae petentis, cum ipse habeat ius ad copulam, nequit alter sine iniustitia debitum negare, si non possit monendo a tali culpa illum avertere, et tunc patet quod reddens ne materialiter quidem cooperetur peccato illius, cum non cooperetur seminationi extra vas, sed tantum copulae incoeptae, quae per se omnino utrique est licita». L. l. 6., n. 947. — 3°. Idem probatur auctoritate aliorum gravissimorum Theol.; ita enim sentiunt Sanchez, Tamburini, Sporer, Pontas apud S. Alph. l. c. et D.nus Bouvier in Supplem. ad Tr. de Matr., quibus addi potest doctissimus Struggl de Matr. n. 83. tertio. — 4°. Quia, si mulier ab actione viri se retrahentis dissentiat, nonnisi actioni licitae ipsa vacat, et praecise quatenus in eo actu utitur matrimonio, utitur iure suo: nihil enim facit, nisi quod posito matrimonio, licite facere potest. Propter viri malitiam iure suo privari non debet; vir enim ad eam accedens et vas penetrans non peccat; sed tantum se retrahendo et semen extra vas effundendo, cui actioni mulier nullo pacto *participat* et *cooperatur;* sed ea unice a viri malitia est. Nemo autem ratione etiam charitatis tenetur cedere iuri suo, cum hoc non sit absque notabili incommodo, ut alter peccatum vitet, quod *unice* ab eius malitia dependet. Dicitur nullo pacto *participat* et *cooperatur;* nam reapse mulier dumtaxat *permittit* viri peccatum, debitum ipsi non denegando. Aliud sane est *permissio* peccati, aliud proprie loquendo *cooperatio.* Peccatum profecto viri non est in copula legitime incoepta, sed in cessatione ab ea et retractione, cui mulier nullo modo cooperatur. — 5°. Postremo si gravis causa desideretur, profecto necesse non est, ut adsit gravis causa *extrinseca,* sed sufficit causa *intrinseca:* grave enim per se est mulieri, quae nupsit, ut opus coniugii exerceret, diu abstinere, et sic privari iure suo in re omnino gravi. Caeterum in praxi causae etiam extrinsecae graves fere semper habentur, v. gr. timor fundatus graviter viro displicendi, et pace in vita coniugali carendi, etc. Gury Cas. Cf. hic n. 136. 2. n. 1106.

127. *An requiratur necessario monitio ex parte mulieris, ut haec licite viro onanistae debitum reddere possit?*

R. Monitio ista in casu nonnisi duplici de causa fieri *potest* et *debet:* 1° ut constet viro de dissensu mulieris, ne vir animosior fiat in sua perversa agendi ratione; et hac de causa non necessario facienda est verbis formalis monitio, si marito aliunde moraliter constet de dissensu uxoris, puta ob sinceram displicentiam et repugnantiam, quam ipsa ostendat in ea actione. 2°. Causa est, ut vir a peccato retrahatur, ratione charitatis, qua uxor in eo casu adstringitur erga maritum, et certo hac de causa facienda monitio

est, si ea profutura prudenter iudicetur; si vero certo iudicetur eam nullo modo profuturam, sed potius nocituram, omittenda quidem est talis monitio; quia unum peccatum impedire volens in causa tunc esset, quod alia etiam patrarentur puta blasphemiarum in Deum, iniuriarum in confessarium, in sacramenta etc. L. l. 6. n. 944.

128. *An mulier teneatur reddere debitum marito onanistice matrimonio utenti?*

R. Negative, saltem *per se loquendo*, et ratione iustitiae. Ratio est, quia uxor matrimonii contractu non se obligavit, nisi ad matrimonii usum, per se aptum ad generationem. Idem S. Alph., qui loco citato docet tanquam *probabilius* mulierem *posse* et *teneri* ad reddendum debitum; addit tamen, probabiliter posse et teneri negare debitum, si possit sine gravi incommodo, stante ergo probabilitate utriusque sententiae mulier *potest*, sed non *tenetur* reddere debitum. Dicitur autem *per se loquendo*, et *ratione iustitiae*, quia si id occasio esset marito indignationis, dissidii ac aliorum graviorum peccatorum, secluso gravi uxoris incommodo, tunc *ratione charitatis* tenetur ad debitum reddendum. L. l. 6. nn. 947. 944. Insuper teneretur etiam uxor debitum reddere, si vir monitus promittat se perfecturum esse actum, et illum saltem quandoque perficiat; nam in dubio abusus ius certum denegari non potest. Sporer, de Matr. 513.

129. *An uxor debitum a viro onanista petere possit?*

R. Affirmative, si gravis adsit causa. Ratio est, quia ius habet ad copulam, et ratio sufficiens adest cooperationis vel potius permissionis peccati alterius. Gravis autem causa est ex S. Alph. l. 6. n. 947. « Si ipsa esset in periculo incontinentiae, vel si alias deberet privari suo iure petendi plus quam semel vel bis, cum perpetuo scrupulo, an ei sit satis grave incommodum vel non se continere ». Et secluso scrupulo, certe grave incommodum est pro muliere nupta, quae ad hoc nupsit ut exerceret opus coniugii, diu abstinere et in statu coniugii continentem ducere vitam. Ac, ut patet, semper regulariter adest gravis causa vel *extrinseca*, vel saltem *intrinseca*. Caeterum Theologi relati in superiori responsione n. 126, universim affirmant licere uxori et *reddere* et *petere*, quia, ut aiunt, cum mulier *reddit aut petit*, dat operam rei licitae, nec ipsa propter malitiam viri debet suo iure privari. L. l. c.

130. *An peccet uxor consensum internum voluptati praebendo, quando actum coniugalem viro onanistae permittere potest?*

R. Negative, modo assensum peccato viri non praebeat. Ratio est, quia cum minime peccet actum huiusmodi permittendo, neque peccat voluptatem ex ea provenientem admittendo, quamvis praesciat virum copulam non esse perfecturum; actus enim ille est in

se honestus et licitus mulieri, et per eam non stat quominus debito modo perficiatur. G. v. 2. n. 926.

131. *An peccet uxor, si postquam maritus onanista se retraxerit copula imperfecta, ipsa se excitet ad actum perficiendum, vel irritata iam delectetur in subsequente pollutione?*

R. Affirmative; nam ille actus est vera pollutio, cum recedente marito non sit amplius ad copulam referibilis, tanquam copulae maritalis complementum; maritus enim recessit, copula imperfecta. L. l. 6. n. 909., Tamburini Expl. Decal. l. 7. c. 3. n. 19., Struggl de matr. n. 91.

Recentiores auctores sunt, qui, cum actus coniugalis ex viro se retrahente non completur, illum mulieri permittunt seminatione postea complere, si id antea non fecerit in ipso actu copulae. Ratio, quia actus legitime inceptus ad debitum finem perduci potest Sed haec ratio contrarium probat. Nam, si vir non seminavit, ille mulieris actus iam ad debitum finem perduci non potest, et veram habet pollutionis rationem.

132. *An peccet uxor, si in ipso initio copulae vel in eius continuatione se excitet, ut seminet, cum sciat maritum onanistam copulam minime perfecturum, in eaque delectetur?*

R. 1.° Si ea excitatio, et seminatio *naturaliter* proveniat immediate post initium copulae vel in ipsa copulae coniugalis continuatione, nullo pacto peccat; si quidem mulier operam dat rei licitae copulam cum suo marito inchoando, eamque continuando.

Si *naturaliter* ob naturam excitatam sequitur seminatio, haud ista est tunc de se illicita, adeoque et in ipsa seminatione operam dat mulier rei licitae; siquidem totus iste actus de se ordinabilis est et referibilis ad copulam coniugalem perficiendam, et ad generationem. Si vero actus iste absque suo naturali et necessario complemento manet ex culpa non est uxoris, sed exclusive mariti, qui in eo casu copulam consummare deberet, et cum id posset ipsemet non vult. Unde non videtur quod mulier teneatur positivo conatu seminationem impedire, eaque *naturaliter* secuta, in ea non delectari, quod ipsi matrimonium quam maxime onerosum redderet, eamque pluribus anxietatibus obnoxiam efficeret, siquidem in perpetuo et gravissime peccandi periculo versaretur.

2.° Maior videtur difficultas, si mulier naturaliter non excitaretur, sed ipsamet, ne ea voluptate privaretur, qua constanter carere durissimum ipsi foret, ex industria se ad seminationem usque sese excitaret. Attamen neque in hoc casu videtur graviter peccare mulier siquidem operam dat rei, quae de se non est illicita et generationi contraria, et rationem quam gravissimam habet id efficiendi, si ob magnam inclinationem in eam rem, deberet ea voluptate privari

quod matrimonium ipsi onerosum efficeret. Tota in ea re turpitudo ab extrinseco est ex mariti malitia rem non perficientis, ut in 1° iam observavimus.

133. *Nota:* Quod superioribus quaestionibus dictum est de uxore habente maritum onanistam, qui se retrahit, incepta copula, et semen diffundit; de uxore pariter dicendum videtur maritum habente, qui immediate ante copulam, uti generationem impediat, solus se polluit, et deinde statim copulam habet. Quod facilius admitti potest ex hoc capite, quod nempe non obstante praevia pollutione, adhuc possit in ea copula, quam aggreditur semen effundere, cum fere statim semen in testiculis reproducatur, vel pars aliqua seminis remaneat. Experientia enim constat, posse viros, semel et iterum et tertio successive se polluere, brevissimo temporis intervallo interposito. Longet loc. cit. pag. 125.

134. *An foemina, quae sterilitatem in se procuraverit medicatis potionibus, vel alio modo, possit deinde pergere in petendo et reddendo debitum?*

R. Si *mere sterilis* evaserit, licet graviter peccaverit id ex industria efficiendo, quia data opera impeditur semen a suo naturali fine generationis, quod contra naturam est; adhuc tamen potest et reddere et petere debitum, ut aliae omnes naturaliter steriles, quia iste actus eiusdem est naturae sive sterilitas ex ipsa natura sive ex arte processerit. — Si vero effecta fuerit *impotens*, evidens res videtur, quod nequeat aliud facere, quam illos dumtaxat actus imperfectos exercere, qui in casu impotentiae coniugibus permittuntur. Ratio est, quia copula perfecta ex parte viri, quando ea est physiologice impossibilis ex parte foeminae, est essentialiter contra generationem, et habet veram naturam pollutionis, cuius malitia est in frustranea seminis effusione ex natura ipsius actus.

Si id liceret, quia actus ex natura sua non est contra generationem, liceret sane viro etiam, quando peragit copulam, uti *praeservativo* ne semen vaginam praetergrediatur, et uterum penetret, ad impediendam generationem, liceret foeminae adstringente substantia uti, ne sperma ex vagina ad uterum pertranseat. Nam quod generatio impediatur hoc vel illo modo, transeunte modo, vel permanente, nonne semper est generationem positive impedire, nonne semper actus ille ex sua natura contra generationem est?

Nihilominus moderni sunt auctores, qui affirmant, quia, stante iam matrimonio, coniuges habent ius ad illum actum. Sed hoc revera esset probandum, cum ille actus sit contra generationem, et habens veram naturam pollutionis ex parte viri. Atqui, instant, pollutio ille actus non est; quia pollutionis malitia est in completa voluptate quaesita extra copulam. Verum intrinseca ma-

litia actus pollutionis nullo pacto ex voluptate desumi potest, cum ea de se intrinsece mala non sit, sed ex intrinseco fine illius actus, qui est generatio, et cui opponitur, unde actus *contra naturam est.*

Eadem est quaestio, uti patet, si non foemina, sed vir, post valide contractum matrimonium, fiat impotens, an possit copulam habere cum uxore. Etiam hic sunt duae sententiae.

Affirmat Laymann L. 5. tr. 10. part. 4. cap. 11. n. 3. inquiens: « si post contractum matrimonium aliquis eunuchus factus sit, copulam imperfectam cum emissione non veri seminis exercere non prohibetur, sicut docet Tolet. lib. 7. cap. 16. num. 4., Sanchez lib. 7. disp. 102. n. 7. Quia licet tales matrimonium contrahere nequeant, contracto tamen, *uti eis licet, quatenus id fieri potest* ». Sed haec est difficultas practice: *an uti eis liceat, quatenus id fieri potest.* Sane uti eis licet, si actus remaneat ex parte viri et foeminae incompletus; quia nihil fit contra generationem; sed non, quando actus iam positive generationi opponatur, et pollutio habeatur consequenter ex parte foeminae — Si talis actus viri, cui perfecte amputati sunt ambo testiculi, post matrimonium, valide initum, licitus est; ergo dicendum est non esse actum contra naturam, seu contra generationem. Et si non est contra bonum prolis, cur talis vir non poterit tunc, mortua eius uxore, aliud contrahere validum matrimonium?

Sanchez autem l. c. n. 6. 7. duas refert sententias. Prima negat. Etenim « videtur tunc non licere copulam; quod foemina verum semen emittat, idque debito generationis fine frustetur, deficiente virili semine ». Secunda, cui adhaeret idem Sanchez affirmat; « quod vir ille iure suo utatur vacans actui coniugali, quem matrimonium permittit ». — Sed de hoc iure praecise tota quaestio est, an adsit, cum etiam in hoc alio casu actus ille totus positive contra generationem, sit; et ex parte mulieris actus ille naturam induat pollutionis.

Instatur, a modernis doctoribus, in muliere non dari pollutionem, sed tantum completam delectationem veneream. Verum, si admittatur haec doctrina, non apparet sane, quomodo in muliere uxorata, ea completa delectatione, esse possit grave peccatum. Nam simplex delectatio venerea coniugibus graviter illicita non est. Ac, ut ipsimet moderni doctores aiunt, et bene, ex communi doctrina: « grave peccatum in coniugibus id solum est... quod est voluntaria pollutio, sive solitaria sive onanismi et sodomiae crimen... Aliae actiones omnes *in se*, seu *considerata earum natura*, coniugibus licitae sunt, et peccata fiunt, *si ob solam voluptatem, vel cum praeviso pollutionis periculo, sine* iusta causa exerceantur » Praeterea addunt: « delectatio venerea incompleta specie non dif-

fert a completa » Et ratio eorum est, quia « circumstantia pollutionis speciem peccati non mutat ». Et consequenter deducunt: « si foeminae sive de delectatione venerea, sive de tactibus impudicis se accusant, non sunt ulterius interrogandae, num sint pollutae ». — Sed consequenter etiam deducitur in foemina uxorata nunquam dari grave peccatum in re venerea, re *in se*, seu *secundum eius naturam* considerata, relate ad foeminam matrimonio coniunctam. Haec vero conclusio repetititis Sacrae Poenit. responsionibus cohaerere non videtur. — Cf. num. seqq. 135. 136. 153.

Articulus Quintus

De copula inchoata coniugum et non consummata

135. *An citra grave peccatum consuli possit vel saltem permitti coniugibus, qui statu ordinario et naturali reperiuntur, qui tamen mutuo consensu determinati sint nullos ex coniugio suscipere filios, copulam inchoare et abrumpere ; idque ad gravissimum onanismi peccatum vitandum?*

R. Proposita quaestio dupliciter considerari potest *speculative* et *practice*. Quaestio *speculativa* generatim iam pertractata est n. 28. 3°. Si vero quaestio practice fiat, respondendum simpliciter est: Negative. Nam, si coniuges illi in statu *ordinario* et *normali* sunt, adeoque sint in iuvenili adhuc aetate, et calidioris naturae, moraliter loquendo, fieri nequit, quin *semper* vel *saltem ordinarie* sequatur pollutio. Cf. l. c. Hinc S. Alph. l. 6. n. 918., « sapienter, ait, advertit Sanchez cum Veracruz, id (i. e. incoepta copula, cohibere seminationem) *ordinarie* esse mortale, quia *ordinarie* adest periculum ex tali retractione effundendi semen, *nisi coniuges experti sint oppositum* ». Idemque S. Doctor, ib. n. 941., « periculum, inquit, incontinentiae, ut bene advertit Coninck, vix non aderit, si in eodem toro coniux habitet, et alter debitum petat ». Neque vero obiicere valet, quod nonnulli opponunt, illam copulam ex intrinseca sua natura non esse saltem graviter illicitam, cum sit actus incompletus de se *quam proxime ordinabilis* ad actum completum maritalis copulae. Nam ille actus est *de se* ob hanc eamdem rationem gravis, imo gravissima, causa effusionis seminis, adeoque *pollutionis*, si copula abrumpatur. Quare tunc tantum ille actus licebit, quando ob peculiares dispositiones subiectivas idem ille actus cessat *graviter* influere in pollutionem. Cfr. hic n. 28. 3°. et n. 96., Elbel de matr. n. 429.

136. Caeterum subiiciuntur hic nonnullae gravium theologorum resolutiones, ut unusquisque per seipsum rem diiudicet; quibus praeterea, et hic et superius expositae doctrinae confirmantur.

Sporer. 500.: « Titia uxor iuvenis, iovialis et calidi genii, maritum habet iam iam septuagenarium, aliquot tamen ex ipsa liberorum patrem, attamen iam senio confectum, omnino impotentem; amant tamen invicem. Maritus amans, quia aliter non potest, rem tactibus agit. Titia patitur, et inde polluitur *semel*, *bis*, *ter:* anxia rogat opem: hinc Deum et peccatum timet; illinc maritum amat, carnis stimulos patitur peracres. Quaeritur, an nihil, vel quid remedii supersit? Respondet Gobat his omnino verbis: respondeo ex iam dictis, cum illi tactus videantur practicari *ordinarie* sine pollutione, tametsi haec *quandoque* sequatur praeter directam utriusque intentionem, cum deinde appareat fieri non ex mera libidine, sed ad testandum, fovendumque amorem coniugalem, qui caeteroquin facile frigescit in tam impari coniugio, ideo ex sententia Sanchez et Filliuccii non videri delinquere mortaliter illis tactibus. Confirmo auctoritate Dianae, qui absolute et sine limitatione respondit consultus, non peccare coniuges, qui in signum amoris coniugalis *se amplectuntur*, quamvis praevideatur secutura pollutio, quia affectus coniugalis est sufficiens causa talem actum excusans. Sic testatur ipse part. 6. Res. 207. in Tr. 6. Hactenus Gobat ».

Diana Tr. 6. de Sacr. matr. R. 205.: « An, *cessante in utroque coniuge pollutionis periculo*, non peccet maritus mortaliter, si coeptam copulam ante seminationem abrumpat, ne proles generetur, modo id faciat uxore consentiente aut non rationabiliter invita; *dummodo mulier etiam non seminet*, *alioquin maritus seminare debet, ne alterius semen frustra effundatur?*

Communiter notant Doctores, *cessante in utroque coniuge pollutionis periculo,* non peccare maritum mortaliter, si coeptam copulam ante seminationem abrumpat, ne proles generetur, modo id faciat uxore consentiente, aut non rationabiliter invita. Imo si iusta causa adsit impediendi seminationem, v. g. ad paupertatem, ac multitudinem prolis, et nihilominus concumbendi *ad sedandam concupiscentiam*, omnem culpam abesse, si mutuus consensus accedat, *dummodo etiam mulier non seminet,* alioquin etiam maritur ordinarie seminare debet, ne alterius semen frustra effundatur. Ita Laymann, et ante illum Sanchez T. 3. l. 9. disp. 10. n. 3. ita asserens. Ubi causa iusta est, ne v. g. seminatio noceat saluti, vel coniuges sint pauperes, et prole abundant, quam non sunt alendo, et habeant similem copulam, *sine seminationis periculo*, quo concupiscentiam sedent, nullam invenio culpam. Haec ille. Unde non erunt damnandi etiam de culpa veniali coniuges infirmi, qui *ad sedandam concupiscentiam* inciperent copulam, et voluntarie illam minime perficerent, et hic casus frequenter potest accidere ».

Et R. 207: « Quidam inchoabat copulam cum uxore, et postea

ob morbi periculum ex eius consensu se retrahebat, verum ex hoc *aliquando* sequebatur pollutio, quaesitum a me fuit, an talis actus esset licitus? Respondi affirm., quia non est peccatum dare operam rei licitae, et actioni honestae, quamvis praevideatur secutura pollutio, dummodo absit periculum consensus, ut erat in casu, de quo interrogatus fui; quia tunc pollutio non est in se volita, ut supponitur, neque dici potest volita in causa, quia non teneor illam actionem omittere, ne sequatur pollutio, stante iusta causa. Ergo »...

Struggl. Tr. XII. de matr. q. 2. a. 7. n. 89.: « Infertur tertio posse uxorem debitum *petere,* et *reddere, etsi sciat,* maritum *solere* copulam abrumpere et semen effundere, dummodo illa non consentiat, nec cooperetur; quia sic pollutio non sequitur ex actione uxoris, sed ex malitia viri: ut advertit Sporer l. c. cum aliis. Ubi pariter cum aliis docet, posse neo-coniuges conari perficere copulam, quamvis *praeter intentionem saepius* contingat maritum extra vas uxoris semen effundere. De qua materia fusius agam inf. quaest. 3. a. 11. de imp. impot. n. 145. Eodem modo maritus *senex* habens uxorem *iuvenem,* quam ordinarie cognoscit sine pollutione, potest ex affectu coniugali exercere actum coniugalem, et talis uxor hunc petere, etsi *quandoque per accidens* et *praeter intentionem* utrius ob frigiditatem viri sequatur pollutio; ut cum Sanchez, Filliuccio, et Gobat, docet Sporer l. c. n. 500. Ratio huius est, quia affectus coniugalis et huius conservandi necessitas potest illos excusare ab omni culpa aut saltem culpa mortali. Quarto: Coniuges non peccare mortaliter, quando, *cessante omni periculo pollutionis in utroque coniuge,* ex mutuo consensu inchoatam copulam abrumpunt, ne proles generetur, sive ob inopiam, sive ob aliam causam; ut cum Caietano, Paludano, Armilla, Sa, Sanch. et pluribus aliis vult Sporer, l. c. n. 490. Ratio huius est: quia talis vasis feminei penetratio, *absque seminatione, et subsequo pollutionis periculo* reputatur instar tactuum partium pudendarum, qui coniugibus permissi sunt; ergo talis abruptio copulae inchoatae absque periculo pollutionis est licita, aut solum venialiter peccaminosa. *Si autem uxor iam seminavit, adeo excitata per copulam mariti, iste mortaliter peccat,* data opera desistens ante suam seminationem, ut advertit Sanch. l. 9. disp. 19. n 4. Sed satis probabiliter contradicunt Sylvester, Henriquez, et alii. Imo Diana 3 p. res. 37. putat licitum esse marito ob morbi periculum cum consensu uxoris abrumpere copulam, etsi per accidens sequatur pollutio. Hae tamen benigniores sententiae mihi videntur restringendae pro maiori rata periculi pollutionis aut plene consensus in illam; ut cum aliis bene advertit Sanchez. disp. 19. n 3. ».

Caietanus in 2. 2. q. 154. a. 1. quaest. 5. par. *Ad hoc dicitur:* « quemadmodum, viro seminante extra vas debitum, *peccatur contra*

naturam, quia materia partialis contrariatur naturae: *ita, femina seminante absque commixtione cum virili semine, peccatur contra naturam;* quia partiale obiectum naturale voluntarie omittitur, scil. semen virile. Secus autem esset, si vir *ex impotentia temporali* concubans *cum spe et conatu ad seminandum*, sicut accidit cuidam, qui ex prima uxore genuerat, et cum secunda concumbens non poterat seminare per multos annos. Hic enim ex consilio bonorum continue sic reddens debitum, tandem post sex annos genuit ex illa. Et revera non peccavit, quoniam semper actum naturalem consummare intendebat ».

CAPUT QUARTUM

De usu matrimonii

137. Diximus potissimum in superioribus capitibus de peccatis extra usum coniugii; dicendum nunc est de peccatis intra ipsum coniugii usum. Quare dicendum primo erit de liceitate huius usus, attentis eius intrinseca natura et extrinsecis circumstantiis, et deinde de iure quoad ipsum et de consequenti obligatione.

Articulus Primus

De intrinseca natura usus matrimonii

138. Usus matrimonii dupliciter considerari potest, physice et moraliter; physice vero et moraliter inspectus dupliciter adhuc considerare potest pro duplici circumstantia physice afficiente praedictum usum, extra nempe casum impotentiae, et cum impotentia adest ad eum actum perficiendum.

139. Si usus matrimonii physice et moraliter consideretur quoad sui liceitatem, habetur ipse per coitum viri et mulieris, matrimonii vinculo praecedente, et per emissionem seminis viri in vas naturale mulieris eiusque retentionem; ita ut generatio sequi possit; sive mulier etiam seminet sive non. Ratio 1^{i}. est, quia naturaliter impossibilis est generatio prolis, quae est finis primarius matrimonii, nisi semen virile immittatur et retineatur intra vas naturale mulieris. Ergo copula coniugalis et licita necessario debet fieri cum *immissione* et *retentione* seminis intra vas naturale mulieris. Ratio 2^{i}. est, quia naturaliter etiam impossibilis est generatio, si licet virile semen immittatur et retineatur intra vas naturale mulieris, h. e. intra vaginam, instrumento tamen aliquo adhibito, impediatur, quominus in uterum perveniat. Ergo illa seminis immissio et retentio talis esse debet, ut ex ipsa possit naturaliter sequi generatio. Ra-

tio 3" est, quia mulieris semen ad generationem absolute necessarium non est. Compertum enim hodie est verum prolis germen mulieri inesse; sed istud consistit non *in mulieris seminatione*, uti dicitur, seu in emissione humoris vulvovaginalis, sed in ovulo ab ovario secreto, superficiei ipsius adhaerente, quod paulatim excrescit, donec maturus ex se, etiam absque coitu, decidat; quod potissimum contingit menstrui tempore, et sic decisum, si adhuc aptum sit, nihilque aliud obstet semine virili fecundatur, et proles tunc concipitur. — Hinc indicium certum aptitudinis ad fecundationem in muliere habetur ex praesentia menstruorum, cum menstrua perfecte respondeant ovulationi; etsi absentia menstrui non possit semper esse indicium certum incapacitatis ad fecundationem, quia plura exempla contrarium ostendunt.

140. Corollaria: 1°. *Si*, copula incoepta. « *foemina iam seminaverit*, vel sit in probabili periculo seminandi, non potest quidem vir data opera a seminatione se retrahere sine gravi culpa, quia tunc ipse est causa, ut semen uxoris prodigatur ». L. 918., Billuart de Matr. Diss. 4. ant. 3. initio Cfr. hic n. 136. — Si autem vir iam seminaverit, an foemina lethaliter peccet, si se retrahat a seminando, controvertitur inter Theologos. Alii affirmant, quia saltem semen mulieris valde confert prolis certitudini et perfectioni, cum ad hoc saltem fuerit a natura institutum. Alii vero communius et probabilius negant, quia semen mulieris non est necessarium ad generationem. Neque vero obstat, quod semen foeminae conferat perfectioni prolis, nam non tenentur coniuges ad convenientiorem modum generandi, sed satis est, si generationi non obstent. L. ibid.

Circa primam conclusionem, moderni auctores aiunt rationem S. Alphonsi falso niti supposito, nempe frustrari semen mulieris. Verum praedicta ratio falso non innititur supposito. Nam illa seminatio mulieris licet non sit ad generationem necessaria, nihilominus si est, *ad generationem* est *ab ipsa natura intrinsece ordinata;* unde est, ut illi ipsi auctores cum aliis conveniant, quod reddat faciliorem et certiorem generationem, ac quia ad generationem ab ipsa natura est destinata, copula ex parte viri iam consummata, potest mulier, si actum non complevit, seminare et actum complere. Quare si, post mulieris seminationem vir simul non seminet, mulieris seminatio omnino frustratur contra ordinem naturae, et omnino contra generationem.

2°. Necesse non est utrumque coniugem seminare simul. Et enim « cum absque *eo semine (foeminae)* nedum ubi non simul, sed post effunditur, generatio sequatur, nullum praeceptum constringit ad pariter effundendum » Sanchez l. 9. disp. 17. n. 9 Nec iterum obstat, id generationi convenientius esse, quia ut modo dictum est,

« non tenentur coniuges convenientiorem ac faciliorem generandi viam eligere, sed satis illis est, si generationi non obstent ». Sanchez l. c. Quare, si vir se retrahit post propriam seminationem, sed ante seminationem mulieris, potest ista statim tactibus se excitare, quia ista mulieris seminatio pertinet ad complendum actum coniugalem. Itemque potest mulier immediate, *in ipso copulae initio*, per ipsam seminationem se praeparare ad illam perficiendam, quia ista mulieris seminatio pertinet tunc ad inchoationem copulae, eamque reapse, ut medici et experientia testantur, faciliorem saepe reddat; ac licet non sit necessaria ad foecundationem, valde utilis tamen est, eam certiorem reddens.

141. *Nota:* Generatio locum habere potest absque ulla penis intromissione, sed sola spermatis praesentia in orificio vaginae. Quare, si ratione arctitudinis mulieris, vel ratione morbi, quo afficiantur generationis organa, nequit vir muliebre vas penetrare satis erit, ut semen ad vaginae os effundat et applicet, copula tantum inchoata. Dicitur, *si ratione arctitudinis, vel ratione morbi;* nam imperfectissimus hic congrediendi modus illicitus erit, si modo ordinario et naturali congredi possunt. Etsi enim non teneantur coniuges adhibere *extraordinariam* diligentiam, ut certius proles sequatur; tenentur tamen abstinere a modo congrediendi minus naturali, vi cuius generatio facillime inpediri potest, si naturali modo congredi possint.

An autem impotentia habeatur et matrimonium nullum sit, si vir, e. g. ex nimia caliditate vel frigiditate semen effundere non possit, nisi supra vulvam vel prope ostium vaginae, controvertitur. Alii affirmant, quia habetur revera potentia ad generandum. Alii negant, quia non habetur potentia ad generandum naturali modo. Ac secus, nimia caliditas, vel frigiditas impedimenta amplius matrimonii non essent, contra communem dd. sententiam et contra ipsa Iura. Acta S. Sed. vol. 4. pag. 196. 197. Cf. hic n. 152.

142. *An sit peccatum mortale partem seminis extra vas effundere?*

Haec Sanchez de matr. l. 9. D. 17. n. 12. 13.: « Voluntaria seminis effusio extra vas, aut is modus congrediendi ex quo illa sequatur, est manifestum scelus mortale contra naturam Quia adversatur fini generationis naturalis, ad quam natura ipsa semen destinavit.... Et hoc quidem accipiendum est, sive in toto actu coniugali sive in parte, aut in illius fine, totum semen aut pars illius extra vas fundatur. Ita Caiet. 2. 2. q. 154. n. 1. Quod tamen temperare oportet. Nam excusari potest vir a culpa, si praeter intentionem dum legitime congredi conatur, ex festinatione quadam semen extra effundit: etiamsi motu aliquali sic effundendi accesserit. Quia

id non vitio, sed naturae festinationi tribuendum est ». — Diana tr. 6. de matr. Res. 181. 185. 186. 187. — In emissione autem spermatis quam plura nemaspermata seu spermatozoa emittuntur, quorum unum tantummodo ad generationem sufficit. Ant. p. 108.

143. *Corollarium:* Hinc potest mortaliter peccare mulierem, quae semen conaretur eiicere, vel eius partem, post copulam habitam, licet hoc habeatur in iis circumstantiis in quibus sequi *forte* non potest, vel *ordinarie* saltem non sequatur generatio, v. g. tempore praegnationis. Tunc enim iam non sequeretur generatio ex ipso actu semen expellendi, adeoque actus iste utpote generationi contrarius *de se* mortalis est. Sporer de matr. 490. 514.

144. *An ob sterilitatem foeminae, quae concipere nequit, possit maritus se polluere extra copulam, ut deinde medicus collectum semen ope instrumenti introducat in uterum foeminae, idque in iis circumstantiis, iu quibus moraliter certum est, ut medicus ipse asserit, generationem secuturam?*

R. Id illicitum est, quia illa pollutio extra coniugalem copulam *de se* ad generationem nullo pacto tendit, imo contra generationem est. Quod autem generatio haberi possit, hoc est *extra intrinsecam naturam* illius actus, omnino ab extrinseco, et per accidens; accidit nempe ab extrinseco illi actui iam intrinsece malo. Nec obstat principium hoc: in coniugio licet, saltem citra grave peccatum quidquid contra generationem non est: nam verum est hoc tantum sensu, quod nempe graviter saltem illicitum non sit quidquid ex *intrinseca sua natura* generationem non praepediat. Cf. hic. n. 146., Sanchez. l. 2. d. 12. n. 2. de Matrim.; L. l. 6. n. 917. par. *Dicunt.*

Hinc, seclusa copula perfecta, illicita est *artificialis* mulieris *foecundatio.* S. O. 24. Mart. 1897. *Artificialis foecundatio,* qua nempe ars naturae substituitur, non qua natura arte mera adiuvetur.

Ars quidem naturae substituitur, si vir prius polluatur, et deinde semen ex ea collectum in vaginam instrumento aliquo immittatur. Natura vero nonnisi adiuvatur, si copula naturali modo prius peragatur, et deinde sive digitis sive syphunculo semen in vaginam iam immissum ulterius usque ad ostium uteri impellatur ad fecundationem certius obtinendam. — Illicita foecundatione secundum Sanchez, matrimonium consummatur. Ait enim: « Similiter conveniunt consummari matrimonium, quacunque arte semen recipiatur intra vas naturale, absque illius penetratione ». L. 2. d. 21. n. 2. Plures citat Sanchez auctores. Verum contrarium videtur dicendum. Nam illa faecundatio non fit *naturali copula.* Matrimonium enim ab ipsa natura est ordinatum ad copulam, et ad generationem per copulam, et *per copulam perfectam*, quae esse non potest sine illa penetratione, et seminis effusione ex parte viri *et foeminae.*

Et foeminae; nam si id antiqui plures theologi negabant, hoc ideo erat, quia existimabant « semen foemineum ad generationem necessarium non esse ». Sanchez l. c. n. 10. Sed, quia, tunc erat etiam oppositum probabile, ideo idem Sanchez l. c. 11. inquit: « Quare concludo esse probabile non consummari matrimonium, nisi etiam foemina seminet; quia ad matrimonii consummationem requiritur *copula, ex qua sequi potest generatio* ». Si igitur certum sit ad generationem ex parte foeminae ovulum requiri, ovulique foecundationem, consequenter dicendum matrimonium adesse non posse, si foemina perfecte careat ovariis, vel vaginam haberet imperviam, ita ut ovula foecundari non possint. Cf. hic n. 150.

145. *An peccet mortaliter vir inchoando copulam in ore, ut postea in vase debito eam consummet?*

R. Haec S. Alph. 235.: « Negant Sanch. etc., modo absit periculum pollutionis, sed verius affirmant Sporer etc., tum quia in hoc actu ob calorem oris adest proximum periculum pollutionis, tum quia hoc per se videtur nova species luxuriae contra naturam (dicta ab aliquibus irrumatio); semper enim ac quaeritur a viro aliud vas praeter vas naturale ad copulam institutum, videtur nova species luxuriae. Excipit tamen Sporer cum Fill. et Marchant, si id obiter fiat; et hoc revera sentire videtur etiam Sanch., dum excusat actum illum a mortali, si cesset omne periculum pollutionis. Excipit Pal. p. 4. par. 2. n. 6., si vir hoc faceret, ut se excitet ad copulam naturalem; sed ex praedictis neutrum admittendum puto ». Attamen sententia Sanch. non videtur omnino improbabilis; nam ad primam rationem quod attinet, non videtur verum adesse semper proximum pollutionis periculum, si obiter solum ore excipiantur illae partes. Quoad secundam vero rationem, quod nempe ille actus, actus sit inchoatus et de se tendens ad novam speciem luxuriae, probabilitatis limites non excedit, et idem S. Alph l. 3. n. 466. in fine, peculiarem hanc peccati speciem probabilius negat. Cf. hic n. 119.

146. *An peccet mortaliter vir inchoando copulam in vase praepostero, ut postea in vase debito eam consummet?*

R. « Negant Navarr., etc. modo absit periculum pollutionis; quia alias, ut aiunt, omnes tactus etiam venerei non sunt illiciti inter coniugatos. Sed communiter et verius affirmant Sanch, etc. Ratio, quia ipse huiusmodi coitus (etsi absque seminatione) sicut ipsa copula in vase naturali mulieris alienae est vera fornicatio, licet non adsit seminatio ». L. 916.

147 *Nota:* 1° « Sanch. damnat virum de mortali, qui in actu copulae immitteret digitum in vas praeposterum uxoris, quia, ut ait, in hoc actu adest affectus ad sodomiam. Ego autem censeo, posse quidem reperiri talem affectum in actu, sed per se loquendo hunc

affectum non agnosco in tali actu insitum. Caeterum graviter semper increpandos dico coniuges huiusmodi foedum actum exercentes ». L. 935. — 2° An autem sit mortale viro perfricare virilia circa vas praeposterum uxoris? Negant Sanch. et Boss. cum Fill. et Perez, quia tangere os vasis praeposteri non est ordinatum ad copulam sodomiticam. Affirmant Pontius, etc. atque Tamb., « qui testatur ex aliquibus codicibus sententiam Thomae Sanch. esse deletam: imo Moya asserit ipsum Sanch. se retractasse in editione Antuerpiensi 1614. Ratio est, quia saltem talis tactus non potest moraliter fieri sine affectu sodomitico ». L. 916.

148. *An cum vir non posset coire cum virgine teneatur tunc uxor pati scissionem claustri virginalis digitis aut alio instrumento, si opus fuerit?*

R. « Negant Pont. Pal. et Ledes. Hurt. ac Leand. ap. Escob. Ratio quia defectus ille non est foeminae sed viri; ergo non tenetur ipsa remedio uti, ut aptam se reddat, sed sufficit ut corpus suum tradat aperiendum, modo a natura instituto, non autem extraordinario. Sed probabilius affirmant Sanch., etc. Ratio, quia talis reseratio ex una parte bene potest fieri sine verecundia vel a viro, vel ab ipsa puella; ex alia parte molestia, quam ipsa in tali reseratione deberet pati, non videtur magna, nec extraordinaria, imo est omnibus ordinaria; unde cum foemina iam tradiderit viro ius ad copulam, tenetur hoc medio uti, ut se aptam reddat illi, qui ob suam debilitatem alias coire non potest ». L. lib. VI. n. 1100., Debreyne 2. p. ch. I. § 2.

Articulus Secundus

De Impotentia

149. Cum coniuges nequeunt copulam habere *per se* aptam ad generationem, *impotentia* habetur, quae, si matrimonium *praecedit* et *perpetua* sit, sive *absoluta* sit et erga omnes, sive *respectiva* et erga unum vel quosdam solummodo, dirimit matrimonium. Ratio est, quia validus esse nequit contractus, quando res promissa nunquam poterit praestari, iuxta regulam iuris: inhabilis ad solvendum est etiam inhabilis ad promittendum. Dicitur si matrimonium praecedat et perpetua sit; secus enim erit, si impotentia etiam perpetua connubio valide contracto superveniat, cum matrimonium semel valide contractum indissolubile sit; vel si praecedat quidem matrimonium, sed temporalis sit; haud enim est de ratione matrimonii, ut possit semper haberi copula perfecta, sed ut aliquando. Excipe tamen impotentiam aetatis impuberis, quae, ut patet, temporalis est; iure enim ecclesiastico matrimonium dirimit. Pubertatis nomine aetas

designatur, qua vir et foemina apti evadunt ad generationem. Pubertas in masculis est anno 14° aetatis, in foeminis vero anno 12°. — Sporer 525. et seqq., Milne Edwards t. 9. pag. 85.-89. 100. 104. 105.

150. *Nota:* Quatuor recensentur casus impotentiae in viris. 1.us est, si careant utroque testiculo, vel utrumque habeant attritum; quia seminis prolifici sunt incapaces. 2.us est, perfecta penis absentia, ita ut ne remaneat quidem parvula membri virilis extrema pars, quae possit saltem in exteriores mulieris partes genitales semen inferre. 3 us est, imperforatio penis, vel eius perforatio quae ad nullam perveniat interiorem cavitatem, ita ut humanum semen foras emitti non possit. 4.us est frigiditas, seu talis membri virilis debilitas, sive ex morbo, sive ex naturali alterius coniugis aversione, sive etiam ex maleficio nascatur, ut erectionem experiri nulla arte et remedio possit, nec vas foemineum penetrare, neque semen effundere valeat. Recenseri solet etiam a veteribus Theologis nimia caliditas, qua ita praepropere vir semen effundit, ut ipsam coniugalem copulam expectare nequeat, quod sane rarissime constituere potest verum impedimentum dirimens. Si enim prima vice accedens id non potest, admodum difficile est, quod, attentans secundo et tertio copulam, actum perficere nequeat. — Casus vero impotentiae perpetuae in foeminis tres potissimum recensentur: 1° absentia utriusque 2° absentia uteri et vaginae; 3° perfecta uteri et vaginae obliteratio. ovarii; - Generatim vero censetur perpetua impotentia, quae citra miraculum, vel peccatum, vel vitae periculum auferri non potest; hinc licet talis impotentia auferatur, matrimonium nihilominus fuit nullum, adeoque iterandum. - Debreyne l. c. § 1., Milne Edwards t. 8. pag. 383., t. 9. pag. 21. etc., Sanchez de Matr. l. 7. D. 92. n. 1. 7., Reiffenstuel L. 4. Decret. Tit. 15. n. 3.

Plures sunt moderni auctores, qui tenent perfectam absentiam uteri et ovariorum, necnon vaginae occlusionem non constituere impedimentum impotentiae in muliere. Innituntur potissimum in eo quod matrimonium sit etiam in remedium concupiscentiae. Utique in remedium concupiscentiae, sed quod natura prius iam praesupponit matrimonium, quod principaliter et essentialiter propter generationem est. Illud enim remedium in quanam alia re quaerendum est, nisi in matrimonio? An aliter quaerendum est quam coniugali actu? Praesupponitur ergo matrimonium, et consequenter *naturalis ad matrimonium potentia*, quod ad generationem natura sua est institutum.

Neque vero valet dicere sufficere *potentiam ad coeundum* et *non etiam ad generandum prolem;* nam hoc est probandum. Coitus non est finis matrimonii, sed naturale medium ad suum essentialem finem, ad generationem. Ac si impotentia ad generationem esset ex parte mulieris, iam in contractu matrimonii aequalitas deesset, nam

vir traderet eam potentiam, sed mulier eam vicissim tradere non posset. Egregie Emmus. Card. Gasparri, in suo Tr. de Matr., Parisiis 1891., vol. I. pag. 119. num. 205., definitionem explicans matrimonii ait: « Vitae consuetudo significat in primis *ius mutuum cum relativa obligatione* in corpus alterius in ordine *ad prolem generandam et educandam*, SEU IUS COEUNDI, *ut dicunt*,... Proinde matrimonium *utrique parti affert ius cum relativa obligatione* exclusivum et perpetuum in corpus alterius *in ordine ad prolem generandam et educandam* ». Ac, si matrimonium valet cum muliere impotente ad generationem, cur tunc non valet etiam matrimonium cum viro impotente ad generationem, cum eunucho, cum spadone? Hi enim matrimonio bene uti possent non quidem in generationem, sed in remedium concupiscentiae, in voluptatem capiendam. Sed opponitur: non posse illos maximam et plenam voluptatem capere ex matrimonio. Verum, num voluptas est finis matrimonii? Ac, si illi plenam non possunt capere voluptatem, capiunt tamen tantam quantam capere possunt, et hoc pro ipsis omnino sufficit in remedium concupiscentiae, si, ut sit matrimonium, sufficit, ut aiunt quod sit *ad concupiscentiam coercendam*, vel potius satisfaciendam. Castratio seu ablatio utriusque testiculi, inhabilitatem ad generationem perpetuo adducit, minime vero inhabilitatem ad copulam, neque secum fert absentiam venerei sensus.

Postremo plures utique sunt moderni auctores, qui communi antiquorum doctorum sententiae refragantur, sed plures etiam sunt moderni doctores, qui eam adhuc tenent, et rationibus sustinent.

R. P. Lehmkuhl in recentissimo suo Compendio Theol. Mor. ann. 1907, num. 1019. matrimonium definit: « Individua maris et feminae consociatio, QUA MUTUO COMPLENTUR *ad constituendum iure* UNUM GENERATIONIS PRINCIPIUM ». Et num. 1052 *impotentia*, ait, « ad copulam consummatam, *seu ex sese ad generandum aptam, inhabilem reddit*... *Sterilitas* distinguitur ab *impotentia*, supponit possibilitatem copulae; at *proles non generatur*, quia sive ex parte virilis seminis, sive ex parte mulieris aliquid obstat, *quominus semen virile* OVUM MATERNUM *foecundet* ». Et num. 1054. inquit. « Num censeatur impotens, quae caret utroque ovario vel etiam utero, disputatur. S. Officium quidem interrogatum, *num mulier, per utriusque ovarii excisi defectum sterilis effecta, ad matrimonium ineundum permitti valeat, ac liceat*, d. 3. febr. 1887. respondit: *Re mature diuque perpensa, matrimonium mulieris, de quo in casu, non esse impediendum.* Idem d. 30 Iul. 1890. *de excisis ovariis et utero* respondit. Verum in casibus illis *non constabat de completa excisione*, nec de absoluta concipiendi impossibilitate ».

« Si mulier, ait Noldin ed. a, 1908, de Matr. n. 577., caret

utroque ovario vel utero, impotentia habetur. Hodie quidem complures theologi opinantur, non esse impotentem, sed sterilem mulierem, quae utroque ovario vel utero caret. Nimirum impotentiam non inhabilitatem generandi, sed inhabilitatem coeundi definiunt; sed theoretice *omnino retinenda videtur sententia olim communis,* quia ex mente auctorum *certum videtur, ibi adesse impotentiam, ubi adest inhabilitas ad copulam ex se aptam ad generationem.* Cum tamen doctores inter se disputent, num validum sit matrimonium initum cum muliere ovariis carente, et ecclesiastica auctoritas hanc quaestionem nondum definierit, S. Sedes nuper adhuc edixit practice opportunum non videri processum instituere ad nullitatem matrimonii declarandam ex defectu ovariorum in muliere. S. O. 10. Dec. 1905 ».

Mihimetipsi declaratum fuit ab Emmo. Cardinali Parocchi S. Officii Secretario datas Responsiones referri dumtaxat ad particulares casus, et supponere posse adhuc *per se* in illis casibus sequi generationem. Certum quidem est, aliquando habitam fuisse praegnationem, ablatis ovariis, quia iuxta methodum operatoriam adhibitam, operatione nempe per vaginam peracta, ablatio non fuit certo totalis, aut, si totalis, adfuit ovarium supplementare. Ant. v. p. 148. 154. 155. Eidem opinioni unanimi Congressus sententia adhaesit Emus Cardinalis Aloisi Masella Pro-Datarius. Et nuper Emus Cardinalis Di Pietro, nunc Datarius, d. 18. Maii 1908. petitae dispensationi ab impedimento consanguinitatis in primo gradu mixto cum secundo lineae collateralis, unanimi etiam Congressus sententia, respondendum iussit *Negative,* propterea quod haec adducebatur causa: « Infirmitas physica oratricis, quae operationem chirurgicam passa est, *quae ad concipiendum redditur inhabilis* ». Cf. Institutiones Morales ed 5. n. 994. 995., Append. n. 958.; Cas. Consc. ed. 5. vol. 2. n. 146.

Cum tamen apparatus genitalis viri sit totus apparens et sensibilis; apparatus genitalis foeminae nonnisi ex parte apparens et sensibilis sit, *ex ipsa institutione naturae*, Deus forte *hac ipsius naturae constitutione* copulam maritalem permittit, quin ulterius et intimius fiat inquisitio de intrinseca vi illius copulae in ordine ad generationem. Et non est dubitandum, quin pluries mulieres, quae matrimonium ineunt, et quae *steriles* deinde reperiuntur, forte *steriles* sunt, quia *impotentes*, occulta manente eorum *impotentia.* Inde facile consequitur matrimonium in huiusmodi casibus *non esse impediendum.* Ac, cum Summus Pontifex bene declarare possit dubia ad naturalem legem pertinentia, poterit profecto tale dubium etiam declarare, si necessarium et opportunum ipse ita iudicet.

151. Coroll. I°. Impotentes non sunt qui carent uno tantum testiculo, quia penetrare et semen prolificum emittere possunt. — 2° Im-

potentes habendi non sunt, generatim loquendo, senes, qui etiam in provecta aetate et penetrare et semen effundere possunt, ut de pluribus constat, qui anno aetatis suae 80. 90. et etiam 100. prolem genuerunt. Ac congredi ipsis licet, quamvis aliquando semen per accidens effundatur, L 954. 1067. Cf. hic n. 136. — 3°. Impotentes non sunt mulieres steriles, quia, etsi non concipiant, possunt tamen perficere actum *de se* aptum ad generationem. Possunt enim penetrari per maritalem congressum, et semen virile recipere. Quod autem generatio non sequatur, per accidens est. Sterilitas nunquam haberi potest tanquam absoluta et perpetua. Mulier sterilis esse potest per plures annos. et foecunda deinde evadere, Debreyne p. 281. Sterilitas ergo nonnisi in accidentali quodam ad generationem impedimento est, sive ex parte viri sive ex parte foeminae. S. Coleta V. ex matre sterili et sexagenaria nata est. Porro *sterilitas* proprie talis, prout nempe ab *impotentia* differt, in eo sita est, quod vel semen virile, vel ovulum, vel utrumque ad tempus deficiant, vel ad debitam maturitatem non perveniant, vel aliae desint physicae conditiones, quibus et ovulum et virile sperma ad debitum contactum perveniant; et sic frustratur generatio. Cf. Milne Edwards T. 8. pag. 359. 360. 383., t. 9, pag. 114. 115. et., Ant. V. 2. p. 155. seqq. — 4°. Non reputantur impotentes foeminae, quae foetus non edunt nisi mortuos, vel nonnisi cum proprio vitae periculo; reapse enim generant. — 5°. Impotentes non sunt paulo post morituri, quia illorum impotentia est dumtaxat accidentalis et extrinseca, et respicit tantum *usum* rei, non *potestatem* utendi. Layman l. 5. Tr. 10. p. 4. c. 11. n. 6.

152. *An mulieris arctitudo, qua non possit a viro penetrari, impotentiam constituat.*

R. Non desunt qui negant. Nam sufficit, ad potentiam habendam ad matrimonium, potentia simpliciter ad generationem. Compertum autem nunc est, mulierem concipere posse, semine viri prope vaginam effuso. Minima enim seminis quantitas ad generationem sufficere potest, eaque ob vim attractivam, quae adest in genitalibus foeminae partibus, usque ad uterum pervenire potest. Et sane nonnisi seminum commixtione coniuges fiunt una caro. — Hinc autem, secundum praedictam sententiam, locum amplius habere non videtur quaestio, quae a Theologis movebatur circa istam mulieris arctitudinem: an nempe uxor inepta ad copulam ob arctitudinem teneatur pati incisionem cum periculo gravis morbi. Notant autem medici frustra fieri incisionem, quia sanata plaga redit arctitudo: aliaque nunc adhibentur media, quae nullo pacto gravis morbi periculum exhibent, ad eam arctitudinem arte corrigendam. - Debreyne l. c. § 2.

Sed alii communius affirmant, et affirmandum videtur. Nam potentia ad matrimonium est naturalis potentia ad generandum *na-*

turali copula. Potentia ad generandum sine copula non est secundum ordinem naturae. Quare generatio sine copula *per accidens* habetur. — S. Alph. l. 6. n. 1097. censet matrimonium nullum esse, si mulier potens fieri non posset, nisi *per gravem et periculosam incisionem.* Et n. 1099 ait: « sententia communissima et probabilior.... dicit teneri foeminam pati incisionem etiam cum gravi molestia, et dolore, sed non cum periculo neque mortis neque gravis morbi... quia numquam censetur mulier voluisse se obligare ad tantum periculum perferendum, neque ex vi contractus matrimonii videtur ipsa ad tale onus obstringi. Quod autem teneatur cum gravi molestia et dolore reddi se aptam ad copulam probatur, quia ad id videtur mulier obligari vi contractus, cum id necessarium sit ad servandum ius copulae, quod in virum transtulit.... Sed valde probabile est... quod si incisio non posset fieri nisi per manum chirurgi, non tenetur mulier hanc incisionem pati cum tanta verecundia, quod esset onus plus quam gravissimum ». — Acta S. Sedis vol. 12. pag. 629. 630., vol. 14. pag. 68.

153. *Quid sit agendum in casu impotentiae?*

R. 1°. Si impotentia est certa ac perpetua, et matrimonium praecessit, « minime expectandum, sed statim facienda est separatio: nam matrimonium eo casu est certe nullum.. . Unde, cognita impotentia certa et perpetua, sponsi possunt illico separari, etiam ex propria auctoritate, si id possit fieri sine scandalo; imo tenentur, si adest periculum incontinentiae. Et pars non laborans impedimento potest etiam ad alias nuptias transire, ut dicunt Sanch. et Salm. cum Candido. Si vero adsit periculum scandali (prout communiter adest), tunc debent reclamare coram Iudice ecclesiastico, a quo separandi sunt, saltem quoad torum; et si alter peteret, etiam quod habitationem, non expectata triennali experientia, quae datur pro impotentia dubia, non pro certa: ita Sanch. et Salm. cum Pont., Gutt. et Dic. Et patet ex c. *Laudabilem* de *Frig.* etc., ubi: *Si frigiditas probari non possit, cohabitent per triennium.* Ergo si impedimentum probatur, non datur triennium Si autem velint cohabitare ut frater et soror mutuo consensu, modo absit periculum incontinentiae, id permittitur ex eod. textu: sed recte advertit Merbesius, hoc nunquam permittendum, si sponsi non sint senes ». L. 1101. « Ex hodierna Ecclesiae disciplinae, nunc ipsis amplius non permittitur, ut frater et soror cohabitare, praesertim si coniuges iuvenes sint, licet non institerint pro declaratione nullitatis matrimonii. Hinc Sixtus V. litteris ad Episcop. Novariensem Apost. sedis in Hispania legatum praecepit, ne tales contrahentes simul cohabitarent ». Scavini Tr. 12. D. 3. C. 2. art. 5. q. 1.

2°. Si impotentia sit iterum certa ac perpetua, sed matrimonio

valide contracto superveniat, videtur dicendum, quod tunc coniugibus *omnes* et *soli* illi actus licent, qui per se non tendunt ad pollutionem producendam, Ratio est, quia impossibilitas copulae coniugalis per se aptae ad generationem reddit utique illicitam consummationem actus ex altera parte, quae forte potens est; cum haec consummatio actus habeat tunc veram rationem pollutionis; at minime illicitos reddit alios actus incompletos, qui eiusdem manent naturae, sive coniuges sint potentes, sive impotentes. Reiffenstuel l. 4. Decret. tit. 15. n. 65.: « Tenentur coniuges perpetuo impotentes effecti abstinere ab omni attentatione copulae, non item a tactibus, osculis, amplexibus ». Et Lehmkuhl Comp. cit. num. 1055. haec habet: « Si coniuges potentes erant, quidquid supervenerit, matrimonium non solvitur; sed si matrimonialis actus perficiendi spes nulla amplius erit, *abstinere debent ab iis actibus, qui alterutrum periculo pollutionis exponunt* ». — Sed Cf. hic n. 134.

3°. Si impotentia sit dubia, « et dubium antecedit matrimonium, non potest qui de sua impotentia dubitat nuptias inire, donec, re diligenter investigata, dubium deponat, ob gravem iniuriam, quam alias irrogaret alteri potenti, ut recte dicunt Sanch., Mazz. et Pal. cum Guttier. Si vero, non obstante dubio, iste contraxerit, licite poterit reddere et petere; tunc enim datur ei saltem triennalis experientia... Dicunt autem Dicastill. apud Croix et Elbel cum Carden. et Viva, quod si quis sit dubius de sua impotentia ob aliquod positivum indicium, iste licite poterit matrimonium contrahere, si, spectata peritia medicorum, et experientiis, sit saltem probabile esse potentem; quia in dubio favet ei praesumptio, quod sit naturaliter potens. Idque satis probabile videtur; cum enim sit probabilissimum, licitum esse ministrare Sacramentum sub conditione, si iusta adsit causa..., hic satis iustam habet causam nubendi sub conditione, si sit habilis, ne scilicet in tali dubio cogatur perpetuo manere coelebs. Deberet tamen ante matrimonium monere coniugem de tali dubio. Caeterum, praecisis circumstantiis et experientiis, quisque praesumitur habilis, etiamsi castissime vixerit ». L. 1102.

4.° « Si vero dubium impotentiae superveniat matrimonio, tunc datur triennalis experientia ex C. cit. *Laudabilem de Frig.* etc. Qua durante, licite possunt coniuges copulam intentare, licet saepe aut semper semen extra vas effundant, ut communiter docent Sanchez l. IX. d. 17. n. 20. », et alii plures. L. 1103. « Hoc autem tempus in veriori sententia incipit a tempore copulae intentatae; debet autem esse moraliter continuum, nempe ut coniuges secum cohabitent per maiorem anni partem ». Scavini tr. 12. D. 3. C. 2. art. 5. q. 1. Porro haec habet Sanchez loc. cit. « Ubi probabilis seminandi intra vas spes subest, licitum est ad id conari, quamvis per accidens ac prae-

ter intentionem extra vas semen effundatur. Constat 1.° quia coniux ille operam dat rei licitae, procurans copulam sibi possibilem ac permissam, et praeter intentionem sequitur externa illa effusio. 2.° Quia C. *Laudabilem*... conceditur triennalis experientia coniugibus dubitantibus, num impotentia perpetua sit, ac subinde an matrimonium valuerit: et tamen illo spatio constat, aut semper aut saepe fore, ut semen extra vas decidat: et stante tali periculo est licitum conari ad copulam, iureque approbatur. Quia, eo manente dubio, coniuges ius habent in matrimonio perseverandi, idque impedimentum investigandi, quod fieri sufficienter nequit, nisi operi coniugali vacando. Fortius ergo in nostro casu id licebit, ubi valor matrimonii certus est, ac proinde certius, et fortius ius coniuges habent coniugali copulae vacandi, experiendique num impotentia illa seminandi intra vas perpetua sit ». Et n. 24., haec subdit: « Tandem rogabis, quanto temporis spatio liceat conari ad copulam, et experiri, ubi dubium est de praedicta impotentia? Breviter dico, tamdiu id licere, quamdiu est probabilis spes seminandi intra vas... Quando autem non esset ea probabilitas, sed, omnibus circumstantiis consideratis, esset omnino dubium de impotentiae perpetuitate, nullam aliam certiorem moram praescribere possumus, quam eam quae praescripta est C. *Laudabilem,* nempe ut triennalis experientia concedatur. Et quamvis in eo casu sermo sit, ubi est dubium de impotentia praecedenti matrimonium, et consequenter de eius valore; in praesenti autem certum sit matrimonium, et solum dubitetur de impotentia supervenienti; cum tamen utrobique dubitetur de impotentiae perpetuitate, in priori casu ad dirimendum matrimonium omnino, in posteriori autem ad dissolvendum solum quoad copulam, merito legitima ac sufficiens illo triennii spatio capietur experientia in utroque casu, perpetuane sit impotentia, an temporalis. Cf. hic num. 136.

5.° Triennale experimentum hodie non amplius requiritur. Sed dispensatio conceditur a matrimonio rato et non consummato a Sacra Congregatione de disciplina Sacramentorum, ad quam recurrendum est. Iudicium de impotentia in foro externo, neque ad confessarium, neque ad parochum spectat, sed ad iudicem ecclesiasticum. Cf. L. 1103. 1104. — Cum matrimonium in facie Ecclesiae contrahatur, ut propter impotentiam vel aliud impedimentum separari coniuges possint, et ad alias nuptias convolare, ab eadem Ecclesia nullitas matrimonii, est prius declaranda, vel dispensatio danda super rato tantum matrimonio, et non consummato. — Quando certo appareat impotentia perpetua antecedens, ab experimento iam cessandum est, et matrimonium nullum est declarandum. Si vero etiam post triennium dubium persistat, matrimonium validum iudi-

candum est, nam standum est pro valore actus. « In dubio utrinque aequali, an impotentia praecesserit vel subsecuta fuerit matrimonium, praesumendum est in favorem matrimonii, quod illud subsecuta fuerit. Cap. fin. *de Sent. et re iudic.* et Cap. *Si quis acceperit* 33. q. 1. ». Billuart de matr. Diss. 7. art. 9. *Petes 6.* Cfr. hic num. 192.

6.° Si impotentia generandi sit ex defectu aetatis, licet iam coniuges pubertatis annum a iure constitutum adepti fuerint, qui pro foeminis in Iure Can., uti iam dictum fuit, est 12.^{us} expletus, pro maribus, 14.^{us} expletus; « dicunt aliqui his dandum esse biennium vel triennium ad experiendum, sed communius censent expectandum in viro usque ad annum 18. et in foemina usque ad annum 14., quia tunc natura perfecto robore pollet neque hic procedit regula triennii in C. *Laudabilem de Frig. et malef.*; illa enim procedit quando impotentia provenit ex frigiditate, vel alio impedimento, non vero quando provenire potest ex imbecillitate aetatis ». L. 1067. Haec vero habet D. Bouvier Supplem. ad Tr. de matr. quaest. 1.^{a} q. 6.: « Si tempore ad experientiam concesso accidat partes rei luxuriosae per notabile intervallum vacare non posse, ob morbum diuturnum, vel longam absentiam tempus illud, ex communiore sententia supplere licet... Ubi vero coniuges matrimonium statim post adeptam unius pubertatem contraxerunt, illudque consummare nequeunt, tempus probationis non a die contractus, sed a die plenae pubertatis computandum est, quia ante plenam pubertatem, semper dubium est, an impotentia ex causa perpetua, vel potius ex virium imbecillitate proveniat. Ita Sanchez l. 7. D. 110. n. 10., Coll. Andeg., Pontas, Collet., etc. Aetas autem perfectae pubertatis est 14. annorum pro foeminis et 18. pro viris ».

154. Nota: « Ubi foemina intra vas receptum semen retinere non posset, sed prorsus expelleret, nec spes retinendi superesset... censeo nullatenus interdicendum coniugii usum.. quia saepe matrix retinet necessarium semen ad generationem, superfluo expulso ». Sanch. l. 9., d. 17., n. 22. 23.

155. *An dentur vere hermaphroditi?*

R. Negat Debreyne, qui ait non dari hermaphrodismum nisi apparentem ex aliquo organizationis defectu; sed unum sexum determinatum realiter semper praevalere, quo in casu matrimonium erit possibile; vel nullum sexum determinatum existere generationis capacem, quamvis habeatur coexistentia organorum maris et foeminae, et tunc ratione impotentiae matrimonium est impossibile, 2. P., Ch. 1., § 1. in fine. Secundum vero Milne Edwards, non solum possibibilis est hermaphrodismus apparens, verum etiam coexistentia organorum maris et foeminae, Tom. 9., pag. 80. 81. 23., Tom. 8., pag. 369. Ubi vero habeatur coexistentia organorum maris

et foeminae, licet forte in aliquo casu possibile adhuc esse possit matrimonium; impossibile tamen est, ut unus idemque individuus ipse solus naturaliter foecundetur et generet. — Ant. l. c. v. 1., c. 20. Cf. hic n. seq.

156. *An hermaphroditus possit valide recipere ordines, in ordine religioso profiteri, matrimonium inire?*

Resp. Si in eo praevaleat sexus foemineus, foemina reputatur, neque potest valide recipere ordines, in ordine religioso virorum profiteri, et uxorem ducere, sicut non posset quaelibet alia foemina: potest vero valide profiteri in monasterio monialium, et viro nubere.

Si in eo praevaleat sexus virilis, vir reputatur, neque potest valide profiteri in monasterio monialium, nec nubere viro, sicut quivis alius vir: potest vero valide suscipere ordines (quamvis non licite propter irregularitatem iure positivo impositam), in monasterio virorum profiteri, et nubere mulieri.

Si neuter sexus praevaleat, sed uterque aequalis appareat post probationes, et medicorum, aut matronarum peritarum testimonia, censet Antonelli non posse tunc hermaphroditum matrimonium inire, v. 2., p. 168., n. 322. Verum antiquorum doctrina est, quod debet ipse decernere quo sexu uti velit, et iuramento promittere se altero sexu non usurum, et tunc poterit, iuxta sexum a se electum matrimonium contrahere; eius enim capax est; non tamen poterit ordines valide recipere; nam est vera foemina; quod etiam ad professionem in religione sive virorum, sive foeminarum doctores extendunt, ut illa etiam invalida sit. Cum enim gravis sit indecentia, et gravium abusuum periculum, credendum est Ecclesiam non admittere talem professionem. Lugo Resp. mor. l. 1. d. 31., Sanchez de matr. l. VII. disp. 106., et Cons. mor. l. 7. c. 3. dub. 31., La-Croix l. IV. n. 23., L. 784., 1095.

157. *An hermaphroditus, in quo praevalebat sexus virilis quique valide ordinatus, et religionem professus sit, vel uxorem matrimonio acceperit, si postea foemineus sexus praevaleat, possit valide celebrare, et religiosae professionis, vel matrimonii vinculum perduret.*

R. Negative. Ratio primi est, quia licet permaneat in anima sacramentalis character, usus sacerdotalis potestatis cum sit exercendus non a sola anima, sed ab anima corpus informante, et, ut validus sit, ab anima informante corpus virile, cum iam corpus foemineum sit, usus ille invalidus erit, et sic licet vi characteris maneat in anima potestas sacerdotalis, ob impedimentum irritans existens ex parte corporis eius usus irritus evadit. — Ratio 2ª est, quia religiosa professio tum ex parte profitentis, tum ex parte acceptantis erat professio viri; subiecto professionis destructo, destruitur ipsum vinculum ortum ex illa professione; et sic talis persona neque tenetur ingredi

monasterium monialium. — Ratio 3ⁱⁱ eadem est, quia vinculum matrimoniale non est vinculum quarumcumque personarum, sed maris et foeminae; pereunte ergo subiecto ligato, perit ligamen.

Idem autem proportionate dicendum est de hermaphodito, in quo praevalebat primo sexus foemineus, et deinde coepit praevalere sexus virilis, tum quoad matrimonium, tum quoad professionem religiosam. Lugo Resp. mor. l. c. d. 31., Billuart de Matr. Diss. 7· art. 9. *Colliges* 5ᵉ.

Articulus Tertius

De circumstantiis extrinsecis usus matrimonii

158. Extrinsecae circumstantiae usus matrimonii sunt 1°. finis operantis, i. e. petentis et reddentis debitum, 2°. affectus eiusdem operantis in actu coniugali ad hanc vel aliam personam; 3°. impedimentum extrinsecum ipsius actus coniugalis ex voto et affinitate; 4°. situs; 5°. tempus; 6°. locus; 7°. sanitatis periculum; 8°. certitudo vel dubium de impedimento intrinseco seu dirimente.

I. — DE CIRCUMSTANTIA FINIS

159. Prop. 1ª. Licitus est usus matrimonii prolis causa. — Ratio est, quia ad hunc finem matrimonium principaliter est a natura ordinatum.

Nota: Licitum est uti matrimonio prolis causa, « etsi haec non necessario debeat intendi dum exercetur, dummodo *positive* non impediatur. Imo etiam aliquando *simplici affectu* licite excluditur, v. g. a paupere, ne nimium prolibus gravetur ». L. 927., Struggl de Matr. n. 85.

160. « *Quid agendum cum uxoribus onanistarum, quae nollent quidem Deum offendere, sed nollent etiam filios procreare?*

R. Non paucae uxores in istis ambagibus versantes reperiuntur, quae abhorrent quidem a peccato mortali, quia nollent in aeternam damnationem incurrere, sed etiam a filiis procreandis deterrentur. In praxi requiritur: 1°. ut nullo actu positivo viri peccato cooperentur neque verbis, neque signis, nec querimoniis de prole numerosiore, etc.; 2°. ut displicentiam etiam externam habeant de peccato a coniuge commisso. His autem stantibus, non sunt inquietandae uxores respectu onanismi, licet molestiam ac repugnantiam notabilem experiantur relative ad generationem: repugnantia enim ob partus dolores, et metum mortis forte ex partu secuturae naturalis est: neque arguendae sunt mulieres coniugatae ex eo quod desiderent non habere plures filios, siquidem huiusmodi desiderium nihil mali continet, modo

peccato viri non cooperentur, neque in eo sibi complaceant. Compescendae etiam sunt uxores timoratae conscientiae, quae timent ne affectu interno in prava viri actione delectentur, ut filios non procreent: quia, cum plerumque a peccato gravi abhorreant, non censentur huiusmodi complacentiae inhaerere; proindeque absque difficultate sunt absolvendae ». G. Cas. n. 1114. Cfer dicta superius. n. 123. et seqq., Bouvier Supplem. ad tr. de Matr. C. 1. art. 2. in fine, Sanchez de M. l. 9. D. 8. n. 10.

161. Prop. 2ª.: *Usus matrimonii licitus est, si fiat ex fine reddendi alteri parti debitum coniugale.* Ratio est, quia redditio debiti coniugalis propter ius alterius et debitum proprium est actus formalis iustitiae, adeoque positive honestus.

162. Prop. 3ª.: *Licitus est usus matrimonii ad evitandam incontinentiam sive alterius partis sive etiam propriam.* Prob. 1ª p. 2° ex 1, Cor. VII. 5. 2° quia evitare peccatum alterius coniugis est actus charitatis erga proximum. Ergo. Prob. 2ª p. 1° ex Apost. l. c. v. 2. 5. 2° quia evitare peccatum proprium est actus charitatis erga seipsum. Ergo. Cfer. S. Alph. 882.

163. Prop. 4ª.: *Licitus est usus matrimonii sanitatis causa.* Ratio est, quia cum matrimonium praecipue institutum sit ad propagationem speciei, videtur etiam secundario institutum ad conservationem individui generantis, cum species sine individuis propagari non possit. L. 927., Sporer 489.

164. Prop. 5ª.: *Usus matrimonii generatim licitus est ratione finis, si fiat ex motivo in se honesto, et praecipuus matrimonii finis positive non impediatur.* Ratio est « quia haec non est deordinatio eligere aliquem ex finibus secundariis honestis prae fine primario, *modo iste non excludatur* ». L. 883.

165. Prop. 6ª.: *Certum est illicitum esse habere copulam propter solam voluptatem. Commune tamen est apud omnes id non esse mortale. sed tantum veniale peccatum.* Prob. 1ª p. 1ª. ex prop. 9ª. damnata ab Innoc. XI.: « Opus coniugii *ob solam voluptatem* exercitum omni penitus culpa caret ac defectu veniali ». Insuper « quia est perversio quaedam ordinis, cum delectatio quae intenta est a natura, ut medium ad generationem, fit finis habendae copulae ». Prob. 2ª p., « quia delectatio de aliquo obiecto ex duplici tantum capite potest esse mortalis, vel quia obiectum ipsum est graviter vetitum, vel quia quis delectatur de illo tamquam ultimo fine, sed in hac delectatione neutrum intervenit: non primum, ut patet, non secundum, ut supponitu ». L. 912., Struggl. de matrim. n. 85.

II. — DE CIRCUMSTANTIA AFFECTUS

166. Prop. 7ª: *Apud omnes in confesso est: peccare mortaliter coniugem, quando in copula cum proprio coniuge imaginatur sibi aliam personam carnaliter dilectam,* sive eam *desiderando* hic et nunc habere pro comparte, sive *morose delectando* se in eius imaginatione, quasi hic pro proprio coniuge praesentis. Ratio est, quia prius verum est adulterium mentale contra nonum Decalogi praeceptum: posterius vero vero est saltem delectatio in re hic nunc mortaliter prohibita et illicita. Cf. n. 70.

167. *Nota.* Dicitur *carnaliter dilectam* « nam si imaginatio et delectatio coeuntis cum propria comparte versatur circa aliam personam, non ut carnaliter dilectam in re turpi, sed solum ut naturaliter delectantem propter pulcritudinem, seu formam amabilem, simulque talis imaginatio habet finem honestum, e. g. ut sic vir facilius se provocet ad seminationem, vel uxor formosiorem prolem concipiat, hi doctores (Sanchez et Sporer) nullam agnoscunt culpam lethalem, per se loquendo, fatentur tamen talem imaginationem plenam esse periculo; quia personam imaginatam ob pulcritudinem naturalem in coitu coniugali carnaliter diligere incipiunt, sicque mortaliter peccant ». Struggl tr. XII. q. II. 95. Hinc S. Alph. 913, nullo modo permittendum putat « se excitare ad coitum, respiciendo ad imagines diversi sexus: maxime si essent sacrae, quod recte aiunt Croix et Sporer esse mortale propter gravem irreverentiam ». Cfr. Sporer de matr. n. 522. 707.

III. — DE CIRCUMSTANTIA VOTI ET AFFINITATIS

168. Prop. 8ª. *Quilibet coniux voto castitatis iunodatus vel affinitate impeditus sub gravi debitum petere prohibetur; alteri tamen coniugi petenti reddere potest; quin etiam tenetur,* cum altera pars iure suo privari non possit. Neuter vere coniux debitum petere aut reddere potest, si vel castitatis voto devincitur uterque, vel uterque affinitatem contraxit; etenim propter votum et peccatum uterque impeditur. S. Th. Quodl. 3. q. 7. a. 18., Quod. 10. q. 5. a 11.; G. v. 2. n. 909.; Cfr. ibid. n. 780.-783.; Laymann l. 5. tr. 10 P. 3. c. 1. n. 10.-12. et hic n. 201. 204. 214. et seqq.

169. *Corollarium:* Voto vel affinitate obstrictus neque reddere debitum potest, si compars ius petendi adhuc non habeat ut in 1° bimestri, vel illud amiserit, vel illi renuntiat. Cfr. hic n. 204

170. *An coniux prohibitus a petendo ratione voti, vel affinitatis possit quandoque licite exigere debitum?*

R. Affirmant *communiter* D.D. in seqq. casibus: 1°. Si adsit pe-

riculum incontinentiae in altero coniuge: imo dicunt tunc teneri petere, quia haec obligatio oritur ex ipsa institutione matrimonii. 2°. Si alter interpretative exigat, nempe quando mulier verecunda est, et vir sentit eius voluntatem de debiti redditione; tunc enim potius est reddere quam petere. 3°. Non *improbabiliter* licebit petere coniugi impedito, si ipsemet sit in periculo incontinentiae, et impedimentum sit ab Ecclesia impositum, cuius dispensatio brevi obtineri non potest, et magnum periculum est in mora. Ratio est, quia lex ecclesiastica in tanto discrimine non obligat. Idque ex quaest. seq. confirmabitur. L. 930., Sporer 483

171. *An liceat a coniuge excommunicato petere debitum, et an ipsi coniugi excommunicato petere liceat?*

R. Ad 1.um affirmative, quod « certum est ex C. *Quoniam multos* caus. 11. q. 3., ubi D. Gregorius VII. id concedit ». L. 935. Ad 2.um negant quidem, sed communiter et verius affirmant Suarez, Sanchez, etc. « Ratio, quia lex ecclesiastica non obligat cum tanto periculo, in quo esset quidem excommunicatus, si ipse non posset separari ab altero coniuge (ut revera non potest) et non posset petere ». L. l. c.

IV. — DE CIRCUMSTANTIA SITUS

172. Prop. 9.a *Situs naturalis copulae coniugalis est, ut iaceat mulier succuba, et vir sit incubus:* hic enim modus aptior est effusioni seminis virilis, et receptioni in vas foemineum ad prolem procreandam.

173. *Corollarium:* « Situs autem innaturalis est, si coitus aliter fiat, nempe sedendo, stando, de latere, vel praepostere more pecudum, vel si vir sit succubus, et mulier incuba... Communiter dicunt omnes istos modos non excedere culpam venialem. Ratio est, quia ex una parte, licet adsit aliqua inordinatio, ipsa tamen non est tanta ut pertingat ad mortale, cum solum versetur circa accidentalia copulae: ex alia parte, mutatio situs generationem non impedit, cum semen viri non recipiatur in matricem mulieris per infusionem, seu descensum, sed per attractionem, dum matrix ex se naturaliter virile semen attrahit... Hinc communiter dicunt coniuges minime peccare, si mutent situm ex iusta causa, nempe ob aegritudinem, vel pinguedinem viri, vel ob periculum abortus, aut scandali aliorum. E converso conveniunt omnes, quod, si experientia constaret, quod mutato naturali situ nihil seminis foemina retineret, ob nimiam vasis laxitatem, vel humiditatem, vel propter aliquam infirmitatem naturalem, ut ait Palaus, tunc esset mortale: secus vero dicit Sanch. si non ex situ, sed ex aliquo morbo mulieris talis effusio provenit ». L. 917. Cfer. hic n. 154., Milne Edwards T. 9. pag. 112.

174. *An sit mortale mutare situm, si propterea aliquid seminis casu effundatur?*

R. Affirmant Salmant. apud S. Alph. 917. sed communius negant Sanch. Pont., etc. Ratio est, quia « sine iusta causa permittere ut semen prodigatur, nunquam licet, quando, semen extra vas uxoris effunditur, non vero quando intra immittitur, et per accidens, non autem ex ipso actu prodigitur; quia tunc matrix, ut dicunt AA. praefati, iam attrahit quod est sufficiens ad generationem, et reliquum tanquam superfluum expellit ». L. 917.

Mutatio situs, gravis non est. Ratio est, quia in mutatione situs generationis finis obtinetur. Ad fecundationem ovuli unum tantum nemasperma sufficit. In seminis autem iaculatione plura millia emittuntur. Quando ergo aliquid seminis in vaginam penetrat, ob motum proprium nemaspermatum, haec progrediuntur usque ad uterum, ad tubas et ovaria; eo magis quod eorum vitalitas per plures dies perdurat, et si in ovulum occurrat fecundatio sequitur. Insuper peracta iaculatione, et cum vir recesserit, ordinarie semen semel infusum in vaginam non amplius emittitur, quum tunc parietes vaginales ita inter se cohaereant, ut vicissim se tangant, ex quo magna difficultas exitus. Ant. vol. 2. p. 189. n. 381.

175. *Corollarium:* Situs qui solus possibilis est, qualiscunque demum sit nullatenus damnatur, licet modica seminis perditio sequatur; quia pars ista seminis non est generationi necessaria, et per accidens, invitis coniugibus, deperditur G. 912. 2°.

V. — DE CIRCUMSTANTIA TEMPORIS

176. Prop. 10ª. *Licitus est usus matrimonii tempore menstrui*

Praenota: *Ovulatio* seu eiectio ovulorum e vesiculis Graaf, in quibus ortum habuerunt, omnino *naturalis* et *spontanea* est, et absque sensu venereo, *etsi hic sensus eiectionem accelerare possit.* Usque ad pubertatem vesiculae imperfectae evolutae sunt; tempore vero pubertatis earum volumen augetur, et perfectam evolutionem assequuntur; idem evenit de ovulo, quod in eis continetur. Quare paullatim una vesicula accedit versus superficiem ovarii, in quo producit quamdam prominentiam. Interea maior quantitas sanguinis fluit per vasa vesiculae, et augetur liquidum internum donec vesicula hoc modo tumefacta laceratur et ovulum eiicitur. Transfertur ovum ex ovario in *tubam* seu *oviductum,* et inde in uterum perducitur.

Haec physiologica operatio copiam sanguinis in vasa uteri adducit, cuius causa eius superficies tumefit. Ovulum per tubam in uterum perducendum, si semen virile *ei occurrat,* fecundatur, alias corrumptum expellitur una cum sanguine, qui fluit partim propter

lacerationem vasorum uteri, partim per quandam exsudationem. Haec emissio sanguinis ex ore vaginae constituit *menses, regulas, menstrua.* Hoc tempore etiam epithelium seu mucosa uteri et eius colli partialiter decidit. Hinc fit ut primo fluat liquidum densum ac album. In nonnullis morbis haec resolutio mucosae permanens est, et ex ea originem ducit morbus constituens *fluores albos.* Sanguis menstruus non fluit cito; ordinarie primum mucus, postea mucus cum sanguine, demum sanguis; paullatim deinde emissio minuitur, donec paucos post dies omnino deficit. Plerumque per duos vel tres dies, aut per integram hebdomadam vel octo dies perdurat. Reditus menstruorum spatio viginti octo dierum circiter transcurrit. Incipiunt *tempore pubertatis*, aetatis anno 13°.-15°. Imminuitur anno aetatis 40.-50. donec omnino deficit. Plurimi tamen sunt casus cessationis menstrui tardissima aetate, et etiam foecundationis tarda aetate. Semel item cessata, possunt item reapparere. Quo fit ut mulier, etiam valde protracta aetate, retineat per se capacitatem fecundationem patiendi, etsi de facto sterilis evadat.

Menstrua igitur respondent lacerationi unius ovuli, *cuius sunt effectus.* Quapropter absentia, quacunque de causa, ovariorum et idcirco vesicularum Graaf absentiam fluxus menstrui adducit. Utrum vero oculatio praecedat menstrua vel sequatur, adhuc plane non constat. Valde probabile est ovulationem praecedere menstruationem. Quam ob causam retineri potest ovulum faecundatum non pertinere ad ovulationem ultimi menstrui, sed ad illam ovulationem, quam menstrua nondum secuta sunt. Menstrua in hoc casu locum non haberent, quia ovulum fecundatum alio deviaret cursum sanguinis in utero. — Ant. p. 117. seqq. 130. 131.

Praeter fluxum hunc *ordinarium*, alius etiam adest fluxus *extraordinarius* proveniens et aliquo morbo diuturno, et ad dies duodecim vel ultra aliquando perstat.

Iam age, « certum est, ait S. L. 925. licere tam reddere quam petere » tempore fluxus extraordinarii; grave enim esset periculum incontinentiae, pro viro tam longo tempore abstinere. Quoad tempus autem fluxus naturalis, tres adsunt sententiae. Prima damnat coitum de mortali, propter nocumentum, quod frequenter contingit prolis, et quia est periculum semen frustra effundendi, cum mater nunquam, vel raro eo tempore apta sit generationi. L. 925. Haec sententia nullam habet nunc intrinsecam probabilitatem. Secunda sententia affirmat non esse mortale, sed non excusari a veniali, quia foemina tunc minus apta est commodae receptioni et retentioni seminis, et ideo coitus tunc minus convenit fini generationis. L. 925. Tertia sententia, quae probabilior videtur, asserit nullum esse peccatum. Propositionis huius ratio est, quia nulla adest in lege nova de

hac re positiva prohibitio. Neque vero id iure naturali prohibetur, siquidem tempore menstrui tum paulo ante, tum durante menstruo, tum maxime immediate post usque ad 14. diem mulieri reapse aptior est ad generandum. Experientia enim constat tempore huius fluxus ovula maxime apta esse ad generationem. Et sic uti aptitudo ad generandum incipit incipiente huiusmodi fluxu, tempore pubertatis, ita eo finem habente, tempore senectutis, ea aptitudo maxime imminuitur. Absentia item huius menstrui sterilitati saepe coniungitur; idemque cessat tempore praegnationis; ita ut hoc unico fere signo cognoscunt mulieres se concepisse. Neque vero valet obiicere sanguinem menstrui fluxus nocere virtuti foecundativae spermatis. Etenim experientia pariter constat usum matrimonii tali tempore neque sanitati parentum, neque sanitati prolis graviter nocere. Ergo. Cfr. Debreyne 2. P. ch. 2. art. 1. § 2., Longet l. c. pag. 104.

« Mulier, ait Antonelli, fecundari potest quocunque tempore, quod intercedit ab una menstruatione ad alteram, et aliquando tempore menstruationis potest fecundatio facilior evadere.... Copula tamen tempore menstrui afferre potest multa incommoda valetudini mulieris, et praesertim graves haemorragias ». Ant. vol. 2. p. 190. 191. n. 387. 388. Ac, si agatur de fluxu extraordinario, multum timeri potest quod copula morbum valde aggravet. Unde, per se loquendo, leve vel grave esse poterit ex hoc capite copulam agere. Ant. l. n. 390.

Quocumque tempore potest mulier fecundari, quia, ut ait etiam idem Ant., aliae causae mutare possunt tempus maturationis et exitum ovulorum, nempe regulariter, ipsa naturae ordinatione, coitus et genitalium excitatio.

177 *An peccent coniuges, qui ne filios habeant, usum matrimonii reservant pro illis diebus post menstruum fluxum, quibus maior probabilitas adest, quod generatio non sit locum habitura?*

R. 1°. Ex doctrina S. Alph. 925. peccant, *per se loquendo,* leviter, quia talis concubitus, quo coniuges excludunt de industria tempus generationi aptius, et iam brevi adventurum, et tempus minus aptum seligant, involvit quamdam turpitudinem et indecentiam. 2° Minime vero peccant graviter quia reapse prolis procreationem *positive* non *impediunt;* quamvis *simplici affectu* excludant, quod nullo pacto deordinationem continet gravem. L. 921. Imo experientia etiam probatur, quod rarius coeuntes facilius quocumque tempore concipiunt. Insuper huc faciunt, quae habet S. Alph. 925. pro tempore ipso menstrui: « Licet sit facile periculum eo tempore frustrandi semen; tamen ad coitum cohonestandum non requiritur, ut ex eo sequatur generatio, sed sufficit. quod coitus ille per se sit aptus generationi, esto per accidens semen dispergatur, ut accidit in accessu ad mulierem praegnantem, aut sterilem ». Quamvis, ait Sanchez, de matr.

l. 9. d. 16, n. 6., variato situ, convenirent coniuges, ne ita certa sit proles, crederem eos non esse lethalis culpae reos, quia non tenentur certiorem modum ad prolem concipiendam eligere. sicut minime tenentur uti mediis aliquibus faciliori conceptioni deservientibus, sed suae obligationi satisfaciunt, si nihil efficiant, quo conceptioni obstetur, nec carendi prole desiderium est mortale, ut probavi h. 9 lib. disp. 8. n. 10. Ita docet Palacios 4. dist. 32. disp. fol. 709. Quod si animus esset omnino impedire foetum, licet concumbendo his modis minime impediatur, esset peccatum mortale contra naturam. Quia cum actus internus et externus sint eiusdem malitiae, sicut impedire generationem est mortale contra naturam illius actus, quem natura ad prolis conceptionem retulit, ita velle impedire erit ». Cfr. Resp. S. Poenitent. 16. Iun. 1880. Revue des Sciences Ecclés. Janvier 1882. pag. 90.

178. Prop. 11ª. *Licet probabiliter coniugibus coire tempore praegnationis, nisi adsit periculum abortus, quod communiter non adest.*

Praenota: Dicitur *probabiliter*, nam probabilis est quoque sententia, quae asserit venialem culpam adesse. *Nisi adsit*, etc., si enim adsit periculum abortus, tunc, ut ratione patet, mortale esset.

Praegnatio. Evolutio naturalis et physiologica fetus est, quae fit cum ovulum fecundatum in uterum descendit, ibique sistit, *praegnatio* tunc dicitur *uterina.* Quamvis multa nemaspermata, tempore fecundationis, circumstent ovulorum, tamen unum tantum nemasperma in ovulum ingreditur, fecundationem efficiens. cetera vero omnia moriuntur. Cum motus autem nemaspermatum lentus sit, et progressus ovuli per tubas sit etiam lentus, fecundatio effici potest etiam post plures dies a coitu, nec instantanea et illi contemporanea est. Quaecumque vero praegnatio, quae extra uterum accidit, veram anomaliam et irregularitatem physiologicae praegnationis constituit, quae cum sit praeter ordinem consuetum et leges physiologicas, gravissimorum malorum pro vita matris et fetus semper causa est. Omnis praegnatio, quae extra uterum locum habet, ubicumque fetus sese evolvat, *extrauterina* dicitur, fetusque ipsi *extrauterini* vel *ectopici* nuncupantur.

Totum tempus, quo fetus in utero sistit, *praegnatio* dicitur, et perdurat spatio novem mensium vel circiter 280 dierum. Fetus in utero pluribus obtegitur membranis et immersus iacet liquido quodam albido, *liquido amniotico.* Partu ex utero eiicitur per contractiones musculorum uteri, quae rumpunt membranas fetum involventes, quo fit ut liquidum amnioticum fluere incipiat. Membranae fetus post partum *secundinae* vocantur.

Probabile praegnationis signum est suppressio menstrui, cum antea mulier regularia menstrua habebat Notandum tamen, etiam

ob alias causas menstrua posse cessare, et, etiam tempore praegnationis, posse *semel* vel *bis* apparere. Ad hoc accedunt *mutationes in genitalibus* et partim magnitudo ventris et uteri, qui ceterum ex aliis causis crescere potest, maior secretio vaginae, et uberum turgor, quae etiam lac secernere possunt

Praegnationes extrauterinae plerumque ante tempus finem habent, ob scissionem membranarum fetum involventium. Aliquando fetus perfectam evolutionem prosequitur, sed, ut patet, nasci non potest. In utroque casu in magno constituitur discrimine vita matris. *Praegnatio extrauterina* uterum supponit; uterus enim est via necessaria ad transitum spermatis. Cum ergo uterus abest, sive a nativitate sive per chirurgicam operationem, impossibilis est praegnatio ectopica. — Ant. vol. 1. p. 142. seqq.

Prob. 1ª p. tum quia nullibi habetur id per se esse vetitum: tum quia esset onus gravissimum, et res exposita innumeris periculis peccandi venialiter, si coniuges tenerentur tam diu abstinere ab usu coniugii, manendo in eodem toro. L. 924. Insuper, ut coitus sit licitus in matrimonio sufficit, ut *per se* actus sit ad generationem idoneus; licet haec per accidens non eveniat. L. 925.

Prob. 2ª p., quia, recepto semine, matrix arctissime clauditur, nec ordinarie per coitum reseratur, ut ipsa experientia constat. Quare nullum est abortus periculum circa conceptionis initium; quod autem vix cognosci potest. Evanescit autem periculum praesertim tempore partui proximo, eo quod foetus tunc, ita secundinis involvitur, ut, quamvis matrix aperiretur, nullatenus semen foetum possit attingere, nec proinde illi nocumentum afferre, aut ipsum suffocare Fecundatione effecta, ovulum ex utero non amplius emittitur, sed adhaeret plicis mucosae uteri, quae paulatim circum crescit, et demum illud omnino obtegit: haec membrana *decidua reflexa* dicitur. Ad amovendum tamen omne abortus et prolis suffocationis periculum, licet coire tunc modo innaturali. Caeterum huiusmodi periculum abortus difficile cognitu est. Debreyne l c. Ac ad amovendum periculum abortus sufficit copulam eodem tempore pluries non iterare, nec eam nimis vehementer et cum impetu perficere. Ant. vol. 2, p. 193. n. 394.

179 Prop. 12ª *Licitus probabiliter est usus matrimonii, per se loquendo, tempore purgationis post partum.*

Praenota: Per *tempus purgationis* intelliguntur dies qui partum sequuntur. « Certum est non teneri coniuges hodie observare tempus purgationis praescriptum Lev. 12., ubi, cum mulier arcebatur ab ingressu templi per 40 dies in partu masculi et 80. foeminae, videtur eo tempore fuisse ei etiam interdictus coniugii usus. Sed hoc praeceptum iam cessavit, et sicut hodie puerperae non tenentur absti-

nere ab ingressu Ecclesiae. ut dicitur in C. un. *de Purific. post partum*, ita nec a coniugii usu, ut communiter dicunt Sanch., etc. ». L. 926. Dicitur autem *probabiliter*, quia triplex hac in re adest sententia. Prima dicit esse mortale, ex C. fin. Dist. 5. Secunda *probabilis* dicit esse veniale, quia talis coitus continet aliquam indecentiam. Tertia etiam *probabilis* dicit nullum esse peccatum, quia huiusmodi immunditia est tantum materialis, non moralis. *Per se loquendo*, nam poterit aliquando esse mortale, si ex concubitu gravis morbus, vel notabilis aggravatio morbi immineret. « Huiusmodi periculum, ait S. Alph. l. c., prudenter timeri potest, si coitus habeatur statim post partum, nempe eodem die vel sequenti ».

Duabus primis hebdomadis potest matrimonii usus feminae gravissime officere. Aliis vero duabus sequentibus hebdomadis periculum tam gravis damni imminuitur. Generatim ergo nonnisi post sex hebdomadas mulier reddere tenetur, omni tunc cessante periculo. Hoc transacto tempore, puerperale tempus finem habet, et menstruationes denuo apparent, quae indicant mulierem iam aptam esse ad novam praegnationem. Multo tamen serius menstruationes apparent, si ipsa mulier infantem suum lactet. Ant. vol. 2. p. 195. n. 399. 400. 401.

180. Prop. 13ª. *Iuxta communissimam DD. sententiam, licet debitum petere et reddere tempore lactationis.* Ratio est, quia nulla extat lex prohibens. Periculum praeterea inficiendi lac, teste experientia, vel cullum vel rarum est; saltem non tantum, ut teneantur coniuges tanto tempore abstinere ab usu coniugii cum continuo periculo peccandi. Neque vero lactatio generationem impedit. Longet l. c. p. 104. Quod si generatio sequuta, crescente foetu, imminuat lac, poterit tunc infans tradi nutrici, vel alio cibo nutriri, vel partim lacte matris, partim alio cibo. L. 911.

Lactatio semel incoepta, nisi aliquid obstet, per decem et octo vel viginti quatuor menses perdurat. Tempore lactationis menstrua suspenduntur, adeoque concludendum est tempus lactationis minus aptum esse ad novam foecundationem. Ea tamen adhuc haberi potest, et aliquando habetur, et tunc lac paullatim minuitur, donec omnino cesset. Ant. vol. 1. p. 144. 145,

181. Prop. 14ª *Licitus est usus matrimonii tempore sacro;* i. e. 1° diebus festivis, ieiunii, Rogationum. Ratio est, quia id nullo iure prohibetur; non divino, quia in festis sola opera servilia prohibentur; non ecclesiastico, quia diebus festivis et ieiunii, non obstante congressu maritali, bene possunt coniuges servare ea quae sunt de praecepto. Plures tamen tenent veniale esse *petere*, non *reddere;* S. Thom. etc. L. 923. – 2° In ipsa nuptiarum die, in qua coniuges benedictionem matrimonialem susceperunt. Etenim usus ma-

trimonii est honestus, et potest esse meritorius; benedictio autem physice iam transiit, et moraliter perseverans non impedit usum matrimonii hodie, sicut eum non impedit cras. Struggl 96. « Itemque probabilis est sententia nullam culpam esse, *per se loquendo*, et secluso contemptu vel scandalo, si coniuges ante benedictionem matrimonium consumment, licet alii communiter culpam venialem agnoscant ». Sporer 494. Ratio est, quia Conc. Trid. S. 24. C. 1. de reform. matrim. hortatur tantum coniuges, ut abstineant, quod consilium potius, quam praeceptum significat. - 3° « Veniale est accedere ad Eucharistiam die copulae habitae ob voluptatem, nisi excuset aliqua rationabilis causa. Si vero copula est habita causa procreandae prolis, vel etiam incontinentiae vitandae, tunc est potius consilii a s. Communione abstinere. Et sic pariter est consilii abstinere die, quo coniux reddidit debitum. Post vero Communionem sumptam, nullum est peccatum reddere. An autem petere? Alii dicunt esse veniale; alii nullum ». L. 922., Sporer 494. Cum matrimonio *ob voluptatem* uti, non sit peccatum, neque veniale, si contra rationis ordinem non excedatur, accedere ad Communionem post copulam omnino honeste habitam, praecedente nocte, neque veniale peccatum per se est. Ac si tales coniuges *recta intentione et devote* ad S. Communionem accedant, ratio non apparet cur potius consilium eis dari non possit ne ab ea abstineant.

Haec Conc. Trid. l. c.: « Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio matrimonium malitiose impediri posse, si tot praecesserint denuntiationes, tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel saltem parocho et duobus vel tribus testibus praesentibus, matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant, ut, si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur, nisi Ordinarius ipse expedire iudicaverit, ut praedictae denuntiationes remittantur, quod illius prudentiae et iudicio sancta synodus relinquit..... Praeterea eadem sancta Synodus hortatur, ut coniuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent..... Postremo sancta Synodus coniuges hortatur, ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante consummationem sua peccata diligenter confiteantur, et ad Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum pie accedant ».

VI. DE CIRCUMSTANTIA LOCI

182. Prop. 15ª. *Locum secretum esse oportere* ipsa naturalis verecundia dictat, et aliorum scandalum vitandum. — Quid autem de loco sacro speciatim tenendum sit, hac in re iam supra explicavimus n. 87.

VII. DE CIRCUMSTANTIA MORBI

183. Prop. 16ª. « *Actus coniugalis tempore morbi, saltem plerumque, neque sub gravi neque sub levi est illicitus*, quia crebro nullum inde accidit damnum coniugibus; labor autem, qui actum comitatur, in morbum saltem communiter loquendo admodum influere nequit ». Gury n. 914. — 5°. Grave tamen damnum affert in morbis cum febre coniunctis, et praesertim in morbis acutis et inflammatoriis, uti etiam in vitiis cardiacis. Ant. vol. 2. n. 434. 436. Cf. num. hic seq.

184. Prop. 17ª. *Illicitus est usus matrimonii, si fiat cum gravi periculo vitae aut sanitatis: nisi tamen sit causa gravis, cui damnum corporale videatur postponendum, v. g., periculum incontinentiae in se vel in comparte.* Ratio est, quia coniuges domini non sunt propriae, aut alterius coniugis vitae.

185. *Corollarium* 1°. « Propter grave periculum morbi *potest* coniux *negare debitum*, etiamsi in altero esset periculum incontinentiae ». Ita Busembaum ap. s. Alph. 952. Et idem habet ex propria sententia S. Doctor 950. « Commune est *non teneri* uxorem *reddere* debitum, si experta sit se non posse parere sine probabili periculo mortis » L. 953. — « Ob notabilem corporis debilitatem *excusantur a reddendo* debito laborantes febri valida aut alio morbo gravi » G. 916. 6°. E contrario, ut habet idem P. Gury l. c. 5°. « *non excusatur* a debito *reddendo* uxor ob ordinaria partus, gravidatis aut nutritionis incommoda, nec ob dolores graves quidem, sed tempore breves, nec ob dolores diuturnos sed moderatos v. gr. capitis per plures menses, post partum, nec ob sanitatem aliquantisper debilitatam; quia haec omnia conditioni matrimoniali adnexa sunt, secus autem si periculum vitae, aut morbi gravissimi ex iudicio medici vere prudentis pertimescendum esset, Lig. 952 », e. g. morbi gallici, seu syphilidis. Gravissimum est periculum transmittendi *syphilidem* ex coniuge syphilitico ad alium coniugem, et ad prolem per copulam. Quoad vero copulam *in phtisi* habendam, grave periculum infectionis adest per oscula, et aliquando etiam per copulam, quamvis per hanc non proximum sit. Neque vero attendendum est ad extraordinarios etiam primi partus difficultates, cum maiores in ipso esse soleant. Cfr. L. 910., Debreyne 2. P. Ch. 2. art. 1. § 3.; Ant. vol. 2. 423. 430. 433.

2°. « Si morbus esset *diuturnus*, et *non proxime tendens* ad mortem, nempe quod non soleat de brevi et facili mortem inferre, ut esset pestis, aut lepra leonina (qua frustatim membra decidunt), tunc *non erit illicitum* sano *petere*, si aderit iusta causa, nimirum fovendi amorem coniugalem, aut vitandi incontinentiam in se vel in altero, quia

alias esset valde onerosum tamdiu abstinere ab usu coniugii, quod vix poterit esse sine periculo incontinentiae » L. 909. *Potest* quidem sanus eo in casu *petere*, sed *non tenetur;* alia enim sunt media ad incontinentiam vitandam. — « Probabiliter *potest* coniux *reddere* alteri infecto, etiam cum periculo gravi propriae sanitatis.... si coniux infectus petens, esset in probabili periculo incontinentiae, nam licet sanus nec etiam eo casu *teneatur reddere* cum periculo suae sanitatis.... tum quia charitas non obligat cum tanto onere, tum quia alter non est in extrema necessitate, cum possit aliter sibi subvenire; attamen *licite potest reddere*, et tale periculum subire ex motivo charitatis; quia esto homo non sit dominus suae vitae, potest temen propter charitatem illam exponere ». L. 950. Mox autem iterum adnotat S. Doctor: « hoc intelligendum si morbus sit *diuturnus* et *quasi habitualis*, ut lepra, morbus gallicus, phtisis, etc., non vero si sit de illis, qui *de brevi* et *facili* solent mortem afferre, ut est infectio pestis, aut leprae leoninae » L. 950.

« Sicut autem *non potest* coniux sanus *reddere* infirmo cum periculo propriae salutis, sic etiam infectus *non potest reddere* sano cum periculo salutis illius, etiamsi ille petat iam conscius sui periculi: prout non licet reddere gladium volenti se necare, cum nemo sit dominus suae vitae; ita Sanch., Pont. et Boss. cum Soto, Con., Azor, etc. communiter. Probabiliter tamen excipiunt Busemb. cum Perez, Bon., cum Caiet., P. Soto, et Crass. ac Boss. cum Laym., Pont. et Reg. si reddat ad vitandum periculum incontenentiae in se vel in altero, vel ad vitanda dissidia, aut ne diu privetur usu coniugii, quod vix esse potest sine periculo incontinentiae. Hocque etiam intelligendum, si eius morbus sit *diuturnus*, et *non proxime ad mortem tendens;* itemque si alter sanus petens iam eius morbi sit conscius, iuxta dicta n. 909. Dub. 1. ». L. 950. 952., Laymann l. 3. tr. 10. p. 3. c. 6. n. 5. 6.

186. Nota: « Ad balneum quod attinet et venae sectionem, videntur consentire non licere accessum coniugalem: cum sit notabiliter periculosus: idem dicunt, si coniux febri laboret: quod respicit tempus post prandium aut coenam, non videtur in hoc adesse grave damnum, ipsis fatentibus medicis, et ideo non audemus damnare debitum eo tempore postulantem vel reddentem, nisi ex experientia revera constaret de gravi illo damno » Scavini Tr. 12. D. 5. C. 1. post q. 10., L. 910. Verum quoad balneum, venae sectionem et febrim, sine morbo, notabile illud periculum alii negant.

187. *An coniux possit et teneatur reddere quando timetur damnum prolis?*

Haec S. Alph. « 951. Communiter et verius affirmant... Ratio... quamvis proles gigneretur infirma, tamen melius est ei sic esse, quam

penitus non esse ». Haec vero Sporer: « Communi sententia DD. cum Sanchez disp. 21. num. 8., petens tunc solum peccat venialiter, etiamsi certo praevideat periculum prolis vitiosae, vel monstruosae generandae; reddere autem licite poterit uxor ob importunitatem petentis: eo quod melius sit prolem vitiosam, monstruosam vel leprosam nasci, quam omnino non nasci. Attamen tunc non ob igari ad reddendum contra Sanchez (disp. 21. n. 2.) rectius docent Sylvest., Henriquez, Bonacina, ac noster Marchant. Quia vere irrationabiliter et iniuste petitur, quod cum tanto damno petitur; et si labatur alter in incontinentiam, sibi imputet, et impotenti suae libidini. Secus esset in casu necessitatis, ut quando coniuges nunquam possunt petere vel reddere debitum sine periculo prolis vitiandae; ut leprosi, vel alio morbo laborantes haereditario », n. 515. Ita etiam Struggl n. 108., Laymann l. c. n. 8.

188. *An coniux possit et teneatur reddere, si uxor experta sit se filios mortuos parere?*

R. Plures negant: nam est gravissimum damnum et spirituale et corporale afferre proli; et mater ipsa ex morte prolis exponitur magno periculo vitae. Excipiunt vero aliqui, si incontinentiae periculum adesset, quod reapse adesset, si ob hanc causam ab usu matrimonii perpetuo abstinere deberent. Plures vero affirmant, quia mors prolis est per accidens, et aliunde experientia constat, mulieres post plures abortus feliciter tandem peperisse. L. 952. 953. Cfer. Debreyne 2. P. Ch. 2. art. 1. § V. Haec vero habet Sporer num. cit.: « Si foemina experta sit, se foetum vivum edere nunquam posse, probabiliter cum multis docet Sanchez, nihilominus mulierem debitum reddere posse, imo et petere; quia partim eventus incertus est, et Dei beneficio ordinario non impossibilis, adeoque coniuges videntur manere in possessione sui iuris et petendi et reddendi debitum; partem quia melius videtur puero ut existat privatus visione Dei, quam ut omnino non existat, ut indicat D. Aug. lib. 9. cont. Iulian. c. 8 ». Ita etiam sentit Struggl l. c. inquiens: « Etsi foemina experta sit, se foetum vivum nunquam posse edere, potest tamen reddere, imo etiam petere debitum coniugale: quia matrimonium eiusque usus in statu naturae per peccatum originale lapsae a Deo secundario est institutum etiam in remedium concupiscentiae coniugum. Neque peccant contra charitatem erga prolem in peccato originali morituram, quia in altera vita nullam poenam sensus patietur, et illi melius est esse, quam simpliciter non esse; ut cum Sanchez et Layman docet Sporer ». Stante igitur hac sententiarum varietate uxor, quae statueret debitum denegare « non videtur inquietanda *per se*, si infortunium illud proveniat ex aliquo vitio organico, ex quo partus difficillimus efficitur, et foetus, antequam in

lucem prodeat, exstinguitur. Ratio est, quia remedium huic malo non suppetit, et hoc nimium generat moerorem. Excipe tamen, si dissidia inter coniuges ex debiti denegatione subsecuturae sint ». G. Cas. 1082.

VIII. DE CIRCUMSTANTIA IMPEDIMENTI DIRIMENTIS

189. Prop. 18ª.: *Coniux certo conscius impedimenti dirimentis non potest debitum petere vel reddere, licet compars ignara omnino sit talis impedimenti.*

Prob. « Doctores communiter asserunt in tali casu foeminam non posse reddere debitum; et ita docet Villalobos, Coninck etc., quos citat et sequitur Sanchez t. 1. de matr. l. 2. disp. 39. n. 6.; unde postea ipse n. 8. sic asserit. Ex his infertur, tamquam certissimum tenendum esse, coniugem nullitatis matrimonii conscium ob impedimentum dirimens, sive divino sive humano iure, in nullo eventu posse reddere debitum viro ignoranti, licet vitae periculum ipsa subeat. Ita ille; et ratio est clara; quia si contrarium diceretur, sequeretur fornicationem aliquando esse licitam, videlicet propter famae vel vitae periculum: sed hoc dicere est erroneum, cum fornicatio sit intrinsece mala; ergo in tali casu etiam cum vitae periculo non est reddendum debitum, quia qui in tali casu reddit debitum, certo scit matrimonium esse nullum; ergo certo scit fornicari; ergo si liceret in tali casu reddere debitum, licebit subinde fornicari; et ita haec sententia determinatur in cap. *Inquisitioni de Senten. excommunicat.* ». Diana Tr. VII. de matr. Res. 176. n. 1. Ita etiam Sporer nn. 469.-472. Cfer. G.-Dumas Cas. v. 2. n. 772.

190. *Nota:* 1° Ad praxim quod attinet hac in re, in memoriam revocandum est, Episcopum posse dispensare in tali impedimento casu, quo non pateat facilis aditus ad S. Pontificem, et in mora periculum sit incontinentiae. Haec potestas restringitur communiter ad impedimenta occulta, urgentissimo necessitatis casu. Attamen non desunt recentiores auctores, quibus amplianda videtur ad publica impedimenta. Argumentum desumunt ex Responso S. Poenitentiariae 5. Iul. 1831., Cfr. Enchir. Moral. ed. 4. n. 131., quo doctrina S. Alphonsi tuta declaratur. Cf. L. 1122. Verum S. Alphonsuus haec habet l. c.: « Addit Ronc. cum Pignat. et Tamb., quod etiamsi impedimentum fuerit publicum potest Episcopus dispensare, quando eaedem (verae urgentis necessitatis) interveniunt rationes, quae sufficiunt ad dispensandum in impedimento occulto. Sed hanc opinionem vix unquam puto posse habere locum in praxi, quia cum impedimentum est publicum cessat ratio scandali, si sponsi a tali matrimonio desistunt; imo praesertim ad vitandum scanda-

lum tenentur a nuptiis abstinere ». Praedictae tamen recentiorum sententiae favet, *pro mortis articulo,* Responsum S. O. 22. Apr. 1890. ad 1.[um] Enchir. Morale ed. 4. n. 1044. Cfr. L. 1121.-1125. — Verum vix hodie locus esse potest usui talis potestatis, cum Episcopi speciales facultates a Summo Pontifice accipere soleant et sequens praeterea concessa sit facultas:

« Quilibet sacerdos, qui ad normam art. 7. Decreti *Ne temere*, imminente mortis periculo, ubi parochus, vel loci Ordinarius, vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, coram duobus testibus matrimonio adsistere valide ac licite potest, in iisdem rerum adiunctis dispensare quoque potest super impedimentis omnibus etiam publicis, matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, exceptis sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita ». S. C. de Sacr. 14. Maii 1909. Acta Apost. Sed. v. 1. p. 468. Quare vi huius Decreti habetur tantum naturalis obligatio sincerae poenitentiae et reparationis scandali.

« Utrum facultas dispensandi ab impedimentis matrimonialibus, imminente mortis periculo in casu art. VII. Decreti *Ne temere,* facta per Decretum huius S. C. d. 14. Maii 1909. valeat dumtaxat pro concubinariis; an etiamsi non agatur de concubinariis, sed alia adsit causa ad consulendum conscientiae, et si casus ferat, legitimationi prolis? — R. Negative ad primam partem affirmative ad secundam ». S. C. de Sacram. 16. Aug. 1909. A. A. S. v. 1. p. 656.

An autem in casu, in quo difficilis etiam sit ad Episcopum aditus. et in mora gravissimum sit periculum incontinentiae possit parochus vel alius confessarius declarare, quod lex impedimenti eo casu non obligat, Cfer. apud eumdem S. Doct. n. 613.

Si mulier urgentissimo mortis metu ad copulam adigeretur, posset quidem *mere passive* se habere, secluso tamen omni consensus periculo G. 787. Cfer. hic n. 63.

2° « Copula habita inter personas, quarum matrimonium ob impedimentum non subsistit, vel alias iure petendi debitum privatae sunt, tunc accipit specialem malitiam necessario in confessione explicandam, quando impedimentum iure divino vel ecclesiastico inductum fuit, praecipue propter ipsam copulam, tamquam specialem indecentiam et deformitatem habentem inter tales personas contra aliquam virtutem specialem; aut *religionis,* ut videre est in impedimento voti solemnis sive ordinis, sive cultus disparitatis; aut *pietatis* ac *reverentiae* erga sanguine iunctos, ut in impedimento consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis ac legalis; aut contra virtutem *iustitiae*, ut impedimento ligaminis etc. In his enim praeter peccatum mortale fornicationis contra virtutem continentiae, copula illa accipit specialem speciem malitiae contra illam aliam virtutem,

utpote sacrilegii, incestus, adulterii, etc. utique necessario explicandam in confessione. Secus vero se res habet, quando impedimentum matrimonii inductum fuit non propter specialem indecentiam copulae carnalis inter tales personas, sed ob aliam causam, utpote ob criminis punitionem, ob matrimonii libertatem tuendam, etc., ut videre licet in impedimento criminis, raptus, metus, etc. Quo casu si quis cum muliere tanquam coniuge coniungatur, solum simplicem fornicationem committit, perinde ac alii: nisi facerent forte id in contemptum Ecclesiae, aut formali non obediendi intentione; tunc enim et contrahendo, et utendo matrimonio committerent speciale peccatum inobedientiae formalis, semper et in omni materia mortale. Ita communissima. Sanchez etc. ». Spórer n. 484.

Circa consanguinitatem, affinitatem, cognationem spiritualem et legalem Cfer. hic n. 73. seqq.

Circa autem *cultus disparitatem* haec praeterea adnotanda sunt ad maiorem rei praecisionem: « Fornicatio fidelis cum infideli, puta cum hebraea aut mahumetana, in communi sententia longe gravior est, quam cum catholica. Imo haec infidelitatis circumstantia, ex continuatore Tournely, speciem mutat; quia sicut ab Ecclesia nubere prohibitum est christianis cum infideli in honorem catholicae fidei et ad removendum perversionis periculum, ita eadem de causa prohibita censetur ab Ecclesia quaevis copula cum infideli, quae semper vergit in dedecus Religionis: ideo non est solum contra castitatem, sed etiam contra Religionis virtutem. Hanc tamen specialem circumstantiam mortalem esse alii negant ». Scavini Adnot. (A) ad Tr. 4., Billuart Diss. 6. art. 2. App. 1. Idque *probabilius* dicit Voit de praec. Decal. n. 739. — Idem proportionate dicendum de circumstantia matrimonii inter catholicum et haereticum. Cf. Lugo de Poenit. D. 16. n. 336.-341. 343.

191. *An in dubio de valore matrimonii possit quis petere et reddere debitum?*

R. 1°. Si *post* contractum bona fide matrimonium in dubium quis incidat de eius valore, et dubium sit *negativum,* dubium utpote imprudens spernendum est, adeoque potest debitum reddere et petere. Si dubium vero sit *positivum*, et maneat etiam post adhibitam diligentiam, illudque tale sit, ut habeatur quidem ratio probabilis pro invaliditate matrimonii, nulla vero pro eius valore, tunc duplex adest sententia: 1ª affirmat teneri ad reddendum alteri, qui bona fide contraxit, sed petere non posse; 2ª asserit posse et reddere et petere. Sententia haec *satis probabilis* dicitur a S. Alphonso n. 905. Ratio, quia in dubio melior est conditio possidentis bona fide. Haec enim bona fide possessio praevalet cuivis oppositae probabilitati, et moralem facit certitudinem. Insuper ea-

dem possessio tribuit ius acquisitum rei possessae; unde nullus privandus est sua certa possessione, donec certo constet de nullitate sui iuris. Quare ut talis possessor bonae fidei potest rem retinere, ita potest illa uti. Id *a fortiori* valet, si praeter eam legitimam possessionem, habeatur etiam vera ratio probabilis pro matrimonii valore. Dicitur *post diligentiam adhibitam*, secus enim certum est quod durante dubio potest quidem et tenetur reddere, sed non potest petere. Ratio 1.ª est, quia, ut modo dicebatur, nemo privandus est *certa possessione*, quae *bona fide* habetur, donec *certo* constet de nullitate sui iuris. Ratio 2.ª est, quia ante adhibitam diligentiam ignorantia adhuc vincibilis est, et nisi invincibilis evadat agere quis non potest. L. 903. 904. 905., Ithur. Cas. 33. n. 29.

2°. Si contractum fuerit matrimonium cum dubia fide de impedimento, certum est quod, durante dubio, ante diligentiam adhibendam ad dubium deponendum coniux dubitans non potest petere, sed potest et tenetur reddere alteri petenti in bona fide. Ratio eadem est ac ea quae facta est in 1.ª Responsione. An autem dubitans post adhibitam diligentiam possit etiam petere debitum controvertitur. Prima sententia communior negat. « Secunda sententia vero satis probabilis affirmat... Ratio, quia, esto dubitans non possit deponere dubium ex titulo possessionis, potest tamen deponere ex aliis principiis, nempe primo, quia in dubio standum est pro valore actus ut habetur in *L. Quoties ff. de Rebus dubiis*. Secundo, quia, cum matrimonium sit causa favorabilis, in dubio standum est pro eius valore, ut probat ipse Sanch. l. 1. D. 18. n. 6. cum Cov., Lopez, et Menoch., eo quod, sicut in foro externo in dubio iudicandum est pro valore matrimonii, iusta communem sententiam ibi ex *C. fin. de Sentent. et re iudic,* ita etiam iudicandum in foro interno, qui conformari debet externo, quando hoc non innititur falsa praesumptione ». L. 906. 903.. Cfer. hic n. 153.

3°. Licet S. Alphonsus habeat tanquam *satis probabilem* sententiam asserentem licite posse coniugem in casu dubii post matrimonium contractum, et etiam in casu matrimonii contracti cum dubia fide, post adhibitam diligentiam, petere et reddere debitum, casum tamen excipit dubii « de morte prioris coniugis sive nuptiae sint initae cum bona fide, sive cum dubia fide ». Ait enim S. D. eo in casu « numquam coniux dubitans petere poterit, nisi de morte prioris coniugis habeatur certitudo, aut saltem tanta praesumptio, quae moralem certitudinem statuit ». Hanc autem S. D. subdit rationem: « tum quia tunc remanet probabile periculum iniuriae prioris coniugis; tum quia eo casu possidet prius matrimonium, donec constat fuisse solutum ». Verum ista ratio demonstrativa minime videtur: nam ius prioris coniugis et possessio prioris matrimonii,

cum certo non constet, nam probabile supponitur, quod coniux mortuus fuerit et matrimonium dissolutum, certum ius et certam possessionem non exhibent, contra quam non liceat probabilitate uti. Quin imo e contrario posterius matrimonium certa bona fide contractum, et certo existens ius certo acquisitum affert ad eius usum, quo iure non potest iam quis spoliari, nisi de opposito iure certo constet. Atque id admittunt reapse plures et graves theologi. Haec Struggl: « si uterque coniux nuptias inivit bona fide et nequit haberi certa notitia de vita prioris coniugis uterque potest reddere et petere debitum, quia in dubio melior est conditio possidentis, et uterque est in possessione matrimonii bona fide initi ». Idemque admittit in favorem etiam partis bona fide contrahentis, si altera pars dubia seu mala fide contraxit: « Si solum una pars mala fide, seu stante dubio, matrimonium inivit, altera vero bona fide, illa tenetur huic petenti debitum reddere, nequit tamen petere quia solum una, non vero altera pars est in possessione matrimonii » de Matr. n. 90. Verum post adhibitam sufficientem diligentiam, non apparet sane cur et altera pars, quae dubitans contraxit, si non vi possessionis bona fide incoeptae, vi saltem aliorum principiorum non possit sibi ius etiam petendi vindicare. Si enim prioris coniugis certum non est ius, neque certa possessio, quia probabilis eius mors est, et hic invocare pro se potest illa principia: in dubio standum pro valore actus; favores sunt ampliandi; matrimonium certo contractum et certo existens praevalere debet, in dubio, matrimonio dubie existenti, donec huius certitudo constet, et posteriorem destruat. Insuper, ut tradit Elbel de Matr. n. 205., qui ita dubitaret, et adhiberet omnem sibi possibilem hac in re diligentiam, certitudinem tamen non assequeretur, sed dumtaxat magnam probabilitatem et praesumptionem, matrimonium contrahere posset; et consequenter petere posset debitum coniugale. Et sane quaerit laudatus auctor « qualis certitudo de morte prioris requiratur ad hoc, ut coniux ad secundas nuptias licite transire possit ». Respondet statim: « requiritur certitudo moralis, saltem in foro externo: » l. c. n. 204. Mox vero subdit: « Dictum tamen est, requiri certitudinem moralem saltem in foro externo; nam pro foro interno, ut vir vel mulier licite transeat ad secundas nuptias, sufficere verosimilem et probabilissimam praesumptionem tenet post Sylvest. Rosell., S. Anton., Sporer et Layman. Quin imo P. Kugler, quamvis nobiscum teneat requiri certitudinem moralem saltem regulariter, tamen in casu, ubi talis haberi nequit, valde probabiliter cum aliis pluribus existimat, satis esse, quod habeatur magna probabilitas et praesumptio, vel probabilitas maior de morte, quam de vita, ad hoc ut Iudex ecclesiasticus possit permittere transitum ad secundas nu-

ptias ». Haec autem habet Layman lib. v. tract. X. p. 3. c. 3. n. 2.: « Difficultas in eo versatur, utrum propter verisimilem praesumptionem, et probabilem credendi causam, intercessisse mortem mariti, mulieri concessum sit ad secundas nuptias transire? Respondeo, et dico 1°. Valde probabilis est sententia Rosellae, S. Anton., Sylvest., et Philiar., quod mulier in tali casu nihil peccaret, si cum eiusmodi valde probabili persuasione, ac praesumptione, atque iustissima credendi causa, quod maritus mortuus sit, adeoque bona fide si nemo se illi opponeret, ad secundas nuptias transiret. Quamobrem confessarius in conscientiae foro id ipsi permittere, et Iudex in foro externo, si post celebratas nuptias causam intelligeret, neque mulierem punire, neque a secundo viro separare deberet, donec cognitum esset priorem maritum adhuc vivere. Idque aperte sumitur ex *C. Cum per bellicam* c. 34. q. 1. Ratio vero est; quia in moralibus, in quibus plerumque certitudo omnino haberi non potest, homini ad instituendas actiones suas sufficere debet probabilissima, licet non omnino certa, opinio, seu praesumptio ».

4°. Si alter coniux certus et ipse non sit, sed uterque dubitet, tunc *ante* adhibitam diligentiam neuter potest petere, adeoque nec reddere debitum. Post adhibitam vero diligentiam *satis probabiliter* uterque petere, adeoque et reddere potest. Ratio: id enim ex dictis in superioribus responsionibus aperte consequitur. G. 790.

Quoad propositas quaestiones Genicot, Theol. Mor. vol. 2. n. 493. ed. 4. inquit: « Si unus contraxit cum dubio probabili de vita prioris coniugis... si adhibita morali diligentia dubium probabile remanet, aliqui opinantur semper a debito petendo abstinendum esse ei, qui possessionem mala fide inchoavit, donec moraliter constet de alterius coniugis obitu. .... Sed communis et certe probabilis sententia Sanchezii, Salmant., etc. tenet tum licite formari conscientiam vi opinionis probabilis valori novi matrimonii favent is... Si uterque cum dubio probabili contraxit... si adhibita diligentia manet dubium, controvertitur num debitum reddere et petere possint, eadem ratione ac supra de una parte dubitante dictum est ».

Ad rem etiam faciunt sequentes casus resoluti a Sancto Officio:

Mulieres quaedam in Italia post bellum in Africa frustra expectarunt reduces suos viros. Cum de eis non amplius notitia haberetur, quamvis diligentes inquisitiones factae fuerint ab Italico Gubernio, supponentes eos mortuos in bello, petebant posse aliud contrahere matrimonium. S. O. rescripsit: « Dummodo agatur de viris, qui certo adstiterunt pugnae de Adua, et peractis opportunis investigationibus indubitanter dignosci nequeat, an vir reapse mortuus ceciderit, attentis specialibus circumstantiis in casu exposito occurrentibus, et valida praesumptione obitus, Ordinarius permit-

tere poterit transitum ad alias nuptias ». Emmus Card. Gennari notat Documentum hoc esse universale, et aliud esse *permitti posse transitum ad alias nuptias,* aliud *constare de obitu viri.* Primum importat tantum magnam probabilitatem mortis coniugis; alterum absolutam illius certitudinem. Monit. Eccles. vol. 10. part. 2. pag. 145.

« Mulier quum frustra reditum mariti expectasset, post tres annos existimans ipsum iam mortuum esse, bona fide alii viro in matrimonio se coniunxit, et quum impossibile nunc sit investigare, utrum primus maritus vivat adhuc aut reapse mortuus sit, quaeritur, utrum relinqui ipsa possit in usu secundi matrimonii contracti, donec certitudo habeatur de vita primi viri? — R. Relinquendos esse in bona fide ». S. O. 22. Mart. 1865.

« Cavendum praeterea et illud est, quod si fortasse contigerit priorem coniugem, quem mortuum putabant, adhuc in humanis existere, tunc secundae nuptiae sunt omnino irritandae, et, dimisso posteriori coniuge, ad priorem reverti unusquisque tenetur ». S. C. de Prop. Fid. 1792., Enchir. Morale ed. 4. n. 1032.

192. *An separari possint coniuges per matrimonii dissolutionem, si matrimonium probabiliter uullum iudicetur?*

R. « In dubio de infirmitate matrimonii iam contracti, standum est pro firmitate, ut fert communis utriusque Iuris peritorum sententia, et constat ex *Cap. fin. de Sent. et re iudic.;* Cap. *Ex litteris, De Probation.;* Cap. *Licet ex quadam, de Testibus et Attestationibus,* ubi Innoc. III. in Conc. Later. rationem reddens huius nostrae assertionis: « Tolerabilius enim est, inquit, aliquos contra statuta hominum (attestantium de impedimento) copulatos dimittere, quam coniunctos legitime contra statuta Dñi separare ». Ex quo invicte conficitur, ius pro valore matrimonii dicendum, quamdiu testimonia hominum, probabiliter solum, neque evidenter eiusdem probant nullitatem. Hinc Hostiensis etc.... aliique plures, quos citatos sequuntur Sanchez et Palaus, favorem matrimonii sic ampliant, ut si sententia sit singularis alicuius, solida ratione matrimonii firmitati faventis, haec praeferri debeat communi aliorum contra firmitatem stantium, nisi fulciatur evidenti aliqua ratione, aut textu manifeste contrario ». Ithur. Cas. 33. n. 27, 28. Cfer. hic n. 153.

Articulus Quartus

De debito petendo et reddendo

193. Usus matrimonii, rationem habet *iuris* et *debiti.* Coniuges enim in contractu matrimoniali mutuo sibi tradunt ius ad proprium corpus in ordine ad legitimum eius usum per copulam de se aptam ad generationem.

194. Prop. 1ª Neuter coniux tenetur *per se loquendo* ad *petendum* debitum; etsi *per accidens* aliquando teneatur, vel *ex charitate*, v. g. ad avertendum periculum incontinentiae imminens coniugis, vel *ex iustitia legali*, eo quod salus publica periclitetur, nisi proles nascatur. L. n. 938. — Ratio 1.ª est, quia quilibet cedere potest iuri suo. Ratio 2.ª quia in illis circumstantiis urget praeceptum charitatis erga proximum, et legalis iustitiae.

195. *Nota*: 1.° Vir *per accidens* tenetur aliquando petere debitum, nimirum si uxor tacite exigat; puta, si ostendat aliquod iudicium, quo tacitam petitionem significet; quia in mulieribus ob innatam verecundiam talia signa habentur pro vera petitione. Quare vir potius *reddit*, quam *petit*. E converso « non tenetur mulier reddere viro, nisi hic expresse petat: cum enim non pudeat viros expresse exigere, bene possunt uxores praesumere, quod viri expresse non petentes nolint ipsas obligare ad petendum; imo ego sentio nec posse, quia nequit maritus obstringere mulierem, ut cum tanta sua erubescentia debitum petat. Recte tamen excipit Sanchez cum S. Antonin., Nav., Sylv., et Manuel, nisi talis erubescentia potius praesumatur aliquando (quod caeterum raro accidit) esse ex parte viri, quam foeminae; puta, si illa esset maximae auctoritatis, aut ferae conditionis, et vir valde pusillanimis ac verecundus. Regulariter tamen (bene subdit Sanchez) non tenetur uxor petere, nisi evidenter ei constet de hac pusillanimitate et pudore mariti ». L. 298.

2° Hinc « certum est, ordinarie non teneri uxorem ad petendum, quia hoc est mulieribus notabiliter inverecundum. Certum quoque est, quod, cum alter coniux est in periculo incontinentiae, tam vir quam uxor teneantur petere, ad liberandum alterum a periculo ». Cum autem probabilius non teneatur tunc coniux petere, nisi ex charitate, « quia ubi nulla est petitio alterius coniugis expressa vel tacita, nulla adest obligatio iustitiae ad reddendum », « non tenetur petere cum magno incommodo; hinc probabiliter tunc excusatur uxor a petendo, si in hoc magnam verecundiam subire deberet ». L. 229.

196. Prop. 2.ª Obligatio debitum *reddendi* coniugi serio et instanter petenti *per se* loquendo et ex genere suo gravis est. Praenota: 1.° Dicitur *serio* et *instanter petenti;* nam « conveniunt communiter, non peccare uxorem negando, si vir benevole, aut remisse petat.... Item, si coniux petens adhuc instanter cedat precibus negantis, qui negat cum iusta causa; alias etiam venialiter peccaret;... nisi preces essent ita importunae, ut alter quasi coactus videretur cedere; vel nisi adesset in altero periculum incontinentiae; tunc enim nec etiam precibus, sine causa gravi, liceret eum avertere ». *Per se loquendo;* nam per accidens cessare potest talis obli-

gatio, ut ex sequentibus quaestionibus patebit. *Ex genere suo;* nam 1.° « non videtur peccare uxor, si differat reddere ad breve tempus, nempe usque ad noctem..., vel si a nocte differat ad mane..., excluso tamen semper periculo incontinentiae. Non potest autem, post copulam habitam in die, negare in nocte ». L. 940. — 2° « Non peccat negans, quando alter immoderate petit, sine tamen periculo incontinentiae, et in hoc etiam omnes conveniunt. Hinc dicunt Laym. etc. non esse mortale, post tertiam copulam in eadem nocte habitam, negare quartam ». L. 940. — 3° An autem grave sit negare semel vel bis confer infra n. 198.

Prob. quia debitum coniugale est debitum ex iustitia, et in re magni momenti. Ergo si serio et instanter petatur, obligatio *per se* et ex *genere suo* gravis est. Diana Tr. 6 de Matr. R. 178. n. 1., 179. n. 1., Sporer 506., Laymann l. 5. tr. 3. p. 3. c. 1. n. 1.

197. Corollar. 1.° Peccat graviter vir vel mulier, si se impotentem reddat etiam mediis aliis licitis, v. g. ieiuniis, etc., invita comparte: imo si aliter non possit reddere debitum, licite non observat ieiunia Ecclesiae. L. 942., Billuart Diss. 4 art. 4 de matr. — 2.° Coniuges ratione debiti reddendi tenentur cohabitare, non solum quoad domum, sed etiam quoad torum; nisi separentur ex consensu, absitque tunc periculum incontinentiae, et damnum educationis. Vir autem licite potest suscipere aliquam brevem peregrinationem ex causa devotionis, vel alia honesta, etiam invita uxore: sed non uxor, invito viro. Potest imo vir etiam diu abesse, si id oporteat ad bonum publicum, vel familiae, ita communiter Sanch., Castrop., Boss., Laym., etc. Dicit autem Boss. cum Tolet., Sayro, quod vir tenetur tunc secum ducere uxorem, si commode possit. Quando vero uxor sequi virum teneatur, et vir eam ducere, vide dicta de quarto praecepto T. 1. Tr. VII. n. 13 ». L. Hom Ap. Tr. XVIII. n. 59. — Haec autem eo in loco habet S. Doct. « Peccat uxor... si iniuste renuit sequi virum, qui mutat domicilium, licet sine sufficienti causa, et etiam si in longinquas partes proficiscatur, ubi diutius ei morandum sit, quia si brevi redeundum esset, nec mulier tenetur ire, nec vir eam conducere, sicut etiam nec vir tenetur, si magna impensa opus esset, ad secum illam conducendum. Ita communiter. Contra non tenetur mulier sequi virum, 1.° si talis esset conventio inita in sponsalibus, et nulla accidisset nova et gravis causa, tunc non animadversa; 2.° si vir vellet eam conducere ad malum finem; 3.° si illa in itinere deberet se exponere gravi periculo mortis, aut alterius gravis danni; 4° si vir vellet peregre proficisci. An autem uxor teneatur sequi virum exulantem; alii negant, sed probabilius affirmant... alii » Tr. VII. 13.

198. *An peccet graviter coniux negans debitum una vel altera vice?*

R. Prima sententia dicit etiam negare semel, vel differre debitum serio et instanter petenti, per se loquendo, esse mortale, adhuc remoto periculo pollutionis. Ratio, quia hoc videtur materia satis gravis tum ratione prolis, quae ex unica copula bene gigni potest, tum ratione discordiae, et periculi incontinentiae, quae ex tali negatione sequi potest. Secunda vero sententia negat, modo absit periculum pollutionis, quia id reapse non videtur materia tam gravis, ut culpam lethalem constituat. Hanc sententiam plures et graves theologi tenent, unde de ea S. Alph. 940. ait: « Non videtur improbabilis, cum gravitas materiae pendeat ab hominum aestimatione, et tot graves DD. censeant hanc esse materiam levem: ipsimet autem id dicunt supponendo, quod absit periculum incontinentiae, vel magni dissidii; caeterum procreatio prolis pro illa vice est valde incerta ».

199. *An sit iusta causa negandi debitum, si plures nascantur filii, quam coniuges possint alere?*

R. Prima sententia negat; tum quia procreatio prolis spectat ad praecipuum finem matrimonii, cui postponendum quodvis incommodum, melius enim est, ut proles vivat inops, quam ut omnino non sit; tum quia aut coniux negaret diu aut aliquando: si diu, exponeret alterum periculo incontinentiae; si aliquando, frustra negaret, nam coniuges rarius coeundo facilius concipiunt. Secunda sententia affirmat; tum quia multiplicitas prolium futurarum cederet in nocumentum filiorum iam genitorum, tum quia in omnibus debitis magna difficultas excusat a solutione. — Attamen communiter conveniunt: 1° adesse obbligationem reddendi, si adsit in altero periculum incontinentiae, quod revera vix non aderit, si in eodem toro concumbant, et alterum debitum petat; 2° Si res eo loco sita esset, ut ob novae prolis generationem parentes vel proles ad extremam penuriam redigi deberent, debitum coniugale tunc iuste denegari posset; 3° Si uxor marito omnia obligurienti, et ipsam cum prolibus famem aerumnasque tolerare sinenti debitum denegaret, donec iste se emendaret, gravis peccati facile non esset arguenda. L. 491., Sporer n. 516., Struggl n. 109., Laymann l. c. n. 16.

200. *An coniux teneatur reddere debitum amenti vel ebrio?*

Resp. « Affirmat Navarr., et alii, quia coniux ebrius, vel factus amens adhuc retinet dominium acquisitum in corpus alterius; nec officit amentia ad procurationem prolis. Negant vero communissime et probabilius cum Busemb., Laymann, Paul., Bonac., Sanchez et alii.... Ratio, quia licet isti dominium retineant, sunt tamen incapaces usus dominii. Excipe 1.° si in eis sit periculum prodigendi semen, quia tametsi ipsi peccent, est tamen impediendus actus ma-

terialiter malus. Excipe 2.° si quis non esset universe amens, sed in una tantum vel altera materia ; vel si ille esset tantum fatuus, non vero omnino mente captus ; vel si petat dum habet lucidum intervallum. Quamvis autem non sit obligatio reddendi coniugi amenti vel ebrio ; licitum est tamen ei reddere, ut communiter dicunt praefati AA., cum usus matrimonii per se licitus sit, et proles educare possit a coniuge sanae mentis. Modo (intelligendum) absit periculum scandali vel abortus. Unde bene addunt Sanch. et Boss., quod non liceat coire cum uxore amente furiosa, nisi ipsâ experientiâ noscatur sterilis. Peccaret etiam qui coniungeret ad copulam coniuges, ambos amentes, quia esset causa, ut filii carerent debita educatione ». L. 948., Laymann l. c. n. 9. Addendum est, quod concepti in ebrietate facillime nascuntur proclives ad alienationem mentis, ad amentiam ac scrophulam ; et alcool potest inficere etiam ovulum ipsum et semen. Ad hoc accedit quod proles facile nasci potest etiam hebes ac surdomuta. Quapropter coniux non tenetur reddere coniugi ebrio. Antonelli vol. 2. pag. 205. n. 438.

201. *Utrum liceat reddere illicite petenti cum peccato mortali?*

R. Si culpa se tenet *ex parte actus*, puta cum vir onanismum vel sodomiam velit exercere, vel vult matrimonio uti in loco sacro, vel publico, vel cum evidenti periculo abortus, vel cum gravi nocumento sanitatis, si vir vel foemina, e. g., vitio cordis organico laboret ; quo casu copula tunc repentinam posset causare mortem, idque constaret, Cfer. hic. 184, 185, omnes conveniunt *non teneri, nec posse* coniugem reddere sine gravi culpa. Ratio est, quia reddere tunc est cooperari, in ipso actu peccaminoso. Nemo autem potest obligari ad peccandum. — Si culpa se tenet *ex parte petentis*, puta, quia est voto obstrictus, petit ob pravum finem, etc., controvertitur. Prima sententia dicit non solum *posse*, sed etiam *teneri*. Ratio est, quia coniux licet petat *illicite*, non tamen *iniuste* petit, cum *ius* petendi non amittat, eo quod cum peccato debitum exigat. Verum huiusmodi ratio, uti patet, valet tantum pro casu quo coniux integrum retineat ius, uti si votum castitatis emiserit ; minime vero, pro casu quo huiusmodi ius amiserit, uti si incestum commiserit. Cfer. Laymann l. c. n. 17. et hic n. 214. Secunda sententia dicit neque *teneri*, neque *posse*. Ratio est, quia actus ille coniugalis, si est *illicitus* petenti, non licet alteri coniugi illi illicito actui immediate cooperari. Tertia sententia dicit *posse* sed non *teneri* reddere *Potest ;* nam coniux reddens dat operam non alterius peccato, sed rei licitae ; alterius enim coniugis peccatum omnino subiectivum est. *Non tenetur, per se loquendo ;* quia debitor non tenetur restituire domino rem, qua ille est graviter abusurus ad peccandum. « Quando res restituenda apparet esse graviter nociva ei, cui restitutio facienda est, vel alteri, non ei debet

tunc restitui : quia restitutio ordinatur ad utilitatem eius, cui restituitur : omnia enim quae possidentur, sub ratione utilis cadunt ». S. Thom. 2. 2. q. 62. a. 5. ad 1. — Dicit autem Lugo apud S. Alphonsum, quod, cum haec obligatio sit tantum *charitatis*, non obligatur debitor ad negandum, si non possit negare sine gravi incommodo, quod omnino excusabit a cooperatione ad materiale peccati, quae potius permisso est peccati, quod alter committit. Dicitur autem *per se loquendo,* nam si esset occasio coniugi aliorum etiam peccatorum, indignationis, dissidii etc., secluso gravi incommodo alterius coniugis, tenetur tunc ratione charitatis ad debitum reddendum. Cfer. hic n. 125 et seqq. Praeterea tertia haec sententia deducitur tamquam corollarium ex duabus prioribus : utraque enim illa sententia et intrinsece et extrinsece probabilis est. — « Bene tamen advertunt Sanchez, et alii, quod eo casu teneatur coniux monere petentem ligatum voto, ut a petitione desistat, modo possit monere sine timore magni dissidii, vel indignationis, aut incontinentiae alterius : quae incommoda dicunt Sanchez et Bossius ut plurimum adesse ». L. 494., Struggl n. 105, Cfer. hic n. 127.

202. *An petenti cum sola culpa veniali teneatur alter reddere?*

R. Si culpa se tenet ex parte actus, *potest* quidem reddere, quando adest iusta causa, cum quaelibet iusta causa excuset hîc a veniali; at minime *tenetur*, quia cum actus sit per se illicitus, alter non habet ius ad illum. « Sane vero tenetur reddere, si petens haberet iustam causam ex sua parte etiam sic petendi, puta si peteret copulam situ innaturali, eo quod uxor sit praegnans, aut ipse sit pinguis, vel alioquin immineret periculum scandali...; vel si petat tempore menstrui, aut puerperii cum periculo incontinentiae, iuxta dicta n. 917. et 925 circa fin. » S. Alph. n. 946., Lesssius De Iust. et Iur. C. 4. C. 3. D. 13 n. 89. — Si culpa vero se tenet ea parte petentis, *potest* iterum reddere ; nam operam ipse dat rei licitae, et fere semper adest causa etiam extrinseca, a cooperatione excusans, vel permissionem potius cohonestans, ne coniugi displiceat ; minime vero *tenetur per se loquendo et ratione iustitiae* ob eandem rationem modo factam ; neque enim debitor tenetur restituere rem, qua dominus est etiam leviter abusurus ad peccandum, sed poterit restitutionem differre; imo ad id obligat potius charitas, quae tamen non urget cum proportionato coniugis incommodo. Quare, tali secluso incommodo, si ex denegatione longe gravius coniugis peccatum sequeretur, v. g. odium, rixae etc., tunc teneretur reddere ratione charitatis ; adeoque plerumque reddere obligatur. Laymann l. c. n. 18. Contradicit S. Alphonsus, qui in hac questione, ut et in praecedenti, simpliciter affirmat, coniugem et *posse* et *teneri* reddere de-

bitum ob rationem superius expositam pro prima sententia. Cfer. hîc n. 125 et seqq.

203. *An, uti coniux tenetur reddere debitum petenti; ita etiam teneatur admittere tactus aliosque actus incompletos, quos independenter quidem ab actu coniugali, sed citra onanismum seu pollutionem alter coniux in altero exercere velit?*

R. Affirmat S. Alph. l. c. n. 934. Sed respondendum videtur: Negative, *ratione iustitiae*. Nam coniux ius proprie et stricte loquendo non habet, nisi ad debitum petendum actus coniugalis; ad alia vero ius non habet proprie et stricte loquendo in rigore iustitiae, nisi in ordine ad redditionem illius debiti. *Ratione* vero *charitatis*, puta ad vitandum coniugis peccatum, ad fovendum eius amorem et familiae pacem, etc., potest etiam coniux teneri ad illos actus admittendos, nisi tamen grave adsit incommodum, cum charitas non obliget cum gravi incommodo. Cf. L. l. 6. n. 946.

204. Prop.° 3.ª Praedicta obligatio debitum reddendi in certis casibus non urget, nempe: 1° primo bimestri; 2.° si altera pars adulterium commiserit; 3.° si petens commiserit incestum cum consanguineis alterius partis intra secundum gradum; 4.° si pactum adfuerit de non usu matrimonii; 5° cum ob *periculum grave* animae vel corporis licite fit divortium seu separatio a toro, vel etiam habitatione; quod quidem divortium sive ad tempus sive in perpetuum ob *adulterium* vel ob *mutuum consensum* fieri etiam licite potest.

205. Prob. 1ª. pars: Obligatio reddendi debitum non urget 1°. bimestri. « In primo bimestri post initum matrimonium verbis de praesenti non obligantur coniuges reddere debitum, quo consummetur matrimonium, quia per sacros canones C. *Ex publico, de Convers. coniug.* in illis duobus mensibus, dum est matrimonium solum ratum, et non consummatum, possunt deliberare de Religione assumenda: lege Sanch. Lib. 2 de matr. disp. 22. Quod si certi sint, se nolle esse Religiosos, adhuc non obligantur reddere. Ita Praep. in 3. p. q. 3. dub. 6. n. 47. apud Diana p. 4. T. 4., res. 33ª.: favet Sanch. l. c. n. 16. contra Coninch. de Sacer. d. 26, dub. 4. Concl. 2. n. 46. quia ille animus non tollit ius, quod habent in toto eo bimestri, quod quidem ius datum fuit absolute, licite propter illum extrinsecum finem deliberandi. Post consummationem matrimonii quocumque tempore factam, semper deinde reddere oportebit; quia non est amplius Religioni locus ». Tamburini Explic. Dec. l. VII. c. III. § 5. n. 25.

206. Nota: Praedicta facultas religionem ingrediendi « intelligitur, ait S. Alph. 958., modo matrimonium non esset necessarium ad legitimandam prolem, vel reparandum scandalum, aut honorem sponsae, quae ob infamiam nequiret amplius nuptias invenire. Di-

cunt autem Sanch., etc. quod, si transacto bimestri coniux ingrediatur Religionem, illicite hic profiteretur, sed valide, quia Concil. in d. Can. 6. indistincte sic pronuntiavit: Si quis dixerit, matrimonium ratum non consummatum per solemnem Religionis professionem alterius coniugum non dirimi, anathema sit. Ut dicatur autem matrimonium consummatum, non sufficit penetratio vasis foeminei, sed requiritur effusio seminis in illud; ita communiter DD., etc. Quilibet vero coniugum licite potest intra bimestre debitum negare, quamvis non habeat animum intrandi Religionem, quia utitur iure suo; ita communiter Pal., etc. Peccaret tamen sponsus qui matrimonium contraheret animo intrandi Religionem ». Cfr. etiam n. 870. in fine.

207. *An transacto bimestri, si nondum fuerit consummatum matrimonium, possit adhuc fieri ad religionem transitus?*

R. Affirmative; « sive causa, quare consummatum non sit matrimonium, fuerit quia alter coniux non petiit, sive quia alter, cum petitum ab ipso fuisset, negavit... Quia etsi post lapsum bimestre debitum negans coniugi peccat, ius tamen ingrediendi religionem adhuc retinet, utpote quod Christus, intuitu religionis, coniugibus quamdiu matrimonium nondum est consummatum, sine temporis determinatione, concessit ». Schmalzgrueber in tit. de Conversione coniugatorum, n. 9.

208. Prob. 2ª. pars. Obligatio reddendi debitùm, non habetur in casu adulterii. « Nam Christus Matth. v. 32. et XIX. 9. dixit: *quicumque dimiserit uxorem suam, nisi propter fornicationem, et aliam duxerit moechatur*. Idem patet ex iure canonico cap. *Significasti* 4. tit. *de Divortiis*, ubi dicitur: Si notorium est mulierem ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam praefatus vir cogi non debet. Ratio responsionis vero est: quia coniuges in matrimonio tradunt sibi ius ad usum matrimonialem cum conditione, et obligatione mutuae fidelitatis: ergo coniux adulter amittit ius ad petendum debitum, et pars innocens ei non tenetur reddere debitum coniugale » Struggl. 102.

209. Nota: 1°. Adulterii nomine intelligitur hic communius et probabilius quaelibet carnis divisio, licet adulterium proprie dictum non sit, cuiusmodi est *bestialitas* et *sodomia cum alio*, quam cum proprio coniuge. « Nam sodomia, quando exercetur cum proprio coniuge, non est causa sufficiens divortii perpetui; quia per illam caro coniugis non commiscetur cum carne alterius suppositi. Potest tamen uxor divertere ad tempus, si vir ab ipsa admonitus nolit desistere ab hoc flagitio; ut cum Sanch. et Bonac. advertit Babenstuber hic art. 6. n. 30. aliique communiter ». Struggl. tr. 12. q. 2. art. 6. n. 69.; Billuart de matr. Diss. 5. art. 2. § 6. Ita etiam L. 962., qui in fine haec addit « sed auctores primae sententiae (nempe negantis,

licere facere divortium ob sodomiam aut bestialitatem) semper replicare possent vere non dividi carnem sine copula naturali. Caeterum bene ait Pont. ab hac sententia non recedendum, cum sit communis, sed revera eam non probari ». Hinc ulterius infertur « ad divortium non sufficere solam voluntatem adulterandi, etiam verbis aliisque signis expressam, neque alios actus impudicos, ut oscula, tactus, etc. imo neque sufficere pollutionem, quam quis secum ipse aut alia persona exercet. Idem est de concubitu cum foemina mortua, aut bestia mortua, ut communiter advertunt Doctores. Ratio huius est: quia per similia non violatur complete matrimonium, neque dividitur caro coniugis cum alio supposito » Struggl. l. c., L. 960. 962.

2° Adulterium esse debet *moraliter certum:* nemo enim spoliandus est certo iure suo, quod possidet propter dubitationem, vel probabilitatem oppositam. L. 961. — Adulterium esse debet omnino *voluntarium*, non vero ex illata violentia, vel fraude, aut bona fide patratum. Struggl. 70. 75., L. 966. — Esse debet *non condonatum* sive expresse, sive implicite v. gr. per actum coniugalem, vel alia obsequia, et signa coniugalis affectus, quae coniux *scienter* et *sponte* coniugi exhibet. Quare I°. « Si coniux innocens per haec vere animum non habeat remittendi, in conscientia, semper recedere potest ». L. 966. — II°. Non licet instituere divortium, quando unus coniux est causa *directa* adulterii ab alio commissi: e. g. si vir uxorem prostituat, vel ei adulterium consulat, aut in illud consentiat. Ratio est, quia tunc eo ipso remittit iniuriam. E contrario licet viro instituere divortium, etsi indirecte et per accidens dederit ei causam adulterandi, e. g. eam domo expellendo, aut necessaria ei alimenta denegando. Ratio est, quia tunc non censetur consentire in adulterium uxoris. Struggl. 72. 73., L. 966. — III°. « Postquam semel remisit coniux innocens, iam non poterit amplius debitum negare vi prioris adulterii iam remissi. Secus, si novum accessisset, quia iniuria semel remissa reviviscere nequit, et dare ius negandi, iuxta communem DD. ». Sporer 510. — Adulterium insuper *mutuum* esse non debet. Nam si et alter sit adulter, iam negare debitum licite non potest; quia iam iniuriae adulterii sibi invicem compensatae sunt. Hinc « infertur primo, non posse institui divortium, etsi unus coniugum prius commiserit adulterium quam alter, aut saepius et gravius quam alter, e. g. unus semel cum persona soluta, alter decies cum persona ligata, ut cum Sanch., Bosco, Pirrhing, et aliis docet Reiffenstuel n. 82. Ratio huius est: quia in tali casu, licet non sit paritas delictorum quoad numerum vel malitiam individualem, est tamen paritas quoad rationem specificam adulterii qua talis, quatenus nempe illud est contra fidem alteri da-

tam, et divisio carnis cum alia persona. Secundo, non licere pro foro interno instituere divortium, etsi adulterium unius coniugis sit publicum et alterius occultum: adeoque peccaret mortaliter, qui coram Deo occulti adulterii reus alterum coniugem ob simile delictum publicum repelleret, aut ei debitum coniugale denegaret; (ut cum S. Thoma docent communiter). Ratio huius est: quia pro foro interno non requiritur probatio, sed sufficit veritas Deo nota ». Struggl. 77.

3°. « Coniux adulter amittit ius petendi debitum *non simpliciter,* ut nec valide nec licite potere possit (sicut si commisisset incestum cum consanguinea coniugis in 1°. vel 2°. gradu); semper enim adulter licite petit, et coniux licite reddit debitum, secundum omnes, sed solum sic amittit ius, ut non possit valide et obligatorie petere, ita ut coniux innocens reddere teneatur; cum, ut modo dictum est, ei iuste denegare possit ». Sporer 510. Quin imo tunc coniux innocens religionem ingredi, aut sacros etiam ordines suscipere potest: nocens vero non, nisi cum innocentis consensu vel nisi alter iam statum irrevocabilem assumpserit. « Alias, si religionem aut sacerdotium suscipere velit, esto iam assumpserit, potest ab illo repeti, et tenetur reddere. Sed sufficit ad hoc licentia tacita, ut si alter sciens, hunc velle mutare statum, non impediat, cum commode possit. Et sufficit etiam, si alter requisitus neget conciliationem, ut dicunt Sanchez et alii plures... Quod si post biennium adulter non revocatur, potest libere religionem ingredi, vel sacris initiari, quia tunc censetur alter in hoc ei consentire, iure sic disponente in Authentica *Sed hodie, C.* ad *L. Iul. de Adult.* ». L. 960. 969.

4°. « Coniux adulter et valide et licite potest exigere debitum, hoc est, non tantum ut licitum, sed etiam ut iure sibi debitum, quamdiu coniux innocens propter ignorantiam nihil excipit, vel sponte sua nihil excipiens reddere paratus est... Ita communis DD. Ratio est, quod adulter privetur iure petendi debitum propter adulterium, poena quaedam est, ad quam seipsum adulter condemnare, vel sibi ipsi infligere non tenetur, nemine agente vel excipiente contra ipsum; sed, ut modo dixi, per voluntatem et quasi sententiam coniugis innocentis ea poena infligenda est adultero. Accedit quod coniux adulter, maxime vir, plerumque non possit abstinere a debito petendo modo prius solito, quin in criminis suspicionem veniat apud alterum coniugem, vel alia mala oriantur... Quin etiam, si coniux adulter advertat, quod coniux innocens adulterium suum certo compertum non habeat, sed levibus tantum suspicionibus inducta se a debito reddendo subtrahat, eam ad debitum reddendum etiam compellere poterit. Nam, ut supra dictum est, coniux inno-

cens non potest exceptione adulterii eam poenam infligere negando debitum nisi de crimine ea poena digno, scilicet adulterio commisso, non levibus coniecturis constiterit. » Sporer 511., Ithurriaga Cas. 6., Laymann l. c. n. 4.

210 *An coniux possit adulteram dimittere propria auctoritate?*

R. « Absolute negant Concina et Bellarminus cum D. Thoma Suppl. q. 62. a. 3; nam separatio coniugum est actio publica pertinens ad externam gubernationem; unde non potest fieri privata auctoritate sine perturbatione. Alii cum S. Anton., Laym. et Salm. affirmant, si adulterium est notorium; non vero, si occultum, quia non licet famam adulteri prodere. Sed Bonac. Fill., Led. Sanch. et Sa absolute (praecluso scandalo) affirmant, sive adulterium sit notorium, sive occultum; neque enim Christus distinxit, cum permisit dimittere adulterantem. Haec sententia nobis probabilior est, saltem si adulterium sit ex parte foeminae; durum enim esset cogere virum, ut crimen suae uxoris publicum faciat in iudicio cum suo perpetuo dedecore » Scavini tr. 12. D. 6. post. q. 7., L. 968.

211. *An vir, cognito uxoris adulterio, teneatur eam dimittere; et vicissim uxor virum adulterum?*

R. Ad 1^um^. Negative, *ratione adulterii;* nam Christus permisit utique, sed non praecepit talem dimissionem. Affirmative, *ratione correptionis fraternae;* si tamen 1°. corrigere non possit alia via; 2°. si ex tali dimissione gravia incommoda non timeantur. Constat ex generali praecepto charitatis. Affirmative iterum, *ratione scandali,* quum adulterium sit *publicum;* si tamen 1°. nequeat quis alio modo scandalo occurrere; 2°. si nulla adsit iusta causa excusans, qualis esset e. g. ex parte innocentis grave eius incommodum, ex parte adulterae prudens timor ne deterior evaderet. Constat ex eodem charitatis praecepto. Hinc raro tenetur vir uxorem adulteram dimittere. L. 963.

R. Ad 2^um^. Prima sententia dicit nunquam teneri. Non ratione scandali, quia nunquam praesumitur uxor consentire in viri adulterium; non ratione correptionis, quia tantum Superioris est corrigere facto; uxor autem est subdita viro. — Secunda sententia S. Alphonso *verior* dicit uxorem teneri aliquando divertere a viro adultero; quia aliquando tenetur etiam subditus, si potest sine gravi incommodo, corrigere Superiorem modo, quo potest; et a fortiori ad id tenetur uxor, cui iam concessum est relinquere virum adulterum; dummodo tamen probabilis sit spes emendationis, et uxor discedere possit sine gravi incommodo. — Hinc raro, sive rarissime ad id tenetur uxor; « et ideo neque etiam tenetur ei debitum negare; tanto magis, quia negando vir fieret deterior ». L. 964.

212. *An, facto divortio per sententiam iudicis, possit innocens alterum cogere, ut ad se redeat?*

R. Prima sententia, quam probabilem vocat Sanchez, dicit quod per sententiam etiam adultera remaneat soluta ab obligatione cohabitandi, et reddendi debitum. Secunda sententia, quam communem dicit S. Alphonsus, docet quod teneatur adultera redire, quia innocens suum ius non amittit per sententiam, quae tantum in poenam adulterae, non in favorem emanatur. Merito vero dicunt DD. raro posse compelli uxorem adulteram redire ad virum propter prudentem timorem mortis aut sevitiae facile ab illo inferendae. L. 967.

213. *An coniux innocens teneatur recipere alterum ex adulterio iam emendatum?*

R. « Affirmat Conc. ac Bus. cum Laym. et Perez eum ad hoc teneri ex charitate, si alias ille sit in periculo relabendi. Sed ego minime auderem innocentem ad hoc obstringere sub culpa, cum ex una parte Christus Dominus eum perpetuo liberavit ab obligatione cohabitandi cum adultero, et ex alia non videtur charitas ad tantum onus obligare, ut coniux recipiat alterum, qui fregit sibi fidem ». L. 965.

214. Prob. 3ª. pars: Nulla et obligatio reddendi debitum in casu incestus. Constat ex Iure Can. Cap. *Transmissae*, Cap. *Tuae fraternitatis De Eo qui cognovit consanguineam*, et Cap. *Si quis viduam* et seqq. c. 32. q. 7. Coniux enim incestuosus, qui incestum commisit cum consanguinea coniugis in primo vel secundo gradu, in poenam criminis sui ob contractam affinitatem cum coniuge suo ius amittit debitum petendi.

215. Corollar. Non prohibetur a debito petendo, qui incestum committit cum propriis consanguineis, quia quamvis gravius peccatum commise rit, ex ipso tamen non oritur affinitas cum proprio coniuge, et ideo non ita matrimonio adversatur.

216. *Nota:* 1.º Coniux incestuosus nequit petere coniugale debitum, licet incestus sit occultus. Struggl 103., L. 1074. Ut plurimum enim incestus occultus est, quare inutilis omnino ea lex secus foret. - Ut incurratur poena amittendi iuris debitum petendi copula incestuosa debet esse perfecta, saltem ex parte viri. Odiosa enim sunt restringenda. An autem requiratur ut copula etiam ex parte mulieris sit consummata. Alii probabiliter affirmant, alii probabiliter negant. « In dubio praesumendum est pro copula perfecta, quia ex communiter contingentibus haec prudenter adfuisse praesumitur .... Et sic etiam semper praesumitur seminatio mulieris, quando ipsa in coitu magnam senserit voluptatem, esto seminationem non adverterit ». L. 1075.

2.° Excusat vero ab hac poena subeunda ignorantia etiam crassa, etiam non improbabiliter affectata, sive *facti* i. e. si coniux cognoverit consanguineam ignorans esse consanguineam, aut tam propinquam, sive iuris i. e. legis humanae, sive *poenae* i. e. si quis habeat scientiam legis et facti, sed nesciat adesse poenam non petendi. Ratio horum est, quia haec privatio imponitur in Iure Canon. tantum *scienter* peccanti, et agitur de poena extraordinaria. Id tamen communius non admittitur de ignorantia affectata, sed tantum de crassa. L. 1072. 1074., Scavini Tr. 12. D. 5 C. 2. q. 3. — Excusat etiam ab eadem poena, si per violentiam a consanguinea cognoscatur, etiamsi coniux graviter peccet. Ratio, quia sicut metus excusat hic a lege ecclesiastica, licet non excuset a lege naturali, sic etiam a poena ab illa imposita. L. 1071.

3.° Coniux innocens ab incestuoso licite potest *petere* debitum coniugale, uti etiam reddere « cum enim ius coniugale plenissime possideat potest eo uti seu petendo seu reddendo ». Laymann l. c. n. 15. Cfer. hic n. 201. — Restitui quis potest in iure amisso petendi debitum a legitimo superiore. Hanc dispensandi facultatem praeter Summ. Pontif. habent Episcopi et Regulares. Qua in re animadverte, superiorem dispensare solum in lege ecclesiastica, non autem in iure naturali vel tertii, quod a delinquente coniuge violatum est accedendo ad aliam : hinc innocens poterit nocenti etiam dispensationem adepto debitum negare ratione adulterii, quod adest in tali incestu. Scavini l. c. q. 3. Cfer. hîc n. 170.

217. *An impeditus a copula ob incestum impediatur etiam a tactibus incompletis ?*

R. Negative, quia lex prohibens copulam, cum sit poenalis et odiosa non est amplianda ad tactus. L. 933.

218. *An coniux possit et teneatur reddere debitum incestuoso petenti ?*

R. Alii dicunt teneri : alii dicunt nec teneri nec posse. Alii vero communius et probabilius dicunt, *non teneri*, sed *posse*. Ratio primi est, quia incestuosus privatur iure petendi ; ratio secundi est, quia cum coniux innocens habeat ius petendi, a fortiori habet ius reddendi. Ratio autem, ne onus habeat, maxime uxor, semper petendi, omnisque dissidii vitandi, satis est ad permittendum peccatum quod incestuosus petens commitit. L. 945. Cfer. hic n. 125. et seqq. et 201.

219. *An parentes baptizantes vel suscipientes de baptismo filios contrahant impedimentum petendi debitum ?*

R. « Certum est 1° non contrahere si baptizent in necessitate . . . Certum est 2° graviter peccare parentes, qui ex industria, et sine necessitate ; filios baptizant . . . . Certum est 3.° non contrahere co-

gnationem, si parentes ex ignorantia baptizent.... 4° si filios baptizent ex industria praeter necessitatem.... sententia satis probabilis negat, eamque tenent plures et graves DD.... Ratio est, quia revera nullo iure (ut ipse Sanch. fatetur, et ideo hanc sententiam probabilem, et tutam vocat) expressum invenitur, suppositam cognationem contrahi ». L. 150, 158.

220. Prob. 4. pars: Obligatio non adest debitum reddendi, si pactum intercesserit de non usu matrimonii. Quia neutra pars tenetur petere, sed solum reddere debitum coniugale; ergo, si utraque pars consentiat ad non petendum ex honesta causa, possunt licite facere divortium quoad torum et habitationem. Struggl. 66.

221. *Nota:* 1.° Hoc pactum possunt coniuges mutuo consensu rescindere, non vero unus altero invito, ut per se patet. — Idem pactum validum et licitum est *quandiu abest periculum incontinentiae;* quia contractus matrimonialis usque ad mortem est indissolubilis, et nullus coniugum potest se vel alterum exponere periculo incontinentiae; adeoque exurgente periculo incontinentiae tale pactum non obligat, sed potius obligat contractus matrimonialis ad reddendum debitum. — Divortium hoc ex mutuo consensu coniugum potest fieri propter triplicem causam: 1.° propter continentiam ex libera electione, vel edito illius voto; 2.° propter susceptionem maioris Ordinis; propter professionem religiosam. Dicitur autem *ex mutuo consensu;* secus enim iustitia laederetur. Insuper ex Iure Can. quoad uxoratum, qui velit ad alium statum transire uxoris licentia expressa atque spontanea requitur, Cap. *Consuluit, de Convers. coniugatorum.* Hinc si maritus inscia et invita uxore profiteretur, professio esset invalida et professus teneretur ad uxorem reverti, petentique debitum reddere; ut statuitur Cap. *Quidam, de Convers coniugat.* Ipse autem debitum petere non potest, quia praesumitur ad continentiam se obligasse, quantum potuit. Si tamen huiusmodi professus non intendisset se obligare nisi dependenter a valore professionis, illa praesumptio in foro coscientiae deberet cedere veritati, sicque posset etiam petere debitum, et mortua uxore aliam ducere; ut cum aliis communiter docet Layman hic. cap. 7. n. 4. Si denique sine licentia uxoris sacros ordines suscepit, etsi valide susceperit, tamen peccavit mortaliter, et incurrit irregularitatem; ut statuitur Extravag. *Antiquae, de Voto.* Unde a coniuge potest revocari, revocatusque tenetur debitum reddere, sed non potest petere ob votum Castitatis Sacro Ordini annexum. Struggl 66.

2°. Porro coniux non est ordinandus, nisi uxor castitatem voveat, Cap. *Coniugatus, de Convers. coniugator.*, itemque coniux ad sacram professionem admittendus, non est, nisi uxor dans

licentiam, si iuvenis sit vel suspecta de incontinentia religionem et ipsa profiteatur; (non desunt autem qui dicunt, quod tunc tenetur quidem Monasterium ingredi; sed non profiteri, G. Dumas v. 2. n. 43); vel si senex sit et nullatenus de incontinentia suspecta, saltem continentiae votum in saeculo emittat coram Episcopo et testibus, ita ut de illius nuncupatione dubitari non possit. Alexander III. Cap. *Cum iis.* 4. *de Convers. coniugator.*, Bouix de Iure Regular. Parisiis 1857. T. 1. pag. 531., Scavini Tr. 12. D. 6. q. 7., L. l. 6. n. 812., Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. 12. n. 10. et seqq. — « Religiosum tamen habitum uxor assumere deberet licet vetula esset, et quodvis abesset incontinentiae periculum aut suspicio, quando vir sacris initiatus forte ad Episcopatum assumeretur, ut expresse habet C. *Sane 6 de Conv. coniugat.* (Vid. Schmazgr. L. 4. Tit. 6. n. 38). Licet autem votum continentiae, quod uxores in saeculo relictae in praemisso casu emittunt, sit simplex, et quatenus simplex est, suapte natura videatur non esse impedimentum dirimens matrimonii; controvertitur tamen, an *post viri ordinationem*, eo defuncto, possint valide matrimonium inire. « Prima sententia negat, et innititur Iure Can. *C. Quia sunt* 10. D. 28., ubi dicitur de tali matrimonio: *Qui male sociati sunt, disiungantur.* Ratio autem huius decisionis est, quia Ecclesia ob reverentiam Ordinis, a primo vero assumpti reddit uxorem inhabilem ad subsequens coniugium. Hanc sententiam vocat communiorem et valde probabilem S. Lig. n. 812. — Secunda sententia affirmat. Ratio est, quia non constat, tale matrimonium esse irritum. Etenim: 1° irritum non est ratione voti simplicis castitatis a tali uxore emissi; 2.° nec irritum est ex speciali lege Ecclesiae: nam ex eo quod iubeantur coniuges separari, non sequitur eorum matrimonium esse invalidum; separatio enim iuberi potest in poenam secundi matrimoni contra votum et prohibitionem contracti. Hoc dicit sat probabile idem S. Lig. ibid. », Gury-Dumas II Vol. n. 44. Dicitur post viri sacris initiati mortem; quia si maritus non susceptis sacris ordinibus mere in religione profiteretur, illicite quidem; sed non invalide post eius mortem, non obstante continentiae voto, alteri nuberet. G. Ball. 761. 1.° Nota.

222. Prob. 5ª. pars: Obligatio non adest debitum reddendi, cum ob grave animae vel corporis periculum licite fit divortium. — 1.° Causa divortii esse potest periculum spirituale animae ex consortio alterius coniugis imminens. Id patet ex illa generali doctrina Christi, Matth. v, 29: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et proiice abs te.* Ratio vero est: quia maior est obligatio non peccandi, et evitandi periculum aeternae salutis, quam obligatio cohabitandi cum coniuge; ergo in tali casu prior obligatio praevalet. — 2°. Causa item divortii esse potest periculum vitae, aut aliud grave malum vel in-

commodum corporis ex consortio alterius coniugis imminens. Id patet ex Cap. *Litteras*, et Cap. *Ex transmissa de Restitutione spoliat.* Ratio vero est, quia obligatio cohabitandi quae oritur ex contractu matrimoniali, non censetur se extendere ad eiusmodi casus. Ergo. Struggl. 81. 83., L. 970. 973. 974., Billuart de Matr. Diss. 5. art. 2. § 6.

223. Corollar. 1.° Coniux divortium facere potest ob haeresim, « quod valet ex Salmanticensibus etsi, adhibita diligentia, absit periculum perversionis; nam iura non distinguunt, *C. ult. de Conv. coni.*, *C. Quanto, de Divort.*, etc. Id statutum est in poenam infidelitatis. Nomine haeresis multo magis intelligitur apostasia. — Separatio fieri etiam potest auctoritate propria, etsi haeresis occulta sit. Si autem haeresis sit auctoritate Ecclesiae declarata, hoc innocens gaudet, ut non teneatur recipere partem conversam, et possit etiam fieri Religiosus. Si haeresis sit ex utraque parte, neutra potest divertere; quia hoc ius est tantum catholici. Si pars catholica labatur in adulterium, non ideo tenetur redire ad haereticam; nam sunt diversa delicta, unum contra Deum, aliud contra coniugium. Hinc tunc pars haeretica potest recedere a catholica ratione adulterii, catholica autem ab haeretica ratione haeresis; quia utrumque crimen dat ius separationis ». Scavini Tr. 12. D. 6. q. 7.; L. 974. — 2.° Divortium facere potest coniux ob alia crimina; « sed tantum ob perniciosa ». L. l. c. « Etiam ob periculum aliorum peccatorum, quod ex cohabitatione imminet, licitum est divortium coniugi innocenti, quando alter etiam post admonitionem non desistit a causando simili periculo peccati. Sic igitur uxor licite se separat a viro cum illa exercente sodomiam aut meras pollutiones, aut laenocinium, seu ipsam prostituente aut pellicem domi fovente. Item ab illo, qui ipsam incitat ad furta tegenda, vel est veneficus; quia propter talem societatem viri cum daemone mulier gravia mala tam corporis quam animae merito timere potest; ut cum Coninck et Sanch. advertit Laymann aliique passim ». Struggl. 82. — 3° « Licitum est divortium: si coniux sit leprosus, lue venerea, peste, aut alio morbo contagioso infectus. Si vir mulieri machinatur mortem, aut mutilationem. Si ob eius sevitiam, aut iram et furorem. gravia verbera, et vulnera assidua sint timenda, et sustinenda; ut habetur in iure canonico ll. cc. Porro tale divortium non est ex natura sua perpetuum, sicut divortium propter adulterium, sed cessante saevitia, aut alia simili causa mulier viro est restituenda.... Ad faciendum divortium ob saevitiam coniugis, opus est auctoritate iudicis Ecclesiastici, seu Episcopi, aut Consistorii; ut patet ex cap. *Porro* et cap. *Significasti, de Divortiis;* et saevitia debet probari per testes. Idem est de aliis periculis corporis aut animae, nisi periculum ipsum sit etiam in mora, ut cum Gutie-

rez et Sanch. advertit Laym. » Struggl. tr. 12. q. 2. n. 83., Scavini Tr. 12. D. 6. q. 7. et adnot. (2.).

223. Nota: 1° « Conveniunt DD. quod facto divortio iuridico filii sint educandi apud coniugem innocentem... Quando alter coniugum esset infidelis, vel haereticus, proles semper apud fidelem educanda est, quamvis fidelis fuerit in culpa ». L. 976. — 2.° Dispositiones quoad divortium habes in Cod. Civ. Ital. art. 148. seqq. et Gall. art. 229. seqq. — 3.° Ex divortiis plura oriuntur mala tum quoad ipsos coniuges, qui forsan in gravi incontinentiae periculum coniiciuntur, tum quoad filios, si qui sint, qui nonnisi aegre ferre possunt parentum divisionem, tum quoad caeteros, qui sine gravi scandalo id accipere nequeunt. Hinc confessarii cura esse debet reconciliationem suadere, et quantum potest procurare. Quod si nihilominus divortium facere contendant sine gravissima et probata causa, non sunt absolutione digni. Scavini Tr. 12. D. 6. q. 8. Mon.

CAPUT QUINTUM

De peccatis internis luxuriae

Explicavimus hactenus externa luxuriae peccata; reliquum est, ut dicamus de peccatis internis.

224. Triplex potissimum hac in re generatim distinguitur actus internus praeter cogitationem ex parte intellectus et imaginationem ex parte phantasiae: *delectatio morosa, desiderium, gaudium.*

Delectationem veneream excitant *impurae cogitationes et imaginationes*, quae in illam per se magnum habent influxum.

Cogitationes rerum inhonestarum *per se* nullum continent peccatum. Et consequenter ex honesto fine eas habere, etsi non sine pravo delectationis venereae effectu, nullum per se est peccatum.

Verum, si honestus et iustus desit finis, ex pravo habeantur affectu, vel rerum sint valde inhonestarum, licet ex mera curiositate, vel levitate, vel diutius quis in illis immoretur, gravem continent influxum in veneream delectationem, et a gravi peccato tunc excusari non possunt. — Cogitationes autem impurae rerum non multum inhonestarum et parum commoventium, ratione levis influxus in veneream delectationem non sunt per se nisi leve peccatum. — Ac, cum huiusmodi impurae cogitationes nonnisi in veneream delectationem excitandam tendant, omnes sunt eiusdem speciei, et consequenter opus tunc non est earum varia obiecta explicare in Confessione.

225. *Delectatio* in sua generalisssima acceptione est: quietio facultatis cognoscitivae, vel appetitivae in suo proprio obiecto ex con-

formitate talis obiecti cum ea facultate. Triplex est pro triplici facultate: *spiritualis* seu *intellectualis*, quae in intellectu et voluntate locum habet; talis est e. g. delectatio intellectus in contemplatione veritatis; *sensibilis*, quae in organo sensus, generationis organis seclusis, exsurgit, e. g. delectatio visus ex re pulchra, auditus ex musica, tactus ex lenitate, gustus ex sapore, odoratus ex suavitate odoris; *carnalis* seu *venerea*, quae sentitur in organis generationis, adeoque quietio est facultatis sensitivae in rebus generationis.

Delectatio *sensibilis* et *carnalis* seu *venerea* ad actus exteriores spectat. De utraque, respectu praesentis materiae, iam dictum est supra n. 2., et praecedentibus capitibus.

Delectatio vero *spiritualis* actibus interioribus continetur; eaque ubi rem prohibitam respiciat, appellari solet in morali theologia *delectatio morosa;* et est complacentia simplex et voluntaria de re illicita; *simplex*, h. e. sine desiderio et intentione eam opere complendi, ita ut quis sit contentus sola delectatione, cogitatione interiore, e. g. de occisione inimici, aut copula carnali; *voluntaria*, hinc delectatio non dicitur *morosa* propter qualemcumque moram temporis, sed propter sui continuationem, post advertentiam plenam intellectus ad malitiam rei; adeoque delectatio est morosa, quamvis voluntas post talem advertentiam per unum instans, seu momentum temporis in ea persistat et libere moretur.

Delectatio igitur morosa rei venereae *mere spiritualis*, quae nempe in sola voluntate sistit, etiam nulla turpi carnis commotione coniuncta, peccatum semper grave erit extra legitimum matrimonium, quia de obiecto est graviter prohibito. Cfer. hic n. 2. Idemque consequenter dicendum est de desiderio et de gaudio rei venereae, quae pariter gravia semper sunt. — Delectatio morosa respicit obiectum *praesens secundum apprehensionem*, ut « quando per imaginationem phantasiae quis reddit sibi praesens opus peccati, nempe actum fornicationis, et de illa deliberato consensu delectatur, tamquam actualiter fornicaretur sine tamen desiderio exequendi ». L. l. 5' numero 15.

Desiderium est, voluntatis actus, quo quis deliberate intendit obiectum ipsum futurum, adeoque *ut in seipso ponendum*. Duplex est: aliud est *simplex desiderium*, seu *desiderium de se inefficax*, et est mera concupiscentia operis externi et mediorum *sine intentione exequutionis talis operis*, media non adhibendo; aliud vero est desiderium *de se efficax*, seu *propositum*, et est interior concupiscentia operis externi et mediorum *cum intentione absoluta*, vel saltem *hypothetica*, si fieri posset, *exequutionis operis*, debita media adhibendo.

Gaudium tandem, est actus voluntatis, quo quis deliberate ap-

probat, sibique complacet de ipso obiecto praeterito, h. e. executioni mandato, adeoque *ut in se ipso* illud obiectum positum fuit. Ithur. Cas. 18. n. 2-6., Billuart, Diss. 6. art. 15. § 1. III., Lugo de Poenit. D. 16. n. 363 et seqq.

Nota. « Haud paucos praesertim e rudioribus in hac versari deceptione, se tunc solum consentire, cum voluntatem habent exequendi, opereque ipso perpetrandi fornicationem, stuprum, aliumve externum actum libidinosum. Error hic est enormis ab sacerdotibus pro virili extirpandus ». Ithur. Cas. 18. n. 5.

226. Desiderium, sive efficax, sive inefficax sit, induit species tum obiecti *realis*, tum circumstantiarum ipsius obiecti. Gaudium pariter species induit tum obiecti *realis*, tum circumstantiarum ipsi adnexarum. Delectatio morosa speciem variat pro varietate obiectorum *apprehensorum* et circumstantiarum *menti exhibitarum*. — Constat ex ipsa intrinseca tendentia talium actuum, iam explicata. Billuart l. c., Lugo. l. c.

Coroll. 1.° Valde probabilis est sententia, « quod si quis delectatur de copula cum nupta, non quia nupta, sed quia mulier pulchra est, etc., non contrahit malitiam adulterii, circumstantia enim adulterii tunc non intrat in delectationem ; idcirco tantum castitas non iustitia laeditur. Et idem dicit probabiliter Tamburini, si quis affectu venereo, sine desiderio, nuptam aspiciat. Hoc tamen non obstante, valde mihi placet id quod habet Holzman, nempe quod licet ratione delectationis non sit obligatio explicandi circumstantiam adulterii, sit tamen in praxi explicanda ratione periculi proximi concupiscendi (saltem inefficaciter) mulierem illam nuptam, in quod se coniicit qui de ea delectatur. Nulli vero dubium, quin committatur adulterium, quotiescumque habeatur gaudium, seu complacentia de copula habita, vel desiderium de copula habenda cum coniugata, quia tunc voluntas amplectitur totum obiectum pravum cum omnibus suis circumstantiis, nec ab illis praescindere potest, ideoque castitatem et iustitiam laedit. Item, si quis delectetur de copula sodomitica. Item, si persona, quae delectatur, sit voto castitatis obstricta, etiam contra votum peccat »..... L. l. c. Cfer. Billuart l. c. § III., Lugo l. c.

2.° Delectatio *de ipso opere malo*, e. g. fornicationis etc. semper est mala graviter vel leviter, prout ipsum opus graviter vel leviter malum est. Delectatio vero *de cogitatione* operis mali, ita ut non ipsum opus malum, sed cognitio dumtaxat illius sit obiectum delectationis, *per se* indifferens est, adeoque potest esse bona, si adsit iusta causa cogitandi, v. g. causa studii, consultationis, etc., cum abominatione semper ipsius obiecti, vel potest esse venialiter mala si fiat ex curiositate, levitate etc., vel potest esse etiam graviter

mala, si fiat ex fine mortaliter malo, vel proximum adsit periculum deliberatae delectationis in ipsum obiectum. Quod de delectatione *cogitationis* dictum est, dicendum etiam de delectatione *modi* artificiosi, industrii, etc. peracti operis mali, e. g. si delecteris de ingenioso raptu sponsae ab alio peracto, ex honesto fine, delectatio honesta erit, si autem ex fine malo delectatio mala est. S. Th. Quodl. 12. a. 33.

3° Doctrina S. Thomae aientis 2. 2. q. 154. a. 4. peccatum non esse, si placeat pollutio nocturna, ut naturae exoneratio vel alleviatio, nullo modo potest intelligi de delectatione pollutioni insita quae, utpote turpis, in se et obiective mala est; et hoc modo se explicat S. Doctor in IV. Dist. 9. q. 1. a. 4. q. 1 ad 5^{um}. Imo S. Alphonsus lib. V. n. 20. vult intelligendum esse S. Thom. de pollutione *pure naturali*, quae naturaliter provenit a natura se exonerante, minime vero de pollutione nocturna quae evenerit ex tactu seu ex turpi somno, quia hac ratione iterum est obiective mala. Caeterum in praxi huiusmodi complacentia, quamvis per se et speculative honesta, propter periculum quod affert vitanda est. G. Dumas v. 1. n. 173. « De pollutione habita in somno, ait Ithurr. Cas. 18 n. 6. gaudere quempiam posse, non quatenus est veneree delectabilis; sed quatenus utilis sit, aut ad sedandas tentationes, aut ad consulendum valetudini ». Cfr. Scavini Tr. 4. d. 1. c 2. a 4. q. 13., Ithurr. Cas. 23 n. 31 et seqq., Sanchez in Dec. l. 1. c. 2, n. 19., Billuart Diss. 6. art. 14, *Dico 1°* *Dico 2°*, D'Annib. p. 1. n. 275. (18). ed. 4^{a}.

4° « Non est peccatum, saltem mortale, si coniuges delectentur appetitu tantum rationali de actu coniugii praeterito, futuro, vel possibili, respectu compartis praesentis vel absentis. Item si sponsus desideret copulam futuram, aut de ea delectetur; vel vidua de praeterita. Ratio est, quia hi actus habent obiectum licitum. Dixi: *appetitu rationali;* quia si sponsus aut vidua voluntarie consentiat in delectationem sensitivam, et carnalem (quae ex recordatione copulae futurae aut praeteritae naturaliter oritur), mortaliter peccat, ut docet Less., Bon., Tann., Pal., Dian. contra Medin. Quia vero ad supradictam voluntatis oblectationem, sensitiva et carnalis ut plurimum, imo etiam periculum consensus in fornicationem consequitur, oblectationem illam voluntatis in praxi vix locum habere, saltem in vidua et sponsis; inter coniuges tamen, modo periculum pollutionis absit, etiam sensitivam et veneream delectationem non esse mortale, docent Fill., Bon., Sanch., Less. et Dian.; tum quia status matrimonii haec excusat, uti etiam tactus impudicos, solius voluptatis causa institutos, tum quia haec tendunt per se ad opus coniugale, licet per accidens opus non exerceatur ». Busemb. ap.

S. Alph. l. V. n. 23. — Struggl Tr. VII. q. 7. art. 2. nn. 18. 19; Sporer de matr. n. 505; Ithur. Cas. 18.; L. l. c. n. 24., 25, lib. VI. n. 937.; Billuart Diss. 6. art. 15 §. IV.

CAPUT SEXTUM

De Confessarii praxi quoad materiam luxuriae

227. Quoad interrogationes faciendas, servanda est sedulo regula ab omnibus admissa: « In materia luxuriae multo melius est in pluribus deficere, quam in uno superabundare ratione integritatis confessionis ». In dubio igitur an in tali casu interrogare possis vel debeas, pro parte negativa semper standum erit; minus enim malum est deesse integritati confessionis, quam poenitenti vel etiam sibi scandalum creare. G. 616, Sporer 661., Tamburini Tr. 2. de 2° Eccl. praec. cap. 17, Monitio etc., Ithur. Cas. 38. n. 4., Lugo de Poenit. D. 16. n. 595. Hinc S. Alph. Hom. Apost. Tract. ult. c. unic. p. IV. n. 37. « Caveat, inquit, (Confessarius) ab exquirendo a puellis vel a pueris, an adfuerit seminis effusio; cum his enim melius est deesse in integritate materiali confessionis, quam esse causam, ut apprehendant quae nondum noverint, vel ponantur in curiositate addiscendi ». Et ibid. p. 3. n. 27. haec idem S. D. quoad debitum coniugale: confessarius *non tenetur*, « ordinarie loquendo, *nec decet* interrogare (quatenus nempe necesse sit) nisi uxores, an illud reddiderint modestiore modo quo possit, puta, an fuerint obedientes viris in omnibus. De aliis taceat nisi interrogatus fuerit ». Et si nuptura de his interroget, ut sciat, quid sibi licitum futurum sit, respondeat ut matrem interroget, vel interim suo marito tanquam capiti in dubiis obtemperet, confessarium de his postea, si ei acciderint, consultura. Gobat Theol. Exper. Tr. X. Cas. 17. n. 648. 649.

Si quando igitur interrogatio, hac in re, facienda est, ea prudens sit necesse est. Prudenter autem interrogabit confessarius, si, ut ait S. Th. in IV. Dist. 19. q. 2. in fin. Expos. text. V. *Et idem*, ita fiat interrogatio, « ut si commisit discat, si non commisit non addiscat ». — Si vero interrogationes faciendae sunt *paucae et cautae*, eo ipso interrogare aliquando oportet poenitentem, et male facit qui tamquam regulam generalem sibi constituat nunquam de hac re interrogare. Aliud est enim caute interrogare, aliud nunquam interrogare. Et sane, ut docet idem S. Alph. Hom. Apost. Tract. ult. n. 37. app. 4. p. 1. n. III. et Prax. Confess. n. 90. aliique communiter, qui de confessionum praxi scripserunt, poenitentes saepe ob pudorem et verecundiam nihil de hac re dicunt, et expectant confessarium, ut interroget et animum illis sic quasi addat. Iam vero si confessarius

non interrogat, pudor ille et verecundia crescit omnino, ita ut obfirmentur poenitentes in proposito rem tacendi, et voluntas illa quae antea erat forsan quaedam velleitas rem dicendi, propositum iam evadit rem tacendi. G. 924. Haec Angelicus Doctor l. c. « Dicendum quod Sacerdos debet perscrutari conscientiam peccatoris in confessione quasi medicus vulnus, et iudex causam, quia *frequenter* quae prae confusione confitens taceret interrogatus revelat. Sed tamen in interrogationibus faciendis tria sunt attendenda... Tertio ut de peccatis praecipue carnalibus non descendat nimis ad particulares circumstantias; quia huiusmodi delectabilia quanto magis in speciali considerantur, magis concupiscentiam nata sunt movere. Et ideo potest contingere, ut confessor talia quaerens et sibi et confitenti noceat, et sic quandoque deficiant in suo scrutinio iniquitates scrutantes ». Praedicta interrogatio bene fieri potest paucissimis et modestissimis verbis.

228. Luxuriae remedia, quae confessarius poenitenti suggerere potest, alia sunt negativa, alia positiva. Negativa sunt: 1° Fuga otii; 2.° Abstinentia a lectione librorum, qui agunt de rebus amatoriis; 3.° In viris fuga familiaritatis cum foeminis, licet probae, imo devotissimae videantur. In foeminis vero fuga familiaritatis cum viris, maxime iuvenibus. 4°. Fuga occasionum. 5°. Fuga ebrietatis et omnis in cibo intemperantiae. Scavini Tract. 4. D. 2. C. 3. art. 2. q. 2., Voit de praeceptis Decalogi n. 760., alique comm. — Positiva sunt: 1°. oratio frequens. 2°. Frequens confessio apud eumdem confessarium. 3°. Frequens communio. 4°. Memoria novissimorum. 5°. Cultus constans et invocatio frequens B. Virg. Mariae. 6°. Custodia sensuum. 7°. Corporis mortificatio. 8°. Addunt aliquando suadendum esse matrimonium iis, qui nubere possunt, tanquam unicum aut saltem tanquam efficacius remedium, ut se valeant ab habitu masturbationis liberare: si aliis tamen mediis *uti nolint.* 9°. Utile remedium est votum castitatis elicere per breve aliquod tempus, v. g. mane tantum; et iterum vovere vespere; vel per unam diem, et iterum die sequenti vovere; et si res, Dei iuvante gratia, bonum exitum habuerit, fieri poterit huiusmodi votum singulis diebus vel etiam longiori tempore, prout prudens confessarius expedire iudicaverit. Cfer. S. Th. 2. 2. q. 88. art. 4., C. Gent. c. 138., Scav. l. c., L. Prax. Confess. n. 94. et l. 6. n. 74. 75. Op. mor., Voit l. c. n. 739., alique comm.

229. An autem *expediat* hac in re uti opinionibus benignioribus ita a S. Alph. l. 6. n. 605. generali doctrina declaratur. « Sapienter dicit Holzm., quod confessarius in delectu opinionum debeat benigniores sententias sequi, quando illae potius inducunt poenitentem ad vitandum peccatum. Secus vero, si illae potius conducant ad

legis trangressionem, prout sunt (ut bene advertunt Ronc. et Sporer) opiniones illae, quae, licet speculative videantur probabiles, tamen in praxi sunt valde periculosae, sicut in materia sexti praecepti sunt opiniones aliquae de tactibus, osculis, choreis, comoediis, de reprimendis motibus sensualibus et similibus ». Idem vero S. Doctor in particulari magis quoad libros turpes, « sedulo satagant, ait, confessarii, ut hoc (legere nempe tales libros) prohibeant, quantum valent, iuvenibus, qui ex huiusmodi lectionibus universe magnam animae ruinam hauriunt », l. 3. n. 426. Et universim de lectione librorum ait S. D. in Append. de prohibitione libr. c. 5. n. 8. « in hac re expedit ordinarie rigidiores opiniones sequi ». — Prax. Confess. nn. 119.-120.

230. Haec praeterea speciatim animadvertenda:

1.° Ad rudes quod attinet, de interioribus desideriis explicite et generatim loquens Elbel haec habet de Consc. n. 125. « quod multi saltem e rudioribus, et minus eruditis inculpabiliter sibi persuadent huiusmodi desideria non esse mala, nisi opere compleantur, videtur satis certum, quod et Sanch., Stoz., La Croix expresse docent ». Hanc opinionem, ait S. Alph. l. 1., n. 9. « nunquam probabilem censere potui... cum aliis doctis recentioribus parum probabilem censeo ». Huius sententiae ratio est, quia si quis certo cognoscit malitiam actionis exterioris, et vult tamen illam exequi, iam cognoscit se velle malum. Quomodo ergo a peccato excusabitur? G. v. 1. n. 123., Cas. v. 1. n. 40. Quoad simplicem vero delectationem facilius ea invincibilis ignorantia adesse potest. Caeterum raro rudes per se ipsos accusant huiusmodi actus interiores. Prudenter igitur sunt interrogandi, ubi prudens adsit suspicio huiusmodi actuum. Sive vero de actibus interioribus, sive de actibus exterioribus saepe prodest, et multum prodest, eos non semel sed iterum et tertio diversis formulis interrogare. Quod enim negant prima vel secunda vice, fatentur tertia vice, sive ob pudorem, sive propterea quod suam saepe ipsi habent loquendi formulam; quae si non adhibeatur, interrogationem non facile intelligunt.

2.° Quoad pueros, absolute loquendo, saltem in aliquo raro casu et in principio pravae consuetudinis malitiam pollutionis invincibiliter ignorare possunt. Ratio, nam quod aspectus vel tactus impudicus aut captatio voluptatis ex pollutione procurata, vel etiam naturaliter exorta, etc. sint mortaliter mala, et illicita, non tam facile innotescit ex comprehensione primorum principiorum, sed indigent discursu ad deprehendendam eorum malitiam. Ergo malitia eorum potest saltem ad aliquod tempus inculpabiliter ignorari. Ex quo facile concludet prudens confessarius, in tali contigentia facti caute et prudenter esse procedendum; quae quidem cautela et prudentia, si cum

omnibus speciatim in hac materia observanda est, maxime vero cum pueris et puellis. Cfr. Elbel de Consc. n. 128., G. Cas. v. 1. n. 41., Struggl Tr. 3. q. 1. n. 13. Neque vero silentio hic praetereundum est, quod pueri puellaeque, qui adhuc servant Baptismi innocentiam, accusare saepe quasi peccata contra puritatem, vaga et confusa quadam loquendi ratione, quae vel nulla sunt peccata, vel nonnisi levem quamdam inhurbanitatem aut immodestiam continent.

3.° « Neque puellis indulgeat confessarius, ut a viris doceantur legere, et tanto minus scribere. Quot puellae simplices, quia didicerunt legere, animae iacturam luxere! Haec si non est proxima peccati occasio, saltem est non parum periculosa. Si cupiunt talia addiscere curent doceri ab aliqua alia muliere, aut ab aliquo fratre parvulo (et adhuc cum cautela).. Neque concedat foeminis iuvenibus, ut vagent, ecclesias visitando, utque in ecclesia morentur, plus quam est necessarium cum perturbatione parentum; sed eas moneat, ut attendant eis parere, labores domesticos amplectendo ». L. Prax. Confess. n. 101. Idque sane optimum et facillimum remedium est ad plura vitanda peccata contra castitatem. SS. CC. Episc. et Reg. in Animadv. Constitutionum recentiorum Congregationum *Sororum* non semel reprobavit, quod *Sorores* pueros docerent, vel professores viros admitterent in suis scholis, vel quod ipsae in Seminaria et Collegia introducerentur, cum res sit periculi plena; vel quod magis periculosum est, solae in paroeciis *Sorores* versarentur. Cfr. Bizzarri Collect. vers. finem Animadvers. etc.

231. « Poenitenti qui pavet cuilibet malae cogitationi..... contra castitatem assensum praebere, imponat confessarius ut huiusmodi scrupulos omnino despiciat, affirmans non pravas cogitationes, sed tantum pravos consensus esse peccata. Et in hac materia non omittat semper uti regula illa a doctoribus sapienter tradita, nempe eos qui sunt timoratae conscientiae, nisi moraliter certo sciant se in grave peccatum consensisse, immunes a peccato esse iudicandos; nam, ut ait P. Alvarez, impossibile est peccatum in animam ab illo abhorrentem ingredi, quin ab ea clare agnoscatur. Qua de re saepe expediet scrupulosis expresse imponere, ut a confessione huiusmodi cogitationum se abstineant, nisi tam certo sciant, se in illas consensisse, ut id iurare possint ». L. l. 1. n. 15.

232. De absolutione danda vel deneganda clerico habituato in peccatis lasciviae occultis, qui velit ad sacros ordines ascendere sine praevio continentiae experimento haec omnino practica et probanda habet S. Alph. l. 6., p. 64. et seqq.: « I. Hodierna et antiqua Ecclesiae lex, semper constans obstringit tam Episcopos, quam confessarios et promovendos, ut cum aliquis clericus recidivus vel

consuetudinarius in vitio carnis ad sacrum ordinem, sive ad subdiaconatum, sive ad diaconatum, aut presbyteratum ascendere cupit, quamvis sincere sit conversus ad Dominum, et ideo possit statim absolvi; non tamen poterit sacrum ordinem suscipere, nisi aliquandiu operam det ad pravum habitum extirpandum. Et si ipse persistat ordinem statim suscipere, non censetur dispositus ad absolutionem, quia legem Ecclesiae violat in re gravi. II. Potest tamen dari casus, quo Deus donet poenitenti tantam extraordinariam compunctionis gratiam, quae reddat eum adeo probatum, ut ipse statim possit sacrum ordinem assumere; et ideo..... beneficium absolutionis suscipere sine eo quod temporis experientia prius comprobetur..... Quod autem ad sacros ordines suscipiendos minime sufficiat simplex gratia sanctificans, sed ultra requiratur interior perfectio constat ex consensu communi SS. PP. et DD., qui uno ore illam efflagitant ». Insuper addit in fine S. D.: « Advertendum, quod confessarius toto conatu curare debet persuasum reddere huiusmodi initiandum, quamvis *extraordinarie* compunctum, ut differat Ordines suscipere quoadusque probatione alicuius notabilis morae magis purgatum se praebeat a sceleribus patratis..... dummodo vero ipse ex hac dilatione Ordinationis non sit subiturus notam, sive proximum periculum infamiae ». Cfr. S. Thom. 2. 2. q. 184. art. 6. 8., q. 189. art. 1., Suppl. q. 35. art. 1., q. 36. art. 4. — Aliter opinatur auctor libri, cui titulus: *Istruzione per li novelli confessori,* qui docet, quod, si ordinandus sincere atque ex animo credit, se caste vivere posse et malos habitus exuere, proponens ea omnia praestare atque adimplere, quae suo ac discreti confessarii iudicio ad emendationem vitae necessaria et opportuna reputantur; hic sane promoveri licite potest, nec confessarius hoc ipsi interdicere valet: cum et ad Poenitentiae Sacramentum suscipiendum satis dispositus censeri debeat, et consequenter etiam ad Ordinem sacrum, ad quem digne suscipiendum nonnisi status gratiae requiritur. Cfr. S. Alph. l. c. — Verum huiusmodi clericus sufficientemne spem facit sui, et non potius gravem inducit timorem, ne, temporis progressu et occasionum multitudine ac gravitate, in exercitio sacri ministerii, peior ipse evadat et christiano populo scandalo sit futurus, cum gravi animarum pernicie et Ecclesiae damno. Haec autem habet Benedictus XIV. de Syn. l. 1. c. 2. par. 18.: « Casus qui in controversiam adduci potest is est, quo poenitens eo usque in peccatis habituatus, ad sacros Ordines promoveri intendat, simulque talia contriti cordis iudicia praeseferat, ut confessarius illius conversionem sinceram merito existimare valeat, atque confidere, eum non amplius relapsurum esse in antiqua peccata, quorum consuetudine involutus fuit..... Profecto negari nequit huiusmodi poenitentis Spiritualem Directorem ancipiti ni-

mium cura in hac facti specie distrahendum fore: nullam vero suppetere generalem regulam, quae in huiusmodi casibus indistincte ab eo adhiberi valeat. Quare non aliud consilium eidem praeberi posse censemus, quam ut omnia personae, rerum et casuum adiuncta diligenter inspiciat, et mature perpendat; meminerit etiam sibi non modo iudicis, sed etiam medici partes impositas esse; medici autem officium esse eam curam aegroto adhibere, eaque ipsi praescribere remedia, quae credit illius saluti magis opportuna et proficua fore ». Cfr. Lugo de Poenit. D. 14. n. 171.

233. Praecedenti quaestioni alia adnectitur analoga quaestio, de habituato nempe in lascivia, qui item sine praevio continentiae experimento velit Religionem ingredi. Eadem sane non est ratio status clericorum et monachorum per se loquendo: « Ordines sacri, ait S. Th. q. 189. art. 1. ad 3., praeexigunt sanctitatem, sed status religionis est exercitium quoddam ad sanctitatem assequendam; unde pondus ordinum imponendum est parietibus iam per sanctitatem desiccatis, sed pondus religionis desiccat parietes, i. e. homines ab humore vitiorum ». Cfr. etiam art. 10. et Quodl. 3. art. 13. Verum quamvis in statu religioso plura reperiantur auxilia, quae religiosum promovent et adiuvant ad vitae sanctitatem acquirendam, quaeque vero desunt omnino in statu clericorum saecularium: attamen ubi ageretur de religiosis, qui operam dant, uti hodie commune fere est, sacro ministerio aliisque piis erga proximum operibus exercendis, evidens res est, quod labendi pericula non desunt etiam viro religioso, cuius vero lapsus maius excitabit scandalum, et detrimentum afferet bono nomini proprii Ordinis. Hinc magna omnino prudentia et cautela hac in re adhibenda est a confessariis. Cum autem antequam quis ad religiosam professionem admittatur, tyrocinium agat, quo unice propriae sanctificationi incumbit, et experimentum fit sinceritatis et firmitatis huiusmodi poenitentis, ea circumspectio et cautela minor quidem in priori confessario exigitur, qui primum ad religiosum statum induceret, longe maior vero in confessario ipsorum novitiorum, ne in Religione gens inutilis et nociva multiplicetur. Vitanda tamen hac in re nimia quaedam severitas, qua vel ipsi idonei vano quodam timore arcerentur a statu religioso, et sic ipsi maximo hoc Religionis bono, Religio vero melioribus forte religiosis privarentur. Qui peccatores fuere, Dei gratiae fideliter cooperantes ad magnam sanctitatem non raro perveniunt Cfr. Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 28., G. Baller. Tom. 2. n. 718.

234. « Non videtur autem praetereundum, quia quidam decepti a seductoris spiritibus, vel propriis falsis opinionibus, putant sibi apparere in visione vel ipsum Christum, vel eius gloriosissimam Genitricem, et non solum amplexibus et osculis, sed et aliis inde-

centioribus gestibus ab eis demulceri, ut sicut spiritus ipsorum interius, ita et caro exterius sibi congruo oblectationis sensu sensibiliter demulceatur, et carnaliter consoletur: quod non solum est falsum et seductorium, sed etiam blasphemia gravis esse liquido comprobatur. Spiritus Sancti visitatio sicut contra omnia vitia reprimenda et detestanda infunditur, ita etiam singulariter contra carnales illecebras opponitur. Et ubi spiritus munditiae suo iubare resplenduerit, continuo omnes pravae voluptatis motus evanescere, et, velut tenebras, superveniente lumine, disparere necesse est. De his vero, qui cum aliquando dulcedinem spiritualem sentiunt et mox carnalis delectationis pruritu foedantur, nescio quid iudicem, nisi quod potius eligo illis carere floribus, quos de luti sordibus legere deberem. Et sicut illos damnare non audeo, qui inviti quandoque in spiritualibus affectionibus carnalis fluxus liquore maculantur; ita etiam excusare nequeo qui tali fluxu ex consensu condelectantur, qualiscunque eorum intentio videatur ». De Profectu Religiosorum, inter opusc. S. Bonavent. l. 2. c. 76. al. 75.

235. « Qui magis solent confessariorum mentem gravioribus difficultatibus implicare sunt ii qui turpibus visionibus, motibus ac etiam tactibus vexantur a daemone, qui non solum fomitem sensualem excitat, sed aliquando etiam cum eis carnalem commercium sub forma viri aut mulieris habet, quapropter *Succubus* vel *Incubus* appellatur..... Hic autem fit dubium, an possit daemon permittente Deo, absque omni culpa manus illius admovere ad se tactibus polluendum. Affirmat P. Gravina, Dominicanus, et quidem probabiliter..... Debet confessarius multum satagere ad praemuniendum poenitentem in tam horrendo conflictu..... Si confessarius iudicare potest nullam omnino adesse culpam in hac tentatione ex parte poenitentis, ipsum ante omnia moneat haec adhibere: iugibus precibus sibi subveniat, frequenter invocando SS. nomina Iesu et Mariae, se diligenter avertat a sensuum voluptatibus; Communionem frequentet; protestetur saepe nolle consentire cuicumque tentationi, aut delectationi, quam opera daemonis sentiret; saepe utatur signo crucis, illam ferendo quoque secum, et aqua benedicta, cum ipsa lectum et cubiculum aspergendo; afferat etiam secum aliquam reliquiam Sanctorum, et Evangeliorum librum; secum pariter adhibeat exorcismos privatos, dicendo: *Spiritus nequam, in nomine Iesu Christi praecipio tibi, ut a me discedas, et ne me amplius vexes;* hortetur praeterea, ut vexatus ille saepe humilietur, et in huiusmodi humilitatis actibus saepe se exercitet; cum Deus aliquando ad aliquam internam superbiam ab anima removendam huiusmodi tentationes permittit. Si quis autem in huiusmodi tentationibus misere cadit, aut earum occasiones magis quaerit quam effugit, huius curatio

est valde difficilis.... Verumtamen confessarius, si quis eorum accesserit, non diffidat, sed curet cum ipso summam adhibere charitatem, confortetque dicendo, quod ubi non est voluntas, non est peccatum; hinc si ipse voluntate resistit, minime peccat. In his casibus ante omnia confessarius adversus daemonem praemittat exorcismum, saltem privatum; qui certe licitus est, hoc modo: *Ego ut Dei minister praecipio tibi*, aut *vobis*, *spiritus immunde, ut recedatis ab hac creatura Dei.* Deinde poenitentem interroget, an unquam hostem invocaverit et cum eo aliquod inierit pactum? an aliquando fidem negaverit, aut contra ipsam actum exercuerit? Interroget, qua forma ipsi daemon appareat, an hominis, mulieris, aut belluae. Tunc enim, si cum illo coit, praeter peccatum contra castitatem et religionem, reus erit peccati fornicationis, aut sodomiae, aut incestus (intellige affectivi), adulterii aut sacrilegii. Item interroget, quo loco et tempore hoc commercium habuerit? Ostendat ei postea huiusmodi criminis immanitatem, quaeratque eum inducere ad veram conversionem et confessionem integram faciendam: isti enim perditi homines, etiamsi confiteantur, de facili peccata committunt. Eadem demum remedia supra annotata illi praescribat.... Differat deinde eum absolvere, sed hortetur, ut saepe redeat, ut sic cognosci possit, quomodo se gerat in resistendo hostis invasionibus, et in remediis adhibendis; nec eum absolvat, nisi post longum experimentum, tales enim conversiones, ut diximus, raro sunt verae et rarissime perseverantes ». L. Prax. Conf. n. 110. et seqq.

236. Raro etiam sunt verae et sincerae conversiones quarumdam muliercularum, quae confessionem frequentant, uti possint cum confessario conversari et turpiter condelectari. Huiusmodi perditae foeminae prolixam instituere solent confessionem peccatorum contra puritatem, immorando in minutis omnibus circumstantiis explicandis. Saepe etiam mentiuntur et peccata narrant, quae minime commiserunt, ad se veneree excitandas. Ac uti facilius incautos confessarios decipiant, nonnunquam se scrupulosas esse fingunt et animi anxietate turbari, uti facilius facultatem habeant huiusmodi turpes sermones instituendi. Si quando prudens suspicio sit huiusmodi diabolicae fraudis, prudens consilium erit: 1.° vitare nimiam confessionum frequentiam eiusdem personae; 2.° abstinere ab omni interrogatione, quae non sit absolute necessaria; 3.° poenitentem docere quomodo brevissima et honesta formula possit confessionem instituere; neque permittere, ut ab ea recedat; 4.° abstinere ab omni animadversione, et observatione, quae non sit absolute necessaria, sed confessionem quam paucis et serio omnino absolvere. Si haec observentur, nullum timendum erit incommodum; quia si illa persona ficte procedit, post unam vel aliam vicem non amplius revertetur.

237. Caeterum, generatim loquendo. « summe cautus debet esse confessarius in excipiendis confessionibus mulierum. Et primo notandum quod in Decr. SS. CC. Ep. 21. Ian. 1610. dicitur : *Confessarii sine necessitate audire non debent mulierum confessiones post crepusculum vespertinum et ante auroram.* Loquendo autem de prudentia confessarii, ipse regulariter in confessionario cum iunioribus sit potius rigidus, quam suavis ; nec permittat illas ante confessionarium accedere, ut sibi loquantur, et multo minus ut manus deosculentur. In actu confessionis non ostendat eas agnoscere ; aliquae enim, quae religiosae haberi volunt, aliquando advertentes se nosci a confessario, non faciunt integram confessionem. Imprudentia quoque est conicere oculos in poenitentes, cum a confessionario recedunt, easque per aliquod tempus intueri. Extra confessionarium nec etiam immoretur ad colloquendum cum ipsis in Ecclesia, omnemque familiaritatem devitet. Abstineat etiam a recipiendis munusculis ; et praecipue ad illarum domos nunquam accedat ; uno excepto casu gravis infirmitatis, et tunc nonnisi vocatus accedat ; tunc magnam adhibeat diligentiam in audiendis illarum confessionibus, unde ianuam apertam reliquat, sedeat in loco, ubi videri possit ab aliis, oculosque in faciem poenitentis nunquam defigat. Et hoc praesertim currit, si sint personae spirituales, quibuscum est periculum maioris adhaesionis .... Tales personae hoc non statim advertunt ; quoniam diabolus ab initio non emittit sagittas venenatas, sed illas tantummodo quae aliquantulum feriunt, et augent affectum. Sed brevi huiusmodi personae eo deveniunt, ut non amplius agant secum, tanquam angeli, quemadmodum coeperant, sed tamquam carne vestiti ; vicissim se intuentur, mentesque sibi feriunt blandis allocutionibus, quae adhuc a prima devotione videntur procedere : hinc alter alterius praesentiam incipit appetere, sicque spiritualis devotio convertitur in carnalem ». L. Prax. Confess. n. 119., G. Cas. t. 2. n. 725.-727.; Reuter Neo-Confessar. n. 110.

INDEX

COMMENTARIUS PRIMUS
De natura Theologiae Moralis

Pag

De natura Theologiae generatim 3
De natura Theologiae moralis speciatim 11

COMMENTARIUS SECUNDUS
De Conscientia et de Probabilismo

I. — De Conscientiae natura 25
II. — De Conscientia certa 28
III. — De Conscientia probabili et de Probabilismo 33
IV. — Obiectiones contra Probabilismum 54
V. — De doctrina S. Alphonsi circa Probabilismum 66
VI. — De Conscientia dubia 77
VII. — De Conscientia scrupulosa 93

COMMENTARIUS TERTIUS
De Quarto Decalogi Praecepto

I. — De intrinseca natura huius praecepti. 99
II. — De Obligationibus filiorum erga parentes 106
III. — De Patria potestate 118
IV. — De Obligationibus parentum erga filios 127
V. — De Scholis 132
VI. — De Coniugum obligationibus 137
VII. — Iura et obligationes coniugum circa bona. 143
VIII. — De mulieris cum viro aequalitate 152
IX. — Cognatorum et tutorum obligationes 153
X. — De obligationibus dominorum et famulorum 160
XI. — De dominis et operariis 167
XII. — Obligationes magistrorum et discipulorum 171
XIII. — De obligationibus inferiorum et superiorum ecclesiasticorum . . . 175
XIV. — De obligationibus quoad civilem auctoritatem 176
XV. — De electione deputatorum 183

Pag.

XVI. — De obligatione solvendi tributa 185
XVII. — De obligatione militiam praestandi 188
XVIII. — De Tyranno et de rebellione 190

COMMENTARIUS QUARTUS

De Sexto et Nono Decalogi Praecepto

Praenotiones 196
Caput Primum. — De luxuriae actibus non consummatis 201
Art. Primus. — De aspectibus obscenis 201
» *Secundus.* — De mulierum ornatu. 203
» *Tertius.* — De turpibus sermonibus 208
» *Quartus.* — De theatris 210
» *Quintus.* — De odoribus et gustibus turpibus 211
» *Sextus.* — De tactibus turpibus. 212
» *Septimus.* — De osculis et amplexibus 215
» *Octavus.* — De osculis et amplexibus respectu sponsorum . . 216
» *Nonus.* — De osculis, amplexibus, aliisque tactibus respectu coniugum 218
» *Decimus.* — De turpium tactuum natura 221
» *Undecimus.* — De choreis. 224
Caput Secundum. — De peccatis luxuriae consummatis iuxta naturam. . 227
Art. Primus. — De fornicatione. 227
» *Secundus.* — De concubinatu et meretricio 229
» *Tertius.* — De stupro 235
» *Quartus.* — De raptu 236
» *Quintus.* De adulterio 239
» *Sextus.* — De incestu. 242
» *Septimus.* — De sacrilegio 246
Caput Tertium. — De peccatis luxuriae consummatis contra naturam . 249
Art. Primus. — De mollitie seu pollutione 250
» *Secundus.* — De bestialitate 267
» *Tertius.* — De sodomia 268
» *Quartus.* — De appositione impedimenti ad generationem . . 270
» *Quintus.* — De copula inchoata coniugum et non consummata . 277
Caput Quartum. — De usu matrimonii 280
Art. Primus. — De intrinseca natura usus matrimonii 280
» *Secundus.* — De impotentia 285
» *Tertius.* — De circumstantiis extrinsecis usus matrimonii . . 295
I. — De circumstantia finis 295
II. — De circumstantia affectus. 297
III. — De circumstantia voti et affinitatis 297
IV. — De circumstantia situs 298
V. — De circumstantia temporis, menstrui, praegnationis, purgationis post partum, lactationis, sacri 299
VI. — De circumstantia loci 305
VII. — De circumstantia morbi 306
VIII. — De circumstantia impedimenti dirimentis . . . 309
» *Quartus.* — De debito petendo et reddendo 315
Caput Quintum. — De peccatis internis luxuriae 331
Caput Sextum. — De confessarii praxi quoad materiam luxuriae . . 335

33430

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BV4618.B8C6 C001
COMMENTARII DE ACTIBUS HUMANIS EDITIO T

3 0311 00037 1570

BV
4618
.B8C6 33430
AUTHOR Buccëroni, Gennaro
TITLE COMMENTARII DE ACTIBUS HUMANIS.
BORROWER'S NAME

3 0311 00037 1570